REGINONIS PRUMIENSIS DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA VETERUM, PRAESERTIM GERMANORUM LIBRI…

Regino : Prumiensis 840-915, Joachim Hildebrand, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
23 B
46

F. 2. V. 14. 26.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


REGINONIS PRVMIENSIS DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA VETERVM, PRÆSERTIM GERMANORUM

LIBRI DVO,

Quorum alter CLERICOS, alter LAICOS informat, ante octo infra dimidium ſecula ſcripti, ſed hactenus nondum quod conſtet, editi;

Nunc primùm ex vetuſto membranaceo MS. Bibliothecæ Iuliæ typis excuſi

Opera & Studio
IOACHIMI HILDEBRANDI
S. Theol. D. & SS. Antiqq.
Ordin. Prof.



HELMÆSTADI,
Typis & ſumtibus HENNINGI MVLLERI,
ACADEMIÆ TYPOGR.

CIƆ IƆ C LIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO

DN.

AUGUSTO

DUCI BRUNSV. ET LYNEB.

HEROI INCLYTO,

PATRIÆ PATRI

OPT. MAX.

ACADEMIÆ SUÆ JULIÆ H. T. DIRECTORI MAGNIFICENTISSIMO,

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

OMNIA FELICIA!

SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME,

HIc eſt dies, quem TUAE SEREN. Eccleſiæ, Provinciæ, Academiæ, Bonoq; publico ſalutarem faxit Princeps Regum terræ! Tuus, Auguſtiſſime Princeps, Natalis OCTOGESIMUS PRIMUS, quem hac ipſa in *Albis*

Digitized by Google

Dominica fauſtis ominibus ingrederis! ô Venerabilem Paſchæ Octavam, quæ TE AUGUSTUM Romani Imperii decus, & inæſtimabilem Orbis Literarii Mecœnatem, vivum & incolumem propitio nobis Numine reddit. Communiter vitæ hominum ſunt *ſeptuaginta*, & in *potentatibus* (ut Vulg. Interpres vertit) anni *Octoginta*. Verum TUA SEREN. quum primas teneat ex *Potentatibus* terræ octogeſimum Ætatis annum ſpeciali gratia qua TE CELSISS. PRINCEPS ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ DEUS complectitur, hodie excedit. BONUM FACTUM! AUGUSTE PRINCEPS VIVE! AD MVLTOS ANNOS! FELICITER AUGUSTO! SERVET DEVS PATRIAE PATREM ET ACADEMIAE NUTRITIUM HODIEQUE DIRECTOREM MAGNIFICENTISSIMUM! ut novum Ætatis annum pluresque ſubſecuturos novo indies virium ac fortunæ acceſſu βασιλικῶς tranſigas; & ut nos ſub umbra alarum Tuarum piè abhinc & tranquillè vivamus; & quæ voti mei ſumma, quicquid cœlo terraque boni eſt, id omne Summus Monarcha in TE, SERENISSIME PRINCEPS, cumulatè effundat.

Serus in cœlum redeas! diuq;
Guelphico ſalvus domineris Orbi!
Magne Dux, ut TE Geniale feſtum
Sæpe reviſat!

Cum

ſum natali voto ad Tuam Serenit. Regino Cœnobii Prumienſis olim Abbas accedit, qui nuper Tuæ Seren. divino Judicio ſeſe humilimè ſubjecit & ad Academiæ Bibliothecam remiſſus, literas Regia Dextera ſcriptas retulit, quibus Sereniſſ. Tua Celsit. codicem iſtum luce publica dignum ſapientiſſimè cenſuit, & ut editio continuaretur, clementiſſimè juſsit; nec hìc Clementia ſubſtitit, ſed de Reginone noſtro in celebribus Germaniæ Bibliothecis inquiri feciſti, ut ſicubi exemplaria ejuſdem voluminis extarent, cum noſtro conferri eadem poſſent, quo ipſo Tua Seren. incredibile ſuum, quod ſatis nunquam laudabitur, rei literariæ promovendæ ſtudium inſigniter teſtatum fecit. Sed ne ſic quidem Clementiæ terminus. Accepto Vienna reſponſo T. Seren. illius copiam mihi gratioſiſſimè fecit, quem clementiſſimum affectum ſubjectè exoſculor & adhuc venerabundus adoro.

Mihi eapropter religio fuit præclaro Antiquitatis monumento alium quærere Patronum, quàm TE Sereniſs. Princeps, quo Potentior, Doctior, Clementior haud occurrit. Inſcriptio-

nis cauſæ variæ ſuppetunt, quarum una Excellens Tua & in tanto faſtigio admiranda Eruditio, qua adeò ſuperemines, ut dubium ſit, num ipſe majori polleas doctrina, an majori erga doctos benevolentia ſis affectus. Certè & Gratia Tua erga literatos & Eruditio ſine Exemplo maxima eſt. Utraq; Immortalitatem, quam non diruet innumerabilis annorum ſeries, Auguſto Tuo Nomini per univerſum orbem jamdudum peperit; Vnica hæc ratio, ſi ad dedicandum me moviſſet, Tua Serenit. (ita confido) pro innata ſibi Clementia audaciæ meæ ignoſceret. Et cur jam dubitem Tractatum, quem ex Academia Tuae Serenit. Directorio ſubdita mitto, clementer exceptum iri, cum vel nondum editum Sereniſſ. T. Celſit. Auctoritate Sua atq; Imperio firmaverit, typis excudi clementiſſimè mandaverit & Auguſto Elogio *talem eſſe librum, qui Clericis & Laicis uſui eſſe poſſit*, benignisſimè adornaverit. Ipſe Auctor cum hos canones juſſu Archiepiſcopi ſui Ratbodi ſub diœceſi Trevirenſi colligeret, alteri quàm Archiepiſcopo ſuo dedicandos non duxit. Jam cum ſub Tuo Territorio, Auguste Princeps, Tuoq; mandato & cum Natali Tuo Regino quaſi renaſcitur, Tuae Seren. eundem conſecrare meri-

herito volui dicam,an debui,qui τὴν ἀρχιεπισκοπὴν
ιujus Provinciæ juxta ac civile Regimen glorioſè
ιdminiſtras, nec ita pridem de novis *Agendis* ſed
/eteri Eccleſiæ pleraq; conformibus (ut de *Harmonia Evangelica*
aliiſque à Diva Tua manu
n bonum Eccleſiæ profectis libris & præclaris inſtitutis nihil nunc dicam) Eccleſiis TIBI ſubectis paternè providiſti ; Proinde Territoriali ac
)iœceſano jure ad TUAM SEREN. Regino, Veerum Canonum collector omnino pertinet.
Quod ſupereſt , Clementia Tua fretus Reginonem juxta exemplar Bibliothecæ Juliæ fidelier expreſſum ad TUAE SEREN. pedes depono. Is
|uum nuper ſemetipſum commendabilem reddierit, jam TUAE SEREN. Editorem ſuum humilimè
ommendat. Reginoni preces meas addo &
ubjectiſſimè rogo, ut TUA SERENIT. ſcripto,
|uod ipſe Bellarminus in celeberrima Vaticana
ibliotheca reperire non potuit, in Auguſtiſſima
ua, quam omnis erudita Natio ſtupet, Bibliothea qualemcunque locum concedere ; meq; meosue cum in alijs, tum in his SS. Antiquitatum ſtuijs conatus, quorum aliquot ſpecimina Illuſtriſmis TUAE SEREN. Filijs, Dominis meis Clemenſſimis dudũ exhibui, Principali Clementia porro
digna-

dignari ac tueri velit. Ita TVAM SERENIT. cum Celſiſſimo Stemmate Guelphico Omnipotens Deus æternum ſoſpitet! quod quotidiè precibus contendo. Datum Helmæſtadi in Academia Tua JULIA, ipſo TVAE SERENIT. Natali LXXXI hoc eſt, IV. Eid. April. Anno Redemti Orbis CIↃ IↃ CLIX.

TVÆ SERENIT.

perenni obſequio

ſubiectiſſimus

IOACH. HILDEBRAND. D.

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM

J. H. D.

CUm HISTORIAM CONCILIORVM anno proximo traderem, inter alia in Concilium Nannetenſe incidi, quod quo tempore habitum ſit, cum dubium eſſet, in tempus ejus, ut Auditores accuratè docerem, paulo altius inquiſivi, recordatus ex eodem canonem in Diſputatione B. Calixti de Miſſis Solitarijs citatum, quem ex Reginonis Prumienſis codice MS. de Diſciplina Eccleſiaſtica allegatum, theſi xv reperi, ſimulque probatum, Nannetenſe Concilium non ſeculo XI terminante, quod Daniel Chamier in Panſtratia ſua cenſuit, ſed ante x Seculum fuiſſe, cum ejus mentionem feciſſet Regino, nono adhuc ſeculo electus, Prumienſium Abbas, prout ipſe Regino in Chronico ſit faſſus.

Hunc Codicem ipſi Bellarmino non lectum, non viſum, nondumque excuſum miratus, materiæque præſtantia (quis enim *Veteris Eccleſiæ Diſciplinam* ſcire nolit?) allectus MS. Bibliothecæ Iuliæ ut bono publico, cui nos noſtraque debemus, ederetur, deſcribi feci. Sed dubius factus, annon alibi jam impreſſus liber haberetur, literis ad Eximium quendam Amicum miſſis petij, ut in Sereniſſimi Noſtri Principis AVGVSTI Ampliſſima Bibliotheca circumſpicere ne gravaretur, num talis in ea codex extaret. Ita res ad SERENISSIMVM delata eſt, qui pro clementiſſimo erga literas affectu MS Academiæ

Digitized by Google

ad ſe deferri ante juſſit, quam publicæ daretur luci. Ad mandatum SERENISSIMI MScriptum ſine mora miſſum eſt, addita Epiſtola, quæ cum de varijs huc pertinentibus lectorem admoneat, ſubjungenda videtur:

SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME,

TVÆ SEREN. juſſu, Reginonis Prumienſis de Veterum Diſciplina codicem ex Academiæ Bibliotheca acceptum mitto, cujus ſcripti Ioh. Trithemius in Catalogo Illuſtrium Eccleſiæ Scriptorum ita meminit: *Regino inter Germaniæ & Galliæ Doctores ſuo tempore facile obtinuit principatum — ſcripſit opus, quod prænotatur de Eccleſiaſtica Diſciplina & Religione Chriſtiana, jubente Rathbodo Archiepiſcopo Treverorum, quod ex decretis ſanctorum Patrum & generalium Conciliorum in duobus libris comportavit, & in nongenta ferme capitula per rubricas ex more luculenter diſtinxit.* Sebaſtianus de Rotenhan ICtus & Eques auratus, qui ſuperioris ſeculi Anno XXI primus omnium Moguntiæ Chronicon Reginonis edidit, in Epiſtola ad Wolffgangum Fabricium, Sacræ Paginæ, quem vocat, Profeſſorem Annalibus Reginonis ſubjuncta, de volumine noſtro ſcribit: *His temporibus, quibus ſingulæ Metropoles ſeparatis legibus, & cum Rom. Pontificali haud prorſus quadrantibus dirigebantur, Regino Eccleſiaſtica GERMANIÆ decreta non minus doctè quam laborioſè congeſſit, quorum exemplar Treverenſium Archi præſuli dicatum, noſtro ævo apud Moguntiacos Vangioneſque conſpicitur.* Bellarminus in libello de Scriptoribus Eccleſiaſticis ejuſdem MS. his verbis meminit: *Dicitur Regino etiam de Diſciplina Chriſtiana libros duos ſcripſiſſe, ſed hos extare non puto.* Diſcimus inde, in Bibliotheca Vaticana hos libros Bellarmino non repertos. Recentiſſimus Gerhardus Ioh. Voſſius in Tract. de Hiſtoricis Latinis lib. 2. hæc habet: *Compoſuit Regino de Doctrina Eccleſiaſtica libros ex SS. Patrum & generalium Conciliorum decretis. Hi MS. adſervantur*

ur VIENNAE in Bibliotheca Cæſarea. Hæc ſunt Sereniſſ. Princeps, quæ de Reginonis MS. conſtant.

In vetuſto, quod mitto, exemplari varia collectanea, per prima præſertim XIIX folia, præter Breviarium primi libri nihil invenitur quod ad Reginonem ſpectet. Revera autem hos libros, Reginonis eſſe, licet ipſa Autoris manu (quæ cum Præfatione ad Epiſcopum Trevirenſem operi deeſt) probare non poſſimus, probabiliter inde conſtat, quod codex noſter in *totidem capitula & per rubricas* ita ſit diſtinctus, quemadmodum annotat Trithemius. Memor itaque Profeſſionis SS. Antiquitatum, quam T. SERENIT. & cæteri Sereniſſ. Principes Brunſvigo Lüneburgici ante hos ferè ſeptem annos mihi clementer demandarunt, hæc venerandæ Antiquitatis ἀνέκδοτα in gratiam Studioſæ Iuventutis excudenda duxi. Hinc aliquot ſchedæ, quas ſimul mitto, typis prodierunt. Sed accepto TVÆ SEREN mandato, Typographus à continuanda editione abſtinere juſſus eſt, donec de TVÆ SERENIT. voluntate clementiſſima, cui rem omnem ſubmittimus, porro conſtiterit.

Mihi quidem ſcrupulus hæſerat, annon alibi MS. excuſum forte eſſet, ſed cum audivi in TVÆ SERENIT. Auguſtiſſima Bibliotheca non reperiri, ſecurè dixerim, typis non prodijſſe: neque enim toto Literario Orbe momenti alicujus librum extare puto, quin in TVÆ SERENIT. abundanter inſtructa Bibliotheca inveniatur. Ita ergò Prumienſem Antiſtitem, lacero quamvis ac trito amictum pallio TVÆ SERENIT. ejuſdemque exaſciato & ſublimi judicio ſiſto. Faciam de eo, Sereniſſime Princeps, quicquid ſtatueris. Interea TVÆ SERENIT. una cum Illuſtriſſima Domo imminentis novi anni auſpicata primordia, tranquillum regimen rerumque omnium ſucceſſus proſperrimos ex intimis animi receſſibus devotè precor, meque meoſque

Digitized by Google

TVÆ SERENIT. ſubjectiſſimè commendo. Helmſtadij die xx. Decembr. Anno M DC LIIX. J. H. D.

Non diu poſt SERENISSIMVS MSum Academiæ remiſit & Editionem clementisſimè per litteras approbavit; quin & inſignes Germaniæ Bibliothecas perquiri fecit, ſicubi Reginonis hoc volumen extaret. Tandem Viennæ codex ſub Reginonis nomine de Diſciplina repertus eſt, de quo cum SERENITAS Ejus certior fieret, reſponſi copiam mecum communicare dignata eſt, quod noviſſe, cum Lectoris interſit, ſimiliter h. l. exponam.

Extract. Schreibens aus Wien vom 26 Jan. / 6 Febr. 1659.

Des Abbatis Reginonis Buch findet ſich zu Wien/ iſt in folio, vier Finger dick/ und von einer alten/ doch noch ziemlich leſerlichen Schrifft.

Das erſte Buch ſothanen Voluminis hat 447. das andere 452. Capita. der Titul, wie derſelbe poſt iſta capita per indicem recenſita auf der mitte des blats geſchrieben/ lautet alſo: Libellus de Eccleſiaſticis Diſciplinis & Religione Chriſtiana, collectus ex juſſu Domini Metropolitani Rathbodi, Trevericæ urbis Epiſcopi, à Reginone Abbate quondam Brumienſis Monaſterij ex diverſis Sanctorum Patrum Concilijs & Decretis Rom. Pontificum feliciter incipit.

Vor anfang dieſer zwey Bücher ſeind præmittiret Paſſiones S. Columbani, S. Galli, S. Cæciliæ, S. Andreæ Apoſtoli, S. Agathæ; & Ordo incipiendi Synodum. Quo Autore ſtehet nicht dabey. Caput primum Libri primi fängt alſo an: Inprimis inquirendum, in cujus Sancti honorem conſecrata ſit Baſilica &c.

Ad hanc Relationem Obſervata quædam juxta ac ſubjectiſſimam gratiarum actionem ad SERENISSIMVM miſi. Obſervata hæc ſunt:

Rela-

Digitized by Google

Relatio.

Dis Abbatis Reginonis Buch findet ſich zu Wien.

Obſerv.

Rectè igitur Vir multijugæ eruditionis & variæ Lectionis Gerh. Ioh. Voſſius de Hiſtoricis Latinis: *Reginonis Libri de Doctrina Eccleſiaſtica Vienna in Bibliotheca Cæſarea aſſervantur.* Gratum accidit codicem ibidem extare, unde confirmamur Volumen noſtrum revera Reginonis eſſe. Vtinam Exemplar Viennenſe integrum cum noſtro conferre nobis licuiſſet!

Relatio.

Iſt in folio vier Finger dick/ von einer alten/ doch noch ziemlich leſerlichen Schrifft.

Obſerv.

Eadem de Exemplari Helmſtadienſi ex re & vero prædicantur. Inter Monachorum, quas vocamus, Scripturas Codex noſter in pleriſque non adeo difficulter legi potuit. Sed turbare Lectorem & remoras injicere potuerunt obſoleta quædam hodieque inuſitata vocabula, verb. grat. *Cervola & Vegola, Battere, Faida, Genitiaria, Fredum, Armſcara, vel Aruſcara, Mundiburde, Vivadios vel Vvadios, Mortridum, vel Mortridatus, Cotiones, Deverada* &c. quæ in communibus Lexicis vel apud claſſicos Autores fruſtra quæſiveris. Bonam eorum partem Doctiſſ. *Fridericus Lindenbrogius* in Gloſſario ſuper Codicem Antiquarum Legum expoluit, ad quod Lectorem remittimus.

Rel.

Das erſte Buch ſothanen Voluminis hat 447. Capita, das ander hat 452. capita.

Obſerv.

Iunctim capita ſunt 899. In noſtro MSo Liber primus habet capita 430. Poſteriori Libro Capita 447 ab Autore

vel

vel quiſquis deſcripſit, numerata ſunt. Subſequentibus nos numerum in gratiam Lectoris addidimus. Diſcrepantia in numero Capitum prioris Libri ab Exemplari Viennenſi forſan inde eſt, quod in Noſtro ſubinde capita ſine numero extent, quæ ſi numeratis addas, non minor erit capitum numerus in noſtro MS. quam in Viennenſi. Quicquid de eo ſit, utrumque Exemplar *nongenta* circiter Capitula complectitur, quot habuiſſe Reginonis ſcriptum jam ſupra Trithemius affirmavit.

Relatio.

Der Titul iſt geſetzt poſt Capita per Indicem recenſita.

Obſerv.

Index Libri Primi noſtro quoque Exemplari præfixus. At nos utriuſque Libri Breviarium, quod Indicis inſtar habet, ad Lectoris docilitatem Operi præmiſimus. Titulus noſtro MS. deeſt. In Viennenſi fertur hic eſſe:

Relatio.

Libellus de Eccleſiaſticis Diſciplinis & Religione Chriſtiana.

Obſerv.

Nos in defectu illius Titulum fecimus: *Reginonis Prumienſis de Diſciplina Eccleſiaſtica veteris præſertim Germaniæ, vel veterum Germanorum. Libb. II.* Non pauca quidem inter Canones Reginonis ex Concilijs Græciæ, Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, &c. citantur, adeoque non ſolius Germaniæ mores & inſtituta hic referuntur; ſed nobis à Germanis, progenitoribus noſtris denominare placuit (1) quod pleraque ex Concilijs iſtis allegata ævo Reginonis, qui ab ortu fuit Theuto, in Germania obtinuerint. Secundo quod præter Canones in Germania Moguntiæ, Wormatiæ, Treviri, Triburi &c. conditos ad

›s ad *Capitulares* Cæſarum Germaniæ Caroli, Ludovici &c. ıbinde provocet, & ex his capitula plurima colligat. Tertiò uòd Sebaſtianus de Rotenhan ſub finem Annalium Regino-is à ſe editorum Reginonem in collectione Canonum ad ccleſiaſtica *Germaniæ* cumprimis decreta reſpexiſſe diſertè onteſtetur.

Relatio.

Collectus juſſu Rathbodi Treverica urbis Epiſcopi.

Obſerv.

Quem jam diximus, Rotenhan non *juſſu* tantum *athbodi Epiſcopi* hos Libros ſcriptos, ſed & *Trevirenſium Ar-ipræſuli* dedicatos refert, quæ Dedicatio neſcio an extet. ı ejus locum Præfatio ad SERENISS. Noſtrum, ſub cujus rovincia, & mandato Regino veteris Diſciplina Magiſter m reviviſcit, jure optimo ſucceſſit.

Relatio.

A Reginone Abbate quondam Prumienſis Monaſterij.

Obſerv.

Vocula *Quondam* indicat Exemplar Viennenſe cum :ginone paris ætatis non eſſe, cum denotet, Reginonem vere deſiiſſe, quando codex vel ſaltem Titulus iſte fuit ſcri-us, niſi quis dicat, vixiſſe quidem adhuc Reginonem, ſed n amplius cœnobij Abbatem fuiſſe, cum libros compone-t. Notum enim eſt, Reginonem nonnullorum invidia Abbatia depoſitum fuiſſe.

Relatio.

Vor anfang dieſer zwey Bücher ſind præmittiret Paſſio-s S. Columbani, Galli, Cœciliæ, Andreæ Apoſtoli, Aga-æ; & ordo incipiendi ſynodum, quo Autore ſteht nicht ey.

Obſerv.

In noſtro Codice non, Vitas iſtorum Sanctorum, ſed ea-

rum

Digitized by Google

loco varia decreta & quorundam Epiſcoporum Epiſtolas legimus; una cum Ordine in habendis Concilijs obſervari ſolito qui magnam partem ex Iſidoro Hiſpalenſi, poſt initia ſeculi VII claro, collectus videtur. Præmiſſus quoq; eſt Syllabus præcipuorum Conciliorum &c. quæ cum inſtituto Reginonis propius congruunt. Subjuncta ſunt Codici Noſtro Rabani Mauri Liber de Inſtitutione Clericorum, ſed hic tomo VI. Bibliothecæ PP. jam extat; & Concilium Rhemenſe, diverſum ab eo, quod in Tomis legitur. Primus fuit Matth. Flacius (è cujus Bibliotheca librum habemus) qui ex codice noſtro editum Centurijs Magdeb. indidit eſtque concilium notatu digniſſimum. *Rel.*

Caput primum libri I. fängt alſo an: *Inprimis inquirendum, in cujus Sancti honorem conſecrata ſit Baſilica.*

Obſerv.

Eadem prorſus verba Codici noſtro vel potius Methodo Viſitandi Eccleſias, à qua incipit codex, initialia ſunt & hoc initium cum Geſneri Bibliotheca pulchrè congruit, qui ex Trithemio refert Reginonis libros de Diſciplina Eccleſiaſtica incipere: *Inprimis inquirendum* &c. unde iterum elegans argumentum, Exemplar noſtrum omnino Reginonis eſſe.

Hæc ſunt, quæ ad SERENISSIMVM Eundemque Proſapia, Eruditione, Ætate AVGVSTVM Principem de Reginone perſcripta, in tuam gratiam, Benevole Lector, hîc exponenda duximus, quod Scripto noſtro lucis aliquid afferre viderentur.

REGINONIS VITA.

Nulli dubitamus, quin Studioſi SS. Antiquitatum occaſione hujus Scripti Vitam Auctoris noviſſe deſiderent. Sciant igitur, Reginonem origine Theutonicum, profeſſione Ordinis S. Benedicti circa confinia IX. & X. ſeculi in cœnobio

Pru-

Prumienſi vixiſſe. Situm eſt cœnobium iſtud ſub Diœceſi Trevirenſi. In Itinerario Germaniæ Mart. Zeileri parte 2 pag. 12. à *potentia* & ab *opibus* commendatur. Hujus cœnobij Abbas Regino circa Annum Chriſti 892 conſtitutus eſt, prout ipſe in Chronico teſtatur: *Per id tempus*, inquit, *Farabertus Abbas Prumienſis cœnobij paſtoralem curam ſua ſponte per conceſſionem Regis depoſuit, & ego quamvis indignus ſecundum regularẽ auctoritatem per electionem Fratrum in regimine ſucceſſi.* Vir fuit integræ vitæ ſceleriſque purus, ſpectatæ probitatis, nemini injurius, nemini moleſtus, candidi animi, ſed ut ſolet virtutis honorumque comes invidia eſſe, nec quiſquam fortunam experiri magis aſperam, quam qui ſumma meruit; ſic & Reginoni noſtro contigit.

Abbas factus, æmulum in cœnobio *Richarium* quendam habuit, qui varijs calumnijs virum innocentem traducere & per cuniculos agere non deſtitit, donec Reginone ab Inſpectione cœnobij iterum pulſo, ipſe Abbatiam ſuſciperet, quod de ſemetipſo in Chronico ad A. 892. Regino ita refert: *In regimine cœnobij non diu immoratus ſum æmulis contra me agentibus, ſed Richarium fratrem Gerhardi & Marfridi invidioſum mei negotij ſucceſſorem ſuſtinui.* Pergit ibidem: *Obſecro Lector, ne tibi oneroſum videatur ſi rem ab origine repetam & qualiter negotium hoc effectum ſit, ſimplici ſermone pandam: abſurdum enim videtur, ut qui aliorum actiones & res geſtas explano, negotium, quod ad me pertinet, ſilentio prætermittam.* Sed Relationem iſtam invida manus Chronico Reginonis ſubtraxit, unde ad marginem ſcriptum: *Omiſſum eſt, quod dicere propoſuit.* Forſan obtrectatores Reginonis puduit inſidiarum & calumniarum, quibus virum bonum oppreſſum voluerunt, ideoque caverunt, ne poſteritati fraudes ipſorum innoteſcerent. Videtur hæc Reginonis de ſeipſo narratio prolixior fuiſſe, cum in eodem Chronico *flexis poplitibus veniam* à Lectore *petat, quod verboſior, quam decuit extiterit. Neceſſitas mihi fuit*, inquit, *ut non fa-*

 cta ſo-

ita ſolum, ſed & dicta per ordinem referrem ob invidorum calumnioſas querelas. Editor Chronici, Sebaſt. Rotenhanius refert, hac calumnia impetitum fuiſſe, quod malè cœnobio præeſſet. Ignominioſa quidem degradatio nonnemini videatur, ſed Regino ſpe in viventem Deum fixa injuriam heroica patientia pertulit, & tantum abeſt, ut à pietate deficeret, ut potiùs à curis regendi cœnobij ſolutus vitam omnem Deo ac bonæ Menti impenſius dedicaverit, atque in animæ ſuæ & in publica commoda utiliter converterit. Dei providentia ita eveniſſe videtur, ut Regino ſibi redditus excellenti ingenio & ſcriptis, quibus immortale nomen apud poſteros meruit, orbi literario in hunc uſque diem prodeſſet. Iure igitur ad invidos Fratres cœnobij idem, quod Ioſephus ad fratres dicere potuit: *Vos machinati eſtis mihi malũ, ſed Deus convertit illud in bonũ!*

Scripta Reginonis magnæ autoritatis opuſcula Geſnerus ex Trithemio appellat. Cum primis duo memorantur: alterum eſt Chronicon in duos libellos diviſum, quod à N.C. exorſus Anno Chriſti 908 terminatum in proœmio meminit, ſed in ipſo Chronico Annus C. 906 ita concluditur: *Huc uſque Regino. Hæc vero quæ ſequuntur à monacho quopiam fortaſſe ſunt addita.* Continuatum enim eſt Chronicon uſque ad A. C. 977. Inſcripſit hos Annales Epiſcopo Treverenſi Adalberoni, quem *excellentiſſimi ingenij & totius Philoſophiæ ſtudiis multipliciter inſignitum*, ſe verò *Chriſticolarum omnium extremum* ſatis modeſtè appellat. In Præfatione indignatur ſuo ævo tam paucos eſſe, qui Eccleſiæ hiſtoriam tractent. Indignum eſt, inquit, ut cum Hebræi, Græci & Romani res ſuas geſtas ſcriptis ad noſtram uſque notitiam traduxerint, de noſtris temporibus perpetuum ſit ſilentium, quaſi noſtra ætate hominũ actio ceſſaverit, vel nihil memoria dignum acciderit, vel nemo ad hæc literis mandanda idoneus repertus ſit, cum Notarij otio torpeant. Annales Reginonis MScriptos Cantabrigiæ in Academia haberi Cl. Voſſius de Script. Latinis meminit.

Digitized by Google

nit. Alterum Reginonis Volumen eſt, quod nos prima jam vice prælo committimus de Diſciplina Eccleſiaſtica, Archiepiſcopo Trevirenſi Rathbodo, cujus Literæ Formatæ lib. 1. cap. 426. recitantur, dedicatum. Ex hoc libro conſtat quanta in Autore SS. Antiquitatum, præſertim veterum canonum & Legum Eccleſiaſticarum notitia fuerit, qua ſuo certè ævo parem non habuit. Ex Formata Rathbodi, quæ d.l. allegatur, diſcimus, volumen hoc circa A. C. 906 conditum fuiſſe, quia eodem anno Formata iſta data eſt. Obijt circa A.C. 909 vir ſui ſeculi facilè doctiſſimus & pijſſimus.

VTILITATES LIBRI.

Ad commendandum Reginonis de Diſciplina Eccleſiaſtica ſcriptum, unius SERENISSIMI NOSTRI, Eruditione non minus, quàm Virtute, Ætate, Stemmate Principis Maximi AVGVSTVM Elogium ſatis viderique at, quo SERENITAS Ejus clementiſſimè nobis denunciavit: Wir halten es für nicht undienlich/ daß man damit fortfahre —— Es wird noch manchen tam Clerico, quam Laico zur auffmunterung dienlich ſeyn / quod ſapientiſſimum reſponſum prudenter & Auguſto Symbolo: OMNIA EXPENDE! conformiter h. e. circumſpectè prolatum, non eſt, quod quiſquam dubitet. Et quis neſcit nefas eſſe de eo dubitare, quem Princeps, nedum tantus Princeps probaverit.

Sed in gratiam cupidi Lectoris utilitates ſaltem aliquas Libelli noſtri prælibare juvat; Primo igitur luce publica digiſſimum eſt hoc Scriptum, quod ſit inſigne Venerandæ Antiquitatis κειμήλιον. Quàm ſuaviter, quæſo vel unius veteris *Numi* aſpectus animum eruditum oblectat adeò, ut quamvis ex ſe numus parvi ſit pretij, inter pretioſa tamen connumeretur, quanto majoris fieri par eſt ſcriptum tàm antiquum, à tam docto pioque Viro profectum & à tot ſeculis publici juris nondum factum; quodque Cardinalis Bellarminus, Scriptorum Eccleſiaſticorum cætera callentiſſimus non legit,

Digitized by Google

non vidit, imò cum in Bibliotheca Vaticana non reperiret, extare non credidit. Profectò ſi reliqui veterum Canonum collectores, quales ſunt *Dionyſius Exiguus*, *Fulgentius Ferrandus*, *Martinus Bracarenſis*, *Iſidorus Mercator*, *Burchardus VVormatienſis*, *Ivo Carnotenſis*, *& Gratianus monachus Bononienſis* perenne nomen apud poſteros retulerint, quod canones antiquos in corpus quoddam redegerint, honor idem Regino-ni ob ſimilem SS. Canonum collectionem debetur, cùm hinc non minus utilitatis, quam ex illorum libris in Eccleſiam redundet. Quisquis igitur antiquitatem verè æſtimat, antiquum Codicem, hactenus ἀνέκδοτον cur reſpueret?

Secundò, utiliſſimus eſt Liber, quòd egregiam *SS. Antiquitatum* & Rituum copiam exponat, v.g. de *Templis*, de *Baptiſmo*, de *Chriſmate*, de *Miſſa*, de *Subintroductis*, vel *Extraneis*, de *Eulogiis*, de *Communione Peregrina & per Viaticum*, de *Formatis* & *Pacificis*, de *Veſtibus ſacris*, de *Diebus feſtis*, de *Agapis*, de *Excommunicandi ritu*, de *Extrema Vnctione*, de *Funeribus* &c. de quibus & multò pluribus, ut ex adjuncto libri Breviario patet, Lectorem quemvis Regino pulcrè informat. Et quis Germanorum Ritus, Mores vivendi, & inſtituta Majorum ſcire non deſideret? quorum elegans Compendium liber iſte cenſendus. Vel unica *Methodus Viſitandi Eccleſias* Codici præmiſſa talis eſt, ut ex ungue leonem facilè agnoſcas. Quem quæſo non juvet venerabilem veterum Chriſtianorum *Diſciplinam* ſibi ob oculos poni, præſertim qui regendis Eccleſiis præeſt. Graviter & peritè Caſaubonus: *Circa Lapſos*, inquit, *veterum Diſciplina ſatis ſevera & prorſus admiranda fuit, cui in uſum revocandæ operam impendiſſe res futura ſit Deo gratior, quam de fidei dogmatibus ſubtiliter diſputare extra Scripturas*. Exerc. XVI. Sed impoſſibile eſt Diſciplinam veterum ſive ex toto ſive ex parte reſtitui, niſi præcognoſcas. Admirandam hanc Diſciplinam toto opere Regino perſequitur ut proinde legiſſe hoc ſcriptum ſit Sanctiſſ. Veterum Diſciplinam evolviſſe.

Tertio

Tertio liber iſte eſt quaſi *Speculum Pietatis* Veterum, cum egregias Inſtructiones Morales. Clericorum & Laicorum in magna referat copia, illis, ut ſint exemplar gregis; his ut ad normam Decalogi piè, juſte & ſobriè vivant, quæ morum præcepta in formandis quoque concionibus ſuum habebunt uſum.

Quartò conducit Liber in *Theologia Morali*, præſertim in *Doctrina Caſuum*, cum Autor Caſus conſcientiæ plurimos, qui circa Religioſos, Clericos, Monachos, Moniales; Item in homicidiis, adulterio, ſtupro, concubinatu, inceſtu, furto, rapina, uſuris, perjurio, falſo teſtimonio &c. obveniunt, ex Antiqq. reſolvat. In primis varii Caſus Matrimoniales vindice digni poſteriori libro tractantur, ut *Iuris Canonici V. E.* inſtar meritò cenſeas.

Quintò, ſi ſolos Capitulorum titulos ſpectes, ex ijſdem *Conciliorum* plurimorum notitia addiſci poterit: Fontes enim, è quibus hos rivulos Regino deduxit, ſunt Capitulares Cæſarum, Libri Pœnitentiales, Sententiæ Patrum, Leges civiles, Epiſtolæ & Decreta Pontificum, & vel maximè *Concilia*, v. g. Nicænum, Chalcedonenſe, Carthagin. Aurelian. Neocæſareenſe, Agathenſe, Turonienſe, Rhemenſe, Bracarenſe, Toletana, Triburienſe, Meldenſe, VVormatienſe, Nannetenſe, & alia, quæ percenſere nimis foret longum. Ipſe Lector Concilia in fronte cujuſvis capituli inveniet. Iure dixerim *Medullam* hanc eſſe *Conciliorum*.

Denique Sacris noſtri temporis Controverſiis inſervit opuſculum: Etſi enim Regino eo ævo quo Eccleſia ad varios abuſus & ſuperſtitiones præceps ſtetit, vixerit, & ſeculi vitio à torrente Doctorum abreptus alicubi cum errantibus erret, ſæpiſſimè tamen purioris ævi Scriptores producit & teſtem Orthodoxæ Veritatis agit, v.g. cum contra *Miſſas Solitarias*, contra *Communionem ſub una*, aliosque errores teſtimonia veterum producit. Pluribus libri Vtilitatibus percenſendis ſuperſedeo eaſque Lectori deguſtandas relinquo, bona ſpe fretus, hunc SS. Antiquitatum non ſpernendum Syllabum, pretio parabilem exiguo Studioſis SS. Antiquitatum fore acceptum; cumque vino vendibili hederam ſuſpendere opus non ſit, de paucis iſtis TE, Benevole Lector, verbo præmonuiſſe ſufficiat.

Deo interea commendatus vale, Studiiſq; noſtris porro fave ac plur. ſalve.

Digitized by Google

BREVIARIVM VTRIVSQVE

LIBRI.

Methodus Veterum Viſitandi Eccleſias.

Lib. I.

Cap. I. De Obſervantia SS. Canonum & Doctrina Vet. Eccleſiæ.
2. *De Miniſtris Epiſcoporum.*
3. *De Habendis Concionibus.*
4. *De Otio Epiſcopis dando ad obeundam functionem ſuam.*
5. *Contra Epiſcopos negligentes.*
6. *Contra Epiſcopos raro viſitantes.*
7. *Quid* { *Clericos* / *Laicos* } *in Viſitationibus docere oporteat.*
8. *Comites Epiſcopi viſitantis.*
9. *De Subſtitutis ad Viſitationem.*
10. *Inquirenda in Viſitationibus*
11. *Duo tantum ſolidi dandi Viſitatori.*
12. *Contra Epiſcopos non viſitantes, & pretium Viſit. exigentes.*
14. *De Immunitate Eccleſiarum.*
15. *Quod omnes Baſilicæ ſint ſub Epiſcopo.*
16. *De Parochiis Ruſticis.*
17. *De Vicariis Epiſcoporum in civiatibus.*
18. *De Tricennali Præſcriptione.*
22. *De Colonis Eccleſiæ.*
23. *De Conſecranda Eccleſia.*
24. *Libertas Eccleſiaſtica.*
25. *Termini Eccleſiarum.*
26. *De Novis Eccleſiis.*
28. *De Manſo Eccleſiæ.*
30. *De Privilegiis Eccleſiarum.*
31. *De Altaribus ambiguis.*
32. *De Honore Eccleſiaſticorum.*
33. *De dotibus Eccleſiæ.*
34. *De Reſtaurandis Eccleſiis.*
36. *De Reverentia Templorum.*
37. *De Fabrica templorum,*
39. *De locis dudum ſacris.*
40. *De Eccleſiis deſtructis.*
41. *De Servis Eccleſiarum.*
42. *Admonitio ad Epiſcopos.*
43. *De Nonis & Decimis Eccleſiæ.*
53. *De Annona Eccleſiæ.*
54. *Templa precum loca.*
57. *De Conviviis in Eccleſia & Agapis.*
59. *De Vino in templis non vendendo.*
60. *De Linteis Altarium.*
62 *De alterius Parochiano.*
63. *De Oblationibus Veterum.*
66. *De Vino Euchariſtiæ aqua temperando.*
67. *De Calice Dominico.*

68. De

68. De Corporali Dominico.
69. De Euchariſtia Infirmorum.
70. De Hoſtia intincta.
71. De Hoſtia innovanda.
72. De Chriſmate.
Cap. 75. De Ampullis in Cœna Domini.
76. De Chriſmate petendo.
79. De Fontibus ſacris.
80. De veſtibus ſacris.
82. De Domo Epiſcopi.
83. De Presbyterorum hoſpitio.
84. De Clericorum cœlibatu & continentia.
100. De Extraneis & Subintroductis.
105. De Viſitandis & Reconciliandis Infirmis.
114. De Pœnitentibus ſubitò mortuis.
115. De Communione privatis & ita defunctis
116. De Extrema Unctione.
119. De Communione per Viaticum.
120. Ne Communio detur Laico ad deferendum infirmis.
121. Ne pretium detur pro Baptiſmo.
122. Pro ſepultura nihil dandum.
123. De Mortuis in Templo non ſepeliendis.
128. De Infantibus ſine Baptiſmo defunctis.
131. De Miſſis intra domos privatas non agendis.
133. Contra Ebrioſos & potatores Clericos.
149. De Evomentibus Euchariſtiam.
150. & ſeq. De Clericis inter epulas canentibus, jurantibus, maledicis, rixoſis, laſcivis, ſuperbis, arma tractantibus &c.
181. De Vigiliis Clericorum.
186. De Tempore Miſſæ.
190. De Invitanda ad Orationem plebe.
191. De Cantanda Miſſa.
192. Contra Miſſas ſolitarias.
193. De Fidelibus ad communionem venientibus.
195. De diligenti cuſtodia corporis Dominici.
196. De Eccleſia ante finitam Miſſam non deſerenda.
198. De mulieribus ab ingreſſu Sacrarij prohibendis.
201. De Prædicatione presbyterorum.
206. De Admonitione ad Epiſcopos.
209. De Cura Hoſpitum.
210. De Aqua Luſtrali.
212. De Presbyteris, qui culpas peccantium reticent.
213. De Presbyteris ad prandium vocatis.
214. De rixis Presbyterorum.
215. De Conviviis Presbyterorum.
216. De Kalendis.
217. De his, qui pauperes ordinantur.
220. De Reditibus vel Oblationibus Eccleſiæ.
221. De Uſuris Clerico interdictis.

240. De

Digitized by Google

230. De Ordinatis datâ pecuniâ.
239. De munere, quod à Lingua pendet.
240. De Clericis aliorum Eccleſias vel beneficia captantibus.
243. De Eccleſiis inter hæredes diviſis.
245. Ne Laici Eccleſias teneant vel Decimas accipiant.
248. De Clericis, qui relictis Eccleſiis ſuis ad alias migrant.
254. De Clericis Ptochéo præfectis.
255. Ne Presbyser plures unâ Eccleſias habeat.
260. De Pœnitentibus ad bibendum vinum non invitandis.
262. De Forma Baptiſmi.
264. De Tempore Baptiſmi.
266. De Infantibus Expoſitis.
267. De Mortuis ante Confirmationem.
268. De Rebaptizatis.
271. De Baptiſteriis.
272. De Symbolo & Oratione Dominica.
275. De Litania Majore.
276. De Diebus Rogationum.
277. De Iejunio IV temporum.
278. De Vigiliis Sanctorum.
279. De Indicto jejunio.
284. De Uſura.
286. De Fœnore.
288. De Confeſſione & Pœnitentia per Quadrageſimam.
289. De Pœnitentibus.
292. De Danda Pœnitentia.
293. Qualiter Epiſcopi ſuſcipere debeant pœnitentem.
265. Nullus niſi Epiſcopus vel Presbyter confiſſionem audire præſumat.
299. De Modo dandæ pœnitentiæ.
300. De Pœnitentibus diſcernendis.
312. Clerici ne Nuptiis interſint.
325. De Tempore, quo ſe continere debent coniugati ab uxoribus.
327. De Quadrageſima Veterum.
328. Ante Communionem coniuges abſtinere debent.
329. De Eulogiis populo à Presbytero dandis.
330. Presbyteri cum ſtola incedant.
332. Ne Clerici laicis veſtibus induantur.
335. Ne Presbyteri per pecuniam Eccleſias obtineant.
336. Non ubique locorum Miſſa agenda.
337. Ubi ſit Miſſa celebranda.
338. De Decimis fiant (4) portiones.
339. Ne Epiſcopus rem Eccleſiæ alienet.
341. De Domibus Clericorum.
356. De Theſauris Eccleſiaſticis.
359. De Precariis.
363. De Commutationibus.
368. De Diebus Dominicis.
369. Quid die Dominico liceat.
372. De Diebus Feſtis.
374. De Non flectendo genu.
376. Cantica turpia prohibenda.
377. Ne ſuper mortuos cantetur.

378. Epi-

Digitized by Google

378. *Epiſcopus ne fiat ἀλλοτριοεπί-σκοπος.*
381. *Non oportet abſolutè quosvis ordinare.*
385. *Nemo alterius ſervum ordinet.*
390. *De Servorum ordinatione.*
391. *De Peculio ſervorum.*
392. *De Peculio Ordinatorum.*
393. *De Eccleſiarum ſervis.*
394. *De Monaſteriorum familiis.*
395. *Formula concedendi Libertatem.*
403. *De Diaconis.*
405. *De Illiteratis Presbyteris.*
406. *Criminoſi ad Clerum non admittendi.*
408. *De Filiis non legitimis.*
409. *Ne quis alterius Clericum ſuſcipiat.*
411. *De Transfugis Clericis.*
414. *De Literis Pacificis & Commendatitiis.*
426. *De Literis Canonicis.*
426. *De Literis* FORMATIS *eaque ſcribendi ratione.*
428. *Nemo Presbyterum ſeu Diaconum his præferat, qui ante ipſos ordinati ſunt.*
430. *Qualiter Epiſcopus ordinandus & examinandus.*

Lib. II.

Cap. I. De modo Viſitandi generalis inſtructio & Examen Viſitatorum.
3. *De Iurejurando Synodali.*
4. *Allocutio Epiſcopi ad Plebem, quam viſitat.*
5. *Interrogatio Epiſcopi de ſtatu Parochiæ, quam viſitat.*
6. *De Pœnitentia homicidarum.*
27. *De Parricidis & fratricidis.*
30. *De Eo, qui hominem in Eccleſia interfecit.*
31. *De Injuriis ſacerdotum vel Clericorum.*
32. *De Ictu ſine ſanguinis effuſione.*
41. *De Eo, qui Sacerdotem occidit.*
43. *De Eo, qui Presbyterum degradatum occidit.*
44. *De Homicidiis Clericorum.*
48. *De Homicidio Linguæ.*
49. *De His, qui pro nihilo ducunt homicidium in bello perpetratum.*
52. *De Parricidis.*
54. *De Truncationibus membrorum.*
56. *De Parricidio.*
57. *De Domina, quæ ancillam occidit.*
59. *De His, qui infantem ſuum opprimunt aut ſuffocant.*
63. *De his qui infantes conceptos ex adulterio necare ſtuduerunt.*
70. *De Infantibus expoſitis.*
74. *De His, qui uxores occidunt.*
77. *De Duello ob imputatum adulterium olim exerceri ſolito.*
79. *De Parricidis.*
81. *De Faidis cohæredum.*
82. *De Fœmina, quæ virum per maleficium interficit.*
88. *De Eo, qui hominem caſtraverit.*

d

90. De

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

90. De Circumciſione.
92. De his, qui ſe interficiunt.
93. De Suſpenſis.
90. De Iudæis non occidendis.
96. De Homicidiis furioſis.
97. De Occiſis in turba.
98. De Homicidiis occultis.
99. De Adulteriis & fornicationibus.
107. De Legitimis coniugiis.
110. Coniuges ſine judicio Eccleſiaſtico non ſunt ſeparandi.
113. De Eccleſiaſtico judicio in cauſa Matrimonij.
115. De Vxore, quæ innocentiam duello defendit.
117. De Inſidiis conjugum.
107. De Coniugiis ſervorum.
124. De Vxore velata.
127. De Virgine violata in uxorem ducta.
128. De Coniugio furioſi.
130. De Adulteris.
131. De Fornicatione & ſtupro.
135. De Iterata fornicatione.
138. De Occultis adulteriis.
139. De Adultera conſcio marito.
141. De Lenociniis.
142. De Coniugio cum infidelibus.
143. De Adulteriis Extranearum.
144. De Maritis accuſantibus.
150. De Concubitu ante copulam.
151. De Dilatione ſponſaliorum.
152. De Copula Sacerdotis.
153. De Deſponſatis.
155. De Raptoribus.
157. De Raptu.
163. De Monachis non continentibus.
165. De Virginibus ſacratis, ſi mœchatæ fuerint.
168. De Monialium ſtudiis.
172. De Viduis ſecularibus & Monialibus vagantibus.
175. Mulier in Eccleſia taceat.
176. De Velanda virgine.
181. De Concubinis.
182. De Maritis captis.
184. De Inceſtuoſis.
185. De Gradibus probibitis.
187. De furto viduæ.
188. De Viduis velandis.
191. De Inceſtis.
202. De Variis Caſibus Matrimonialibus.
229. De Iuramento coniugum.
230. Iuramentum de parentela.
233. Iuram. de inceſtuoſo diſcidio.
235. De Occiſo coniuge.
237. Invocatio de morte viri.
238. Iuramentum de homicidio imputato.
239. Iuram. de Reconciliatione coniugum.
241. De Impotentia coniugum.
245. De Diverſarum perſonarum fornicatione.
246. De Inceſtu.
247. De Sordidatione puerorum.
248. De Menſtruis abſtinendis.
248. De Mulieribus.
250. De Oſculo & amplexu.

251. De

Digitized by Google

251. De Clericis impuris.
252. De Quadrupedum fornicatione.
253. De Sodomitis.
265. De Furto & rapina.
277 De Rapina & violentia.
297. De Contumacia ſeu Rebellione.
309. De Perjurio.
333. De Falſo teſtimonio.
344. De Eo, qui hominem furatus eſt.
347. De Incantatoribus & ſortilegis.
379. De Cibis prohibitis.
374. De Liquore prohibito.
375. De Sanguine non edendo.
376. De Litigantibus.
382. De Dei Iudicio.
383. De Oblationibus defunctorum.
384. De Oblationibus ab Eccleſia non tollendis.
388. De Maioribus Feſtis & die Dominico.
393. Ne qua communio ſit cum excommunicatis.
408. De Variis excommunicandi formulis, totoq; Excommunicationis ritu.
415. Reconciliatio Excommunicati.
416. De Maledictoribus parentum.
418. De Mendicis.
420. De Contemtoribus Cleri.
421. De Contumacia.
422. De Hoſpitalitate.
423. De Honorandis Presbyteris.
425. De Profugis.
426. De Advenis.
427. De Menſuris.
429. De Conſpirationibus.
433. De Confratriis.
434. De Ambitu Clericorum.
435. De Mure in potum lapſo.
436. De Variis criminibus.
437. De Oblatione pro Excommunicato.
438. De Eo, quem neceſſitas facit furem.
439. De Redemtione impoſita Pœnit.
443. De Pretio unius anni redimendo.
444. De Pretio unius diei redimendo.
447. De Pœnitentia VII. annorum uno anno implenda.
NB. Huc uſq; in MS. capita fuere numerata.
448. De Scriptis contra fidem.
449. Fœminæ parent lintea.
450. De Concupiſcentia mulieris.
451. De Non dimittenda uxore.
452. De Non dimittendo marito.
453. De Permutatione veſtium.
454. De Ασοτία.
455. De Iejunio diei Domini.
456. De Feſtis in Quadrageſima.
457. De Eccleſiis ſervorum.
458. De Exorciſtis.
459. De Servo fugiente.
460. De Oblationibus.
461. De Ieiunio Sabbatis.
462. De diebus jeiuniorum.
463. De Captivis alendis.
464. De Silentio mulierum.
465. de Servis ad templa fugientibus.
466. de Accuſantibus in ſynodo.

467. *Accuſationes per literas ſiant.*
468. *de Iniuria Sacerdotibus illata.*
469. *de Occiſo fure.*
470. *Ne Sacerdos vexetur.*
472. *de Clericis loca mutantibus.*
473. *de Odio in fratres.*
475. *de Lapſis Sacerdotibus.*
476. *Ne Sacerdotes iurare compellantur.*
477. *de Eccleſiaſtica controverſia teſtibus.*
478. *de Medico malè curante.*
479. *de Clericorum tonſura.*
480. *de Puellis Monialibus factis.*
481. *de Laicis morientium Presbyterorum ſubſtantiam diripientibus.*
482. *de Manſo & decimis.*
483. *de Servili conditione ad Clerum nemo promoveatur.*
484. *de Bonis eccleſiaſticis.*
485. *de Patrimonio Clericorum.*
486. *de Fœminis religioſis domi ſuæ viventibus.*
487. *de Viduis.*
488. *de Virginibus non velatis.*
489. *Ne Clerici viduarum familiaritati aſſocientur.*
490. *de Viduis, quæ Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentantur.*
491. *de Viduis, quæ profeſſa continentia prævaricantur.*
492. *de Fœminis, quæ viduitatem coram Epiſcopo profeſſæ ſunt.*
493. *de Virginibus, quæ infra XXV annos neceſſitate cogente velantur.*
494. *Ne liceat mulieri ſanctum velum acceptum dimittere.*
495. *de Communicantibus.*
496. *Si Sacerdos moritur, quid de rebus eius obſervetur.*
497. *de Sacerdotibus accuſatis.*
498. *Ne quis ſine Actore condemnetur.*

F I N I S.

N O T A.

I. Summa Capitum utriuſque Libri, ſunt 928. vel ſi ſolùm capita in MS. noſtro numerata computes 877. Vterque numerus circa 900 Capita, quot Trithemius memorat, ſubſiſtit.

II. Titulos Capitum in MS. prolixos minuſque latinos, ſæpe aliis adhibitis vocibus, conciſiores & planiores fecimus.

III. Libro I Clericos; L. II Laicos informari κατὰ τὸ πλεῖστον verum eſt. Aliàs & Primo Lib. quæ ad Laicos; & Secundo, quæ ad Clericos pertinent, non pauca invenire eſt.

IV. Ne turbet Lectorem in tam variis materiis de una ſæpe re v. g. *Parricidio* diverſis locis ab Autore agi. Breviario per lecto, ſuo quodvis loco B. L. facile reponet.

IN-

Digitized by Google

INSTRVCTIO DE HIS,

QVÆ IN VISITATIONIBVS ECCLESIARVM EPISCOPVM VEL EIVS MINISTROS PER VICOS, PAGOS ET PAROCHIAS SVÆ DIOECESEOS INQVIRERE OLIM OPORTVIT.

INprimis inquirendum eſt, in cujus Sancti honore conſecrata ſit Baſilica vel à quo fuerit conſecrata. Poſt hæc ipſa eccleſia circumſpiciatur, ſi bene ſit cooperta atque camerata: & ne ibi columbæ vel aliæ aves nidificent propter immmudiciem ſtercoris ſive importunitatis inquietudinem. Cap.I.

Quo metallo ſint ſigna ipſius eccleſiæ? 2.

An fœnum, annona aut tale aliquid in eccleſia mittatur. 3.

Deinde ad altare accedere oportet & contemplari, qualia ſint indumenta ejus, quæ nova, & quot vetuſta & qualiter nitida? 4.

Quo metallo ſint capſæ & cruces coopertæ, aut an diligenter reconditæ ſint reliquiæ in altari, aut an ipſæ capſæ ſeris & clavis munitæ ſint. 5.

Quo metallo ſit calix & patena, & an mundus ſit ab omni ſorde aut ubi reponatur? 6.

An corporale ex mundiſſimo & nitidiſſimo linteo ſit, & ubi recondatur? 7.

An locus ſit in Secretario, aut juxta altare præparatus, ubi aqua effundi poſſit, quando hæc abluuntur, & ſi vas ibi dependeat, ubi ſacerdos manum lavet poſt perceptionem corporis & ſanguinis Domini: & Preſbyter, Diaconus aut ſubdiaconus ibi primò corporale lavet. 8.

Digitized by Google

9\. Inquirendum, an pyxis ſemper ſit ſuper altare cum ſacra oblatione ad viaticum infirmis?

10\. An miſſalem plenarium, lectionarium & antiphonarium habeat: nam ſine his miſſa perfectè non celebratur.

11\. Videndum etiam, quot alii libri ibi ſint, & an benè ſint recitati; quot & alia veſtimenta ſacerdotalia ibi ſint, & an ſint nitida, aut in nitido loco collocentur.

12\. Requirendum de luminaribus eccleſiæ, & quot Cerarios habeat.

13\. Inveſtigandum, an habeat ipſa eccleſia manſum habentem bona arva duodecim, præter cæmeterium, & curtem ubi eccleſia & domus Presbyteri continetur, & an habeat mancipia quatuor.

14\. Quot manſos habeat ingenuiles, & quot ſerviles, aut accolas, unde decima reddatur.

15\. Conſiderandum etiam, ſi atrium eccleſiæ ſit ſepe munitum, ne aliqua immunditia polluatur.

DE VITA ET CONVERSATIONE PRESBYTERI.

16\. Inquirendum, an Presbyter cellam habeat juxta eccleſiam aut an ſuſpicioſa in circuitu oſtiola ſint.

17\. An ſuſpicioſus de aliqua fæmina ſit aut in ſua domo aliquam mulierem ſubintroductam habeat.

18\. An viſitet infirmos, an eos reconciliet, an eos ungat oleo ſancto juxta Apoſtolum, an eos propriâ manu communicet, & non per quemlibet laicum. An tradat communionem laico, aut fæminæ ad deferendum infirmo quod nefas eſt.

19\. An pro baptizandis infantibus aut infirmis reconciliandis, vel mortuis ſepeliendis pretium & præmium vel munus exigat.

20\. Illud ſuper omnia perſcrutandum, an ſine baptiſmo per negligentiam Presbyteri aliquis infans in parochia mortuus ſit.

An per

Digitized by Google

An per domos extra eccleſiam Miſſam cantet. 21.
An ſit ebrioſus vel litigioſus. 22.
An arma ferat in ſeditione. 23.
An canum aut avium jocis deſerviat. 24.
An in tabernis bibat. 25.
An clericum habeat, qui legat Epiſtolam vel lectionem & qui ad miſſam reſpondeat, & cum eo pſalmos cantet. 26.
An nocturnis horis ad matutinas laudes perſolvendas de nocte ſurgat. 27.
An Primam, Tertiam, Sextam, Nonam certo tempore ſigno eccleſiæ denunciet, & curſum debitum decantet. 28.
An Miſſarum ſolemnia non ante horam tertiam celebrentur. 29.
An Presbyter (quod abſit) poſtquam cibum aut poſumpſerit Miſſam celebrare præſumat. 30.
An Thuribulum habeat & in cenſum in ſacrificio Domini offerat. 31.
An verbum Domini populo annunciet. 32.
An tempore ſtatuto id eſt circa horam diei tertiam Miſſam celebret, & poſt hæc uſque ad medium diem jejunet, ut hoſpitibus, & peregrè venientibus, ſi neceſſe fuerit poſſit Miſſam cantare. 33.
An curam pauperum & peregrinorum, & orphanorum habeat, eoſque juxta poſſibilitatem ſuam ad ſuum prandium invitet. 34.
An aquam benedictam omni die Dominico ante Miſſarum ſolemnia faciat in vaſe nitido, & tanto miniſterio convenienti, de qua populus intrans eccleſiam, & ſtans in eccleſia aſpergatur. 35.
An calicem aut patenam vel veſtimentum ſacerdotale aut librum præſumat tabernario, vel negotiatori in vadium (vadimonium) dare. 36.
An xenium vel quodcunque emolumentum tempora- 37.

 le,

Digitized by Google

le, imò detrimentum ſpirituale à quocunque publicè peccante, vel inceſtuoſo accipiat, ut Epiſcopo, vel ejus miniſtris peccatum illius reticeat.

38. An aliquem minus digne pœnitentem favoris aut familiaritatis, aut conſanguinitatis gratia ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium recociliationis ferat.

39. An quando ad anniverſarium diem triceſimum, ſeptimum vel tertium alicujus defuncti vocatus fuerit, ſe inebriare in amore ſanctorum vel ipſius animæ bibere, & alios ad bibendum cogere, vel ſe aliena precatione ingurgitare, & plauſus & riſus inconditos & turpia joca (turpes jocos) & cantus indecentes facere præſumat.

40. Si nihil patrimonii habens, quando provectus (promotus) eſt ad dignitatem eccleſiaſticam, poſtea emit prædia, cujus juris ſunt?

41. An uſuras exigat, & conductor ſui ſenioris exiſtat.

42. AN MISSAM CANTET, ET NON COMMUNICET.

43. An fœminam ad altare permittat accedere, & quod non licet, calicem Domini tangere.

44. An per pecuniam fuerit ordinatus vel ipſam, in qua cantat, pretio obtinuerit eccleſiam.

45. An aliam ante habuerit eccleſiam & ea dimiſsâ ad aliam quæſtus causâ migraverit.

46. An plures teneat eccleſias ſine aliorum Presbyterorum adjutorio.

47. An in alterius Parochia Miſſam cantat abſque compresbyteri voluntate, vel rogatu.

48. An decimam ad alterum pertinentem recipit.

49. An pœnitentem invitat carnem manducare, & bibere vinum, niſi pro eo ad præſens Eleemoſynam fecerit.

50. An chartas ſcribat, vel ſui ſenioris conductor exiſtat.

51. An indifferenter baptizet.

An non

An non habet fontes lapideos, vel aliud vas ad hoc præparatum, in quo nihil aliud fiat. 52.

An orationem Dominicam & Symbolum omnibus ſuis parochianis inſinuatum habeat. 53.

DE LITANIA MAIORE. 54.

DE ROGATIONIBVS. 55.

An Iejunium quatuor anni temporum plebi omnibus modis obſervandum annunciet. 56.

An feria quarta ante quadrageſimam plebem ſibi commiſſam ad confeſſionem invitet, & ei juxta qualitatem delicti pænitentiam injungat non ex corde ſuo, ſed ſicut in pænitentiali ſcriptum eſt. 57.

An tribus temporibus anni, id eſt, in feſto Natali, Paſchali & Pentecoſtes omnes fideles ad communionem corporis & ſanguinis Domini accedere admoneat. 58.

An illud etiam admoneat, quibus temporibus conjugati à propriis uxoribus abſtinere debent. 59.

Vt nullus Clericus ad nuptias pergat. 60.

An de oblationibus, quæ à populo offeruntur, die Dominico & diebus feſtis expleta Miſſa Eulogias plebi tribuat. 61.

An ſine ſtola vel orario in itinere incedat. 62.

An poſtponens clericalia veſtimenta laicorum indumentis utatur. 63.

An aquam cum vino miſceat in Sacrificio Domini. 64.

An expletâ Miſsâ reliquum corporis & ſanguinis Domini ipſe Presbyter cum timore & reverentia ſumat. 65.

An ſi Diaconum & Subdiaconum non habet ipſe manu propria calicem & patenam abluat, atque abſtergat. 66.

An abſque alba, aut cum illa alba, quâ in ſuos uſus quotidie utitur, miſſam cantare præſumat. 67.

An rem eccleſiæ aut poſſeſſionem aut mancipium vendere, commutare aut quocunque ingenio alienare præſumſerit. 68.

Digitized by Google

69. An de decimis quatuor ſiant portiones.

70. An diem Dominicum & alias feſtivitates abſque opere ſervili à veſpera in veſperam celebrare doceat.

71. An plebem admoneat, ut in atrio eccleſiæ nequaquam cantent aut choros mulierum ducant, ſed eccleſiam ingredientes verbum Dei cum ſilentio audiant.

72. An carmina Diabolica, quæ ſuper mortuos nocturnis horis ignobile vulgus cantare ſolet, & cachinnos quos exercent, ſub conteſtatione Dei omnipotentis prohibeat.

73. An offerentes inſtruat, ut candelam, & quicquid aliud ad altare deferre placuerit, ante Miſſam, vel antequam Evangelium legatur, offerant.

74. Oblationem autem unam tantummodo oblatam ad offertorium pro ſe ſuiſque omnibus unuſquiſque offerat.

QVID SIT A PRESBYTERO REQVIRENDVM.

75. Poſtquam hæc omnia diligenter inveſtigata fuerint, tunc ipſe Presbyter ab Epiſcopo . vel ejus vicario percunctandus eſt.

76. Si ex ingenuis parentibus ſit natus, aut ex ſervili conditione.

77. An de eadem Parochia aut de alia ſit natus vel ordinatus.

78. An ſit de eadem Parochia, inquirendum eſt, à quo Epiſcopo fuerit ordinatus, vel ad quem locum prætitulatus.

79. Si ſervus eſt, chartam libertatis ſuæ oſtendat.

80. Si ſit de alia Parochia, oſtendat litteras commendatitias, quas Formatam vocant.

An ulla parte corporis eſt imminutus.

An ſeipſum abſcidit.

POST HÆC DE MINISTERIO SIBI COMMISSO INQVIRENDVM EST.

81. An expoſitionem Symboli atque Orationis Dominicæ juxta

Digitized by Google

juxta traditionem Orthodoxorum Patrum penes ſe ſcriptam habeat, & eam pleniter intelligat, & inde prædicando populum ſibi commiſſum ſedulò inſtruat.

An orationes Miſſarum, Præfationem quoque Canonis, & eundem canonem benè intelligat, & memoriter ac diſtinctè proferre valeat. 82.

Si Epiſtolam & Evangelium benè legere poſſit atque ſaltem ad literam ejus ſenſum manifeſtare. 83.

An Pſalmorum verba & diſtinctiones regulariter ex corde cum canticis conſuetudinariis pronunciare ſciat. 84.

An ſermonem Athanaſii Epiſcopi de fide ſanctæ Trinitatis, cujus initium eſt: Quicunque vult ſalvus eſſe, memoret teneat, & ſenſum illius intelligat, & verbis communibus enunciare ſciat. 85.

An Exorciſmos & orationes ad Catechumenum faciendum, ad fontem quoque conſecrandum, & reliquas preces ſuper maſculum & fœminam pluraliter & ſingulariter, diſtinctè & rationabiliter proferre valeat. 86.

Similiter ordinem baptizandi ad ſuccurrendum infirmis. 87.

Ordinem quoque reconciliandi, juxta modum canonicè ſervatum, atque ungendi infirmos, orationes quoque eidem neceſſitati competentes, an benè ſcit legere, aut memoriter enunciare. 88.

Similiter ordinem & preces in exequiis atque Agendis defunctorum. 89.

An memoriter teneat exorciſmos & benedictiones aquæ & ſalis. 90.

An cantum nocturnum atque diurnum noverit. 91.

An computum Minorem, id eſt, Epactas concurrentes, regulares terminos paſchales & reliquos ſapiat. 92.

An habeat martyrologium, ex quo certis diebus natalitia ſanctorum populo aununciet. 93.

C

An ha-

94. An habeat quadraginta homilias Gregorii,& eas ſtudioſè legat, atque intelligat, vel ſi eas habere non poteſt, ſermonem prædicti Doctoris de ſeptuaginta Diſcipulis à Domino ad prædicandum miſſis habeat & diligenter legat, & intelligat, & cognoſcat, ſe ad formam ſeptuaginta Diſcipulorum in miniſterio eccleſiaſtico eſſe promotum.

85. An habeat Pænitentiale Romanum, vel à Theodoro Epiſcopo aut à Venerabili Presbytero Beda editum, ut ſecundum quod ibi ſcriptum eſt, interroget confitentem aut confeſſo modum pænitentiæ imponat.

FINIT INQVISITIO.

Subjungit Autor:

HÆC, QVÆ HIS CAPITVLIS INQVIRENDA EXPRESSIMVS, AVTORITATE CANONICA ROBORARI OPORTET.

Nos Tractatui de Veteris Germaniæ Diſciplina hanc Normam Viſitandi Eccleſias ideò præmiſimus quod ea ipſa Codici Manuſcripto ſimiliter præmiſſa, & eadem manu quâ Tractatus, conſcripta eſſet ejuſq; Lectio de variis Antiqq. Eccl. Studioſos admoneret.

DE

Digitized by Google

DE VETERIS GERMANIÆ DISCIPLINA ECCLESIASTICA LIBER UNUS.

DE OBSERVANTIA CANONVM ET DOCTRINÆ VET. ECCL.

Cap. I.

Ex Concilio Meldenſi, quod factum fuit temporibus Caroli Iunioris Anno Incar. DCCC XLV. V. Kalendarum Iulii Indict. IIX. Titul. X.

CAnonum ſtatuta ſine præjudicio ab omnibus cuſtodiantur, & nemo in actionibus vel judiciis eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum auctoritate ducatur. In exponendis vel prædicandis divinis Scripturis SS. Catholicorum & probatiſſimorum Patrum ſenſum quisque ſequatur, in quorum ſcriptis, ut Beatus dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillat.

DE MINISTRO EPISCOPI. EX eodem Concilio Tit. XI.

II. ex Concil. Meldenſi.

Quisque Epiſcopus talem juxta ſe pro viribus habere decertet, qui juxta ſinceriſſimum & puriſſimum ſenſum Catholicorum Patrum fide & obſervatione mandatorum Dei & prædicationis doctrina Presbyteros plebium aſſiduè inſtruat & informet, ne domus Dei Vivi, quæ eſt Eccleſia, ſine lucerna verbi divini remaneat. Sed & idem talis exiſtat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi mores, vel converſatio reprehenſibilis contemptibilem reddant. Hinc eſt, quod cum Moſes querelam in conſpectu Dei deponeret, ſe non poſſe portare tantum onus, quod ei fuerat impoſitum, audivit à Domino: Congrega mihi

ſeptuaginta viros de ſenioribus in Iſraël, quos noſti, quod Seniores populi ſint ac magiſtri, & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum Onus populi, nec tu ſolus graveris. Quid in Moſe niſi ſummum ſacerdotium? Quid in Septuaginta viris, niſi Presbyteros accipimus? Quod autem Dominus aufert de Spiritu Moſis & his tradit, patenter oſtendit, quod Presbyteri ab Epiſcopo in Dei conſpectu vocati ſint, ut cum Epiſcopo onus populi ſuſtentent. Eadem, quæ Chriſtus ſentire debent, eadem velle & in partito ſibi onere totis viribus cooperari Hoc enim ſignificat, quod non alium, ſed ejuſdem Moſis Spiritum accipiunt.

De Habendis Concionibus. Ex Capit. Caroli M. cap. III.

Cap. III. Epiſcopos monemus, ut ſive per ſe ſive per vicarios pabulum verbi divini ſedulo populis adminiſtrent, quia ut ait Beatus Gregorius, iram contra ſe occulti judicis excitat ſacerdos, ſi ſine prædicationis ſonitu incedat.

Quod à Rege poſtulandum ſit, ut epiſcopi ad Miniſterium ſibi commiſſum vacare poſſint. Ex ſupra dicto Conc.

IV. Regia magnificentia liberiorem libertatem Epiſcopis ad peragendum in eorum parochiis miniſterium præſtet, quam hactenus propter diverſas perturbationes habuerunt, ipſi autem Epiſcopi conceſſum ſibi otium non in ſuas voluptates, ſed in divinum & officioſum negotium convertant, & ſtudentes prædicationibus, correctioni & Confirmationi; quod hactenus per parochias fuit neglectum, ſolerter de cætero emendent.

Ne Epiſcopi propter ſuam quietem Plebes ſibi commiſſas negligant. Ex eodem Concilio.

V. Providendum eſt, ne Epiſcopi propter ſuam quietem ad remotiora loca ſecedentes, & ſuum miniſterium negligentes proprias civitates deſerant, ſed Parochias ſuas cum officij efficacia circumeant, aut in ſuis civitatibus cum religione canonicè cum filiis ſuis degant. Presbyteros etiam ſibi commiſſos doctrina,

caſtitate

Digitized by Google

caſtitate, ſobrietate & hoſpitalitate ſecundum Miniſterium ſuum ornari compellant.

De Epiſcopis raro aut nunquam per ſeipſos plebes ſuas viſitantibus. Ex eodem Conc. Cap. VI.

Vt quorundam Epiſcoporum reprehenſibilis, imò damnabilis conſuetudo omnibus modis corrigatur qui plebes ſibi creditas aut rarò aut nunquam per ſeipſos juxta ordinem Evangelicum & Apoſtolicum atque Eccleſiaſticum viſitant, cum Dominus dicat: Speculatorem dedi te domui Iſraël, & audies ex ore meo verbum & annunciabis eis ex me, & quæ plura ibi divinus ſermo complectitur.

Epiſcopus ambulet per ſuam diœceſin ex Conc. Bracarenſi. VII.

Placuit omnibus Epiſcopis, atque convenit, ut per ſingulas eccleſias & diœceſes ambulantes primùm Clericos diſcutiant, quomodo ordinem Baptiſmi vel Miſſæ teneant, & qualiter quæcunque Officia in eccleſia peragantur: & ſi rectè quidem invenerint, Deo gratiari; ſin autem minimè, docere ignaros debent, & omnibus modis præcipere, ut ſicut antiqui canones jubent, ante dies viginti ad purgationem Exorciſmi Catechumeni currant, intra quos viginti dies omninò Catechumeni Symbolum, quod eſt: Credo in Deum, ſpecialiter doceantur.

Quid laicos docere oporteat.

Poſtquam ſuos Clericos diſcuſſerint, vel docuerint Epiſcopi, alia die convocatâ plebe ipſius Eccleſiæ doceant illos, ut errorem fugiant idolorum, & diverſa crimina, verbi gratia homicidium, adulterium, perjurium, falſum teſtimonium & reliqua peccata mortifera; ne quod nolunt ſibi fieri, faciant alteri, & ut credant reſurrectionem omnium hominum & diem judicij, in quo unus quisque ſecundum opera ſua recepturus ſit, &c. Poſtea Epiſcopus de illa eccleſia ad aliam proficiſcatur.

Epiſcopus cum paucis parochiam ſuam circumeat. Ex Conc. Toletano IIX.

Cum Epiſcopus ſuam Diœceſin viſitat, nulli præ multitudine onerоſus exiſtat, nec unquam quinquagenarium numerum eve-

ctionis excedat aut amplius uno die per unamquamque Baſilicam commorandi licentiam habeat.

Cap. IX. Si epiſcopus id explere nequiverit. Ex eod. Conc. Cap. VI.

Quod ſi Epiſcopus aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, Presbyteros probabilis vitæ aut Diaconos mittat, qui reditus Baſilicarum & reparationes & miniſtrantium vitam inquirant.

X. Epiſcopi ſuam diœceſin accuratè viſitent. Ex Capitulis Synod. Caroli. M.

Epiſcopi circumeant Parochias ſibi commiſſas, & ibi ſtudium inquirendi habeant de inceſtu, de parricidiis, adulteriis & aliis malis, quæ contraria ſunt Deo, & quæ Chriſtiani devitare debent, & intra illorum Parochias Eccleſiarum, quibus neceſſe eſt, emendandi curam habeant, & tam noſtras à nobis in beneficium datas, quam aliorum ſummo ſtudio provideant.

XI. Epiſcopus duos ſolidos tantum accipiat, cum ſuam Barochiam circumit. Ex Conc. Bracarenſi Cap. XI.

Placuit, ut nullus Epiſcoporum cum ſuas Diæceſes viſitat præter honorem cathedræ ſuæ, ideſt. duos ſolidos aliquid aliud per eccleſias tollat; neque tertiam partem ex quacunque oblatione populi in eccleſias à Parochialibus porrò requirat, ſed tertia illa pars pro luminaribus eccleſiæ vel reparatione ſervetur, & ſingulis annis Epiſcopo inde ratio fiat. Nam ſi tertiam illam partem Epiſcopus tollat, lumen & ſarta tecta eccleſiæ abſtulit.

XII. De Epiſcopis, qui non viſitatis Parochiis pretium ſervitutis requirunt. Ex Conc. apud Tributias habito tempore Arnolphi cap. XXVI.

Delata eſt coram ſancta ſynodo querimonia plebium, quod ſint quidam Epiſcopi, nolentes ad prædicandum vel confirmandum Parochias ſuas per annum circumire, qui tamen exigunt, ut manſiones, quibus in profectione uti debuerant, alio pretio redimant,

dimant hi, qui parare debent. Hæc duplex infamia & negligentia & avaritia ſanctæ ſynodo horrori fuit magno, & ſtatuerunt, ne quis penitus ultra exerceat hoc cupiditatis ingenium & ut ſollicitiores ſint Epiſcopi de gregibus ſuis viſitandis.

Ex Capitulis Synodalibus Caroli Imperatoris Tit. XCIV. Ca. XIII.

Ne verò Epiſcopi occaſione prædicandi aut confirmandi oneri eſſent populis, admoniti à nobis polliciti ſunt, ſe deinceps hoc cavere velle & eo tempore Miniſterium ſuum, in quantum facultas datur, exequi apud hos, quibus prodeſſe poſſunt, ne eorum profectio quantum in illis eſt, ſit importuna vel oneroſa.

De Immunitate eccleſiarum. Ex eodem Capitulari Tit. C. III. XIV.

Denunciandum eſt omnibus, & à miſſis noſtris ordinandum, ut omnis eccleſiæ Presbyteri ſub immunitate, & privilegio, ordinatione & diſpoſitione Epiſcoporum ſingularum Parochiarum, in quibus conſiſtunt, ſecundum authoritatem Canonicam permaneant.

Quod omnes Baſilicæ in poteſtate Epiſcoporum ſint. Ex Concilio. Aurelianenſi Capit. XIII. XV.

Omnes Baſilicæ, quæ per diverſa loca conſtructa ſunt vel quotidie conſtruuntur, placuit ſecundum priorum canonum Regulam, ut in ejus Epiſcopi, in cuius territorio poſitæ ſunt, poteſtate conſiſtant.

De Parochiis. Ex Conc. Chalcedonenſi Capit. XIX. XVI.

Singularum Eccleſiarum ruſticas Parochias, vel poſſeſſiones (volumus) manere iuconcuſſas illis Epiſcopis, qui eas retinere noſcuntur, & maximè ſi per tricennium eas abſque vi obtinentes ſub diſpenſatione rexerint. Quod ſi intra tricennium facta fuerit de his vel fiat altercatio, licere volumus eis, qui ſe læſos aſſerunt, apud Sanctam Synodum Provinciæ hac de re concertare.

CXVII. ## De Vicariis epiſcopi in civitatibus relinquendis. Ex Capitulis Caroli Iunioris Titulo VII.

Quoniam Epiſcopi, qui noſtris & communibus Eccleſiæ & totius regni neceſſitatibus occupati ſunt, non valent cuncta ſoli proſpicere, quæ intra fines Parochiæ illorum perpetrantur, ſtatuimus, ut quotiescunque Epiſcopi à propria civitate digrediuntur, tales adjutores unusquisque in ſua civitate relinquat, qui hæc omnia prudentiſſimè in civitate peragant, ut pauperes ſanguine Chriſti redempti ſemper in civitate præſentem inveniant, à quo reſponſum & conſolationem accipiant. In vicis autem & villulis longè à civitate remotis, conſtituat unusquisque Epiſcopus Reverendos & Cautos & morum providentia temperatos Presbyteros, qui ſua vice ſuperius ſtatuta modeſte perficiant, & ad quos alij Presbyteri juniores vel minus cauti cauſas ſuas referant.

XIIX. ## De Tricennali Præſcriptione. Ex epiſtola Gelaſii Papæ.

Illud etiam annecti placuit, ſi qui, quod abſit, facultates eccleſiæ & Diœceſeos ab aliis, à quibus poſſidentur, Epiſcopis jure ſibi vendicent, quod tricennalis Lex concluſit, quia & filiorum noſtrorum, Principum ita emanavit autoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat pro eo appellare, quos Legum tempus excludit.

XIX. ## De Rebus per triginta annos poſſeſſis ex Capitul. Ludovici Imperatoris Tit. VII.

De rebus eccleſiarum, quæ per triginta annorum ſpatium ſine ulla interpellatione poſſeſſæ ſunt, teſtimonia non recipiantur, ſed eo modo contineantur, ſicut res ad fiſcum dominicum pertinentes contineri ſolent.

De Præſcriptione temporum, Ex eodem Capite IX.

XX. Si quis terram ab altero dixerit violenter ſibi eſſe ſublatam & convicerit, priusquam triginta annorum numerus compleatur & rem conſtiterit occupatam, & requirere potuerit, repetentis partibus

Digitized by Google

partibus reformetur (reſtituatur) Ceterùm ſi impletis triginta annis terra à quocunque pervaſa fuiſſe dicatur, & non fuerit ante repetita, nihil ſibi reddendum eſſe cognoſcat.

De Eadem re. Ibidem. Ca.XXI.

Quia omnia ad quietem omnium pertinentia ex lege provideri convenit, quas omnino cauſas de quibuscunque rebus, quæ intra triginta annos non fuerint definitæ, nullo eas poſtmodum licebit ordine commoveri, quia ſatis unicuique ad requirendum & recipiendum, quod ei debitum fuerat, ſupra ſcriptum annorum numerum conſtat ſufficere poſſe.

De Colono Ibidem. XXII.

Si quis colonum alienum in re ſua annos triginta habuerit, quaſi ſuum vendicet. Qui infra triginta annos inventus fuerit, à Domino cum filiis ſibi debitis & omni peculio revocetur; ſi verò mortuus fuerit, peculium ejus Dominus recipiat.

De Colona.

Colona verò ſi viginti annis in alieno dominio permanſerit, à priori Domino non requiratur. Colonum duæ partes agnationis ſequantur, Colonam verò tertia pars. Nam ſi agnatio infra viginti annos edita fuerit, quando adhuc Colona Domino competebat, repetentibus non negetur, quia in modernis legibus eſt conſtitutum. Sanè ne ſeparatio conjugij fiat, præcipimus, ut Dominus coloni vicaria muliere cum agnatione partis tertiæ non negetur.

De Conſecranda eccleſia. Ex Conc. VVormatienſi. XXIII.

Placuit, quoties ab aliquo fidelium ad conſecrandas eccleſias Epiſcopus invitatur, non quaſi ex debito munus aliquod à fundatore requirat, ſed ſi ipſe aliquid ex ſuo voto obtulerit, non reſpuatur. Interim unusquisque Epiſcopus meminerit, ut non priùs dedicet eccleſiam, niſi antea dotem Baſilicæ & obſequium ipſius per donationem chartulæ confirmatum accipiat: nam non levior eſt iſta temeritas, ſi ſine luminaribus vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum, qui ibidem ſerviturí ſunt, quam ſi domus privata ab eccleſia conſecretur.

De

Digitized by Google

c.XXIV. De Libertate Eccleſiarum. Ex Capit. CXIIX, Titul. LXXXI.

Sancitum, ut unicuique eccleſiæ unus manſus integer absq; ullo ſervitio attribuatur, & Presbyteri in eis conſtituti non de decimis nec de oblationibus fidelium, nec de domibus, nec de atriis, vel hortis juxta eccleſiam poſitis, nec de præſcripto manſo aliquod ſervitium faciant, præter eccleſiaſticum. Et ſi aliquid amplius habuerint, ſenioribus ſuis inde ſervitium debitum impendant.

XXV. De Termino eccleſiarum. Ex eodem Capit. CXVII.

Terminum habeat unaquæque eccleſia, de quibus villis decimas recipiat.

XXVI. De Novis eccleſiis. Cap. LXXXVII.

Statutum eſt de villis novis & eccleſiis novis, ibidem noviter conſtitutis, ut decimæ de ipſis villis ad eaſdem eccleſias conferantur.

XXVII. De Eadem re Capit. V.

Quicunque voluerit in ſua proprietate eccleſiam ædificare cum conſenſu & voluntate Epiſcopi, in cujus Parochia fuerit, licentiam habeat. Verumtamen omnino providendum eſt, ut aliæ eccleſiæ antiquiores propter hanc occaſionem ſuam juſtitiam aut decimam non perdant (ſed hæc) ſemper ad antiquiores eccleſias perſolvatur.

XXIIX. De Manſo eccleſiæ. Ex eodem Capit.

De uno Manſo ad eccleſiam dato, de quo aliqui homines contra ſtatuta ſervitium exigunt, (ſancitum eſt ut) quicunque pro hac cauſa accuſatus fuerit, comes vel miſſi (deputati) quod inde ſubtractum eſt, Presbyteris cum ſua lege (juxta legem) reſtitui faciant.

XXIX. De Eadem re. Ex Synodo Meldenſi Capite LXIII.

Secundum Canonicam autoritatem & conſtitutionem Imperatoris Ludovici (nemo) de agro eccleſiaſtico & Manſo ac mancipiis, quæ ipſe in capitulis ſuis conſtituit, vel ſi quis pro loco ſepul-

Digitized by Google

ſepulturæ aliquid eccleſiæ largitus fuerit, nec de decimis & oblationibus Chriſti fidelium Presbyterum aliquem Cenſum perſolvere cogat, nec quisquam cujuslibet ordinis aut dignitatis exinde quicquam ſubtrahat & redhibitionem quamcunque temporalem exigat. Quod ſi fecerit, Communione usque ad ſatisfactionem privetur & regia poteſtate hoc emendare legaliter compellatur.

De Privilegiis Eccleſiarum. C. XXX

Vt eccleſiæ antiquitus conſtitutæ nec decimis nec ullâ poſſeſſione priventur, ita ut novis oratoriis tribuatur.

De Eccleſiis vel Altaribus ambiguis, Cap. CXIV. XXXI

Eccleſiæ vel altaria, quæ ambigua ſunt de conſecratione (quorum ambigua eſt conſecratio) conſecrentur & ſuperflua altaria deſtruantur de Eccleſia.

De Honore Eccleſiaſtico Cap. CXLII. XXXII

Epiſcopi prævideant, quem honorem Presbyteri in eccleſiis ſuis Senioribus tribuant.

De Dotibus Eccleſiæ. Ex Conc. Toletano Capit. XIX. XXXIII.

Multi contra Canonum ſtatuta eccleſias, quas ædificarunt, ita conſecrari poſtulant, ut dotem, quam eccleſiæ contulerint, ad Epiſcopi ordinationem non pertinere cenſeant, quod factum & in præterito diſplicet, & in futuro prohibetur, cùm omnia ſecundum antiquam conſuetudinem ad Epiſcopi ordinationem & poteſtatem pertineant.

De Reſtaurandis Eccleſiis. Ex Epiſtola Gelaſii Papæ. XXXIV.

Quatuor tàm de reditu, quàm de oblatione fidelium, prout cujuslibet eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretum, portiones fieri convenit, quarum una ſit Ponti-

ficis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda, de quibus, ſicut ſacerdotis intererit, ſic Clericus ultra ſummam ſibi delegatam nihil inſolenter noverit expetendum. Ea vero quæ eccleſiaſticis ædificiis attributa ſunt, huic operi veraciter prærogata (impenſa) locorum ſanctorum inſtauratio manifeſta doceat, quia nefas eſt, ſi præſul ſacris ædibus deſtitutis, impendia his deſignata in lucrum ſuum convertat.

C. XXXV. De Eadem re. Ex Epiſtola Simplicij Papæ Capit. II.

De reditibus eccleſiæ vel oblatione fidelium ſoli Epiſcopo ex his una portio remittatur, duæ eccleſiaſticis fabricis & erogatione peregrinorum & pauperum profutura: ultima Clericis pro ſingulorum meritis dividatur.

XXXVI. De Reverentia Templorum. Ex capit. Synodalibus Tit. LXIX.

Placuit nobis admonere, ut unusquisque Epiſcopus videat ſuper ſuam Parochiam, ut eccleſia Dei honorem ſuum habeat, ſimul & altaria ſecundum dignitatem ſum venerentur (honorentur) & non ſit Domus Dei & altaria ſacrata pervia canibus, & ut vaſa Deo ſacrata in magna veneratione habeantur, & ut Sacrificia Sanctificata cum magna diligentia ab iis colligantur (ſumantur) qui digni ſunt.

XXXVII. De Fabrica Templorum. Ex capit. Ludovici Imperatoris Cap. XI.

De opere vel reſtauratione eccleſiarum Comes & Epiſcopus ſive Abbas una cum miſſo noſtro, quem ipſi ad hoc ſibi elegerint, conſiderationem faciant (diſpiciant) ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & reſtaurandum, quantum ipſe de rebus eccleſiarum habere cognoſcitur. Similiter in commune tantum accipiant operis, quantum rerum eccleſiaſticarum habent vel unusquisque per ſe, juxta qualitatem, quam ipſe tenet, aut ſi inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum locent, juxta æſtimationem operis argento perſolvant, cumquo pretio Rector eccleſiæ ad prædictam reſtaurationem opera-

Digitized by Google

operarios conducere, & materiam emere poſſit; & qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege ſua reſtituat, inſuper & Bannum noſtrum ſolvat, ut ita caſtigatus caveat, ne ſæpius iterum beneficium amittat.

De Eadem re. Tit. XXII. C.XXXIIX

De operibus in reſtaurandis eccleſiis ſive in faciendo ſive in redimendo Epiſcopalis potius teneatur voluntas, nullatenus tamen remaneat, ſicut & à nobis ſæpè juſſum eſt hoc, aut illud partibus eccleſiarum perſolvatur. Et hoc omnibus notum ſit, quia quicumque negligenter exinde (poſthac) egerit, & coram nobis negligens repertus fuerit, omninò volumus, ut ſubeat, quod in noſtro Capitulari de hac re communi conſultu fidelium noſtrorum ordinavimus.

De Locis dudum ſacris. Ex eodem capitulari Capit. LIV. XXXIX.

De locis jam dudum ſacris & nunc ſpurcitia fædatis (ſtatuimus) ut juxta poſſibilitatem in antiquum ſtatum reformentur.

De Eccleſiis deſtructis. Ex eodem Cap. III. XL.

De eccleſiis deſtructis Epiſcopi & Miſſi inquiſionem faciant, utrum per negligentiam aut impoſſibilitatem deſtructæ ſint; & ubi negligentia inventa fuerit, Epiſcopali autoritate emendare cogantur, qui eam reſtaurare debuerant; Si verò per impoſſibilitatem contigit, ut aut plures ſint quàm neceſſe ſit, aut majoris magnitudinis, quam ut ex rebus ad eas pertinentibus reſtaurari poſſint, Epiſcopus modum inveniat, qualiter congruè emendari & conſiſtere poſſint.

De Servis Eccl. Ex Capitulis Caroli Iunioris Cap. LXII. XLI.

Servi eccleſiarum quibuscunque poteſtatibus ſubditi, undè melior conſuetudo vel devotior commendatio, à tempore & juſſione Domini Ludovici vel certè Domini Caroli ſeu etiam Pipini non exiſtit, ſaltem viginti diebus in anno eidem eccleſiæ ad reficiendas ipſius ruinas abſque moleſtia ſervire ſinantur. Vbi

Digitized by Google

autem amplior commendatio & melior conſuetudo inde habe-retur, pro hac noſtra neceſſitudinis conſideratione non decidat.

C. XLII. Admonitio ad Epiſcopos. Ex Capit. Ludovici Capit. V.

Ne eccleſiæ Presbyteris commiſſæ in reſtauratione aut in luminaribus juxta poſſibilitatem rerum ab illis negligantur, veſtra invigilare debet ſolertia, & ſicut alios prohibetis, ne de Manſis ad eccleſiæ luminaria datis aliquid accipiant, ſic & vos & veſtri Archidiaconi de ijſdem Manſis nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis, ſed potius ad id, ad quod data ſunt ſervire concedantur, ut totum ſicut dictum eſt, in reſtauratione eccleſiarum & luminaribus veſtra autoritate & ſtudio cedere poſſit.

XLIII. De Decimis Cap. CXLII.

Decimæ ſint in poteſtate Epiſcopi, qualiter à Presbyteris diſſipentur (inter Presbyteros diſtribuantur.)

XLIV. De Nonis & decimis ex Cap. CLIII.

Qui eccleſiarum beneficia habent, Nonam & Decimam ex eis eccleſiæ, cujus res ſunt, donent & qui tale beneficium habent ad medietatem laborent & de eorum portione proprio Presbytero Decimas donent.

Quando aliquis novale conlaboraverit.

Noualia rura, quæ juxta cultos agros fiunt, eccleſiæ antiquæ decimentur, & ſi ultra milliaria quatuor vel quinque in ſaltu qualibet digna perſona aliquod Novale conlaboraverit, ibidemque cum ſui Epiſcopi conſenſu eccleſiam conſtruxerit, poſt conſecrationem eccleſiæ provideat Presbyterum; ejusque conductu de eodem elaboratu decimas eidem eccleſiæ conferat.

XLV. De Decimis. Ex eodem. Cap. XXXVII.

Qui decimas poſt creberrimas admonitiones & prædicationes ſacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Iuramento vero eos conſtringi nolumus propter periculum perjurij.

XLVI. De Nonis & decimis. Ex eodem Cap. XXI.

De Nonis & Decimis, unde & Genitor noſter & nos in di-

verſis

verſis placitis admonitionem fecimus & per capitularia noſtra qualiter hæc obſerventur, ordinavimus, volumus atque jubemus, ut de omni collaboratu, de vino & fæno fideliter & plenitet ab omnibus Nona & Decima perſolvatur. De nutrimine verò pro Decima, ſicut hactenus conſuetudo fuit, ab omnibus obſervetur. Si quis tamen Epiſcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in ſua poteſtate maneat, juxta quod ei & illi, qui hoc perſolvere debet, convenerit.

De Eadem re. Ex eod. Cap. V. Lib. V. c.XLVII.

De his, qui Nonas & Decimas jam per multos annos aut ex parte, aut ex toto dare neglexerunt, volumus, ut per miſſos noſtros conſtringantur, ut ſecundum conſuetudinem priorem ſolvant unius anni Nonam & Decimam cum ſua lege, & inſuper Bannum noſtrum & hoc eis denuncietur, quod quicunque hanc negligentiam iteraverit, beneficium, unde hæc Nona & Decima perſolvi debuit, amiſſurum ſe ſciat.

De Eadem re Cap. vi. XLIIX.

Quicunque Decimam abſtrahit de eccleſia, ad quam per juſtitiam debet dari & eam præſumptuoſe vel propter munera, aut amicitiam, vel aliam quamlibet occaſionem ad alteram eccleſiam dederit, à Comite vel à Miſſo noſtro diſtringatur, ut ejuſdem decimæ quantitatem cum ſua lege reſtituat.

De Eadem re. Cap. vii. XLIX.

De Decimis, quas dare populus non vult, niſi quolibet modo ab eo redimantur, ab Epiſcopis prohibendum eſt, ne fiat; Et ſi quis contemptor fuerit inventus, ut nec Epiſcopum nec Comitem audire velit, ſi noſter homo fuerit, ad præſentiam noſtram venire compellatur. Cæteri verò diſtringantur, ut inviti eccleſiæ reſtituant, quod voluntariè dare neglexerunt.

De Eadem re Cap. ix. L.

De illis, qui agros dominicanos propterea neglexerunt excolere, ut Nonam & Decimam exinde non perſolvant, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipiunt, volumus, ut de tribus annis ipſam annonam cum lege ſua perſolvant & ſi quis contemptor aut Comitis aut Miſſorum noſtrorum propter hoc extiterit,

Digitized by Google

titerit, ſub fidejuſſoribus ad palatium venire compellatur.

Cap. LI. De Eadem re. Ex Conc. Meldenſi.

Cap. LXII.

Hi, qui ex rebus eccleſiaſticis Nonas & Decimas perſolvere & ſarta tecta eccleſiæ ſecundum antiquam autoritatem & conſuetudinem reſtaurare debent, & hoc non ſolum negligunt, ſed & contemnendo dimittunt, atque clericos ſame & penuriâ afficiunt, eccleſiaſtica quoque officia diſſolutione annullari permittunt, tamdiu ab eccleſiaſtica communione ſeparentur, uſque dum diligentiâ emendare ſtudeant, quod ſocordiâ neglexerunt. Quod ſi iterùm iteraverint, poſt excommunicationis ſatisfactionem, regiâ poteſtate compellantur juxta legale & antiquum edictum: Qui negligit cenſum, perdat agrum.

LII. De Decimis. Ex capitulis Caroli.

De Decimis ubi antiquitus fuerunt eccleſiæ baptiſmales & devotio facta fuit, juxta quod Epiſcopus ipſius Parochiæ ordinaverit, omnibus modis fiant donatæ & ſi per donationes Regum aut cæterorum Deum timentium bonorum hominum ad Epiſcopia vel Monaſteria aliquæ res delegatæ ſunt; & ex ipſis rebus antiquitus ad ipſas eccleſias priores Decimæ datæ fuerunt, ipſa antiqua donatio firma vel devotio ſtabilis permaneat. Tamen ut ſupra diximus, Decimas de ipſis rebus, qui eas posſidere videtur, perſoluat.

De Fœno & annona eccleſiæ. Ex eodem

LIII. Capit. CXLIV.

Nullus Presbyter annonam vel fænum in eccleſia mittere præſumat.

LIV. De Precibus in Templo, ex dictis S. Auguſtini.

In Oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, unde & nomen accepit, ut ſi forte aliqui propter horas conſtitutas, ſi eis vacat & orare voluerit, eis non ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putaverint.

LV. Idem alibi.

In Oratorio præter orandi & pſallendi Dei cultum penitus nihil

nihil agatur, ut nomini huic (Oratorium) etiam opera jugiter impenſa concordent.

De Eadem re. Ex dictis S. Benedicti. Ca. LVI.

Oratorium hoc ſit quod dicitur nec ibi quicquam aliud geratur aut condatur.

Ne quis in eccleſia convivari præſumat. Ex Conc. Cathaginienſi. LVII.

Nulli Epiſcopi vel Clerici in eccleſia conviventur, niſi fortè tranſeuntes hoſpitij neceſsitate illic reſideant Populi etiam ab hujuſmodi conviviis, quantum poteſt fieri, prohibeantur.

De Eadem re. Ex Conc. Laodiceno. LIIX.

Non oportet in domiciliis ſive eccleſiis Agapen facere & intus manducare, vel accubitus ſternere.

Ne quis præſumat in eccleſia vinum vendere. Ex Conc. Turonenſi. LIX.

Perlatam eſt ad ſanctam Synodum, quod quiduam Presbyteri in eccleſiis ſibi commiſsis tabernas, quod nefas eſt, conſtituant, ibique per cauponas vinum vendant, aut vendere permittant, & ubi tantummodo orationes & verbum divinum Deique laus reſonare debuit, ibi comeſſationes & ebrietates fiant, ibi riſus & plauſus & verba turpia, ibi rixæ & contentiones reſultent, quod quam ſit Deo contrarium, Dominus Ieſus demonſtrat, qui cùm inveniſſet in templo vendentes & ementes & nummularios ſedentes, facto funiculo de reſticulis (de reſtibus) omnes ejecit de templo. Si enim ea, quæ licite vendi videbantur in templo & ad hoc emebantur, ut in eodem templo offerrentur Domino, ipſe foras ejecit; quid putas de tam peſtifera præſumptione & Dei contemtu fiet; & ſi non ſolum ſacerdotibus, ſed etiam omnibus Clericis præcipitur, ne tabernas ingrediantur, quis audire poteſt, ut eccleſiæ Dei tabernæ fiant? Itaque interdicit per omnia Synodus, ne hoc inpoſterum ullatenus fiat. Quod ſi factum fuerit, Presbyter deponatur, Laici communione privati, ab eccleſia, quam dehoneſtaverunt, expellantur.

De

De Eadem rē, quod Dominus dicit: Domus mea Domus precum.

Si enim domus Dei orationis domus vocatur, hoc debet eſſe quod dicitur, nec ibi aliud debet geri aut recondi. Vbi enim corpus Domini conſecratur, ubi Angelorum præſentia non dubitatur adeſſe, ubi ſanctorum reliquiæ reconditæ veneranttur, ne quid inhoneſtum appareat, quod oculos ad orationem venientium offendat; ne quid ibi videatur, quod ad lucrum temporale pertineat, ſed omnia (ſint) ſancta, omnia munda, & tantummodd ad eccleſiaſticum miniſterium pertinentia.

Cap. LX. Altaria mundiſſimis linteis cooperiantur. Ex Conc. Rhemenſi Cap. V.

Obſervandum eſt, ut menſa Chriſti hoc eſt altare, ubi corpus Domini conſecratur, ubi ſanguis ejus hauritur, ubi ſanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces & vota populi in conſpectu Dei à ſacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundisſimis linteis & palliis diligentisſime cooperiatur nihilque ſuper eo ponatur, niſi capſæ cum Sanctorum reliquiis & quatuor Evangeliis. Expletâ Miſſa calix & ſacramentorum liber cum veſtibus ſacerdotalibus in mundo loco ſub ſera recondantur.

LXI. De Linteis altarium præparandis.

Presbyteri per Parochias ſuas fæminis prædicent (injungant) ut linteamina in altari præparent.

LXII. De Alterius Parochiano. Ex Conc. Nanneteuſi

Dominicis vel feſtis diebus Presbyteri, antequàm Miſſas celebrent, plebem interrogent, an alterius Parochianus in eccleſia ſit, qui proprio contempto Presbyteto ibi Miſſam velit audire; quem ſi invenerint, ſtatim ab eccleſia ejiciant, & ad ſuam Parochiam redire compellant. Similiter interrogent, an aliqui diſcordantes ſint, qui inter ſe litem implacabilem habeant. Et ſi inventi fueriut, ſtatim reconcilientur. Quod ſi renuerint pacem ſuſcipere, ab eccleſia ejiciantur, uſque quo ad charitatem redeant. Non enim poſſumus munus & oblationem ad altare offerre, donec prius

Digitized by Google

prius fratri reconciliemur. His ita peractis ſacerdotes Miſſarum ſolennia rite peragant.

Ex eodem Concilio.

Nullus Presbyter alterius Parochianum, niſi in itinere fuerit vel placitum (negotium) ibi habuerit, ad Miſſam recipiat.

Ex Capite ſupra dicto. De Oblationibus. C.LXII.

Si fideles aliquid ad altare offerant, à miniſtro receptum poſt altare ponatur.

Ne quid aliud in ſacrificium offeratur præter id quod ſtatuit Dominus. Ex Canonibus Apoſtolorum Tit. III. LXIII.

Si quis Epiſcopus aut Presbytèr præter ordinem Domini alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare, verbi gratia mel aut lac, pro vino ſiceram aut confecta quædam aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina contra inſtitutionem Domini faciens, deponatur de gradu.

Quæ ſpecies ad altare non ad ſacrificium, ſed ad benedictionem debeant offerri. Ex Canonibus Apoſtolorum Tit. IV. LXIV.

Offerre non liceat aliquid ad altare præter novas ſpicas & uvas & oleum & thymiama, id eſt, incenſum tempore, quo ſancta celebratur oblatio.

Ea, quæ in eccleſiis offerri non poſſunt ad Domos ſacerdotum à fidelibus deferantur. Ex iiſdem Canonibus Tit. V. LXV.

Reliqua poma (dona) omnia vel primitiæ ad domum Epiſcopi aut Presbyteri dirigantur, nec in altari offerantur. Certum autem eſto, quod Epiſcopis & Presbyteris & Diaconis & reliquis Clericis hæc dividantur.

Quid in Sacrificio Domini offerri debeat. Ex Concil. VVormatienſi Cap. XXIX. LXVI.

In Euchariſtia non debet aqua pura offerri, ut quidam ſo-

Digitized by Google

brietatis cauſa falluntur, ſed vinum cum aqua mixtum, quia in redemptionis noſtræ myſterio etiam vinum fuit, cum dicat (Dominus) Non bibam de hoc gemmine vitis; & aquâ mixtum, quòd poſt cœnam dabat; ſed & de latere ejus aqua cum ſanguine egreſſa, vinum de vera carnis ejus vite cum aqua expreſſum oſtendit. Cum igitur magiſter veritatis verum ſalutis noſtræ ſacrificium ſuis commendaret diſcipulis, panem tantùm & calicem ſub hoc ſacramento præbuiſſe cognoſcimus. Ideoque præter panem & vinum cum aqua mixtum aliud offerri non debet: Calix enim Dominicus vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando ergo aqua cum vino in calice miſcetur, populus Chriſto adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & jungitur; quæ Copulatio & conjunctio aqua & vino in calice Domini ita miſcetur, ut commixtio illa ſeparari non poſſit. Nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Si verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto: Non poteſt enim calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi utrumque invicem miſceatur.

c.LXVII. De Calice Domini ex Conc. Rhemenſi Titulo IIX.

Calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnino ex argento fiat: neque cauſentur Presbyteri avaritia ſuadente de paupertate vel impoſſibilitate, cum una pars ex omnibus, quæ ad eccleſiam pertinent, in fabricam ipſius eccleſiæ impendenda ſit. Admonendus etiam eſt populus, ut aliquid in donariis Domini offerat, ſicut antiquus populus ſub Moſe in tabernacula Domini feciſſe legitur. Si quis autem adeo pauper ſit, ſaltem ſtanneum calicem habeat. De ære autem vel ex Orichalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo calice præſumat cantare (celebrare.)

LXIIX. De Corporali dominico ex concilio, quo ſupra.

Corporale, ſuper quo ſacra oblatio immolatur, ex mundiſſimo & puriſſimo linteo ſit, nec in eo alterius generis materia pretioſior aut vilior miſceatur, quia Dominicum corpus in ſepulchro non

Digitized by Google

non in holoſericis, ſed tantùm munda ſyndone fuit involutum. Corporale nunquam ſuper altare remaneat, ſed aut in ſacramentorum libro (in ſacrario) ponatur aut cum calice & patena in mundisſimo loco recondatur. Et quando abluitur à Sacerdote Diacono vel Subdiacono primo in eccleſia in loco & vaſe adhoc præparato abluatur, eò, quod ex Dominico corpore & ſanguine infectum ſit. Poſthæc à Lavandario (ab eo, qui lavat) in nitido loco reponatur.

De Euchariſtia infirmorum. Ex capitulis Synodalibus cap. CLV. C.LXIX.

Presbyter ſemper Euchariſtiam habeat paratam, ut quando quis infirmaverit aut parvulus infirmus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.

De Hoſtia intincta. Ex Conc. Turonenſi. LXX.

Omnis Presbyter habeat pyxidem aut vas tanto ſacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum decedentibus à ſeculo, quæ ſacra oblatio intincta debet eſſe in ſanguine Chriſti, ut veraciter Presbyter posſit dicere infirmo: Corpus & ſanguis Domini proficiat tibi &c. ſemperque ſit ſuper altare obſervatum (obſeratum) propter mures & nefarios homines; & de tertio in tertium diem ſemper mutetur, hoc eſt, à Presbytero ſumatur, & alia, quæ eodem die conſecrata eſt in locum ſurrogetur, ne forte diutius reſervata murcida, quod abſit, fiat.

De Hoſtia permutanda. Ex eodem. LXXI.

Illud annectendum videtur, ut oblationes, quæ in altari offeruntur, de ſabbatho in ſabbathum ſemper innoventur, quia panes propoſitionis, qui ſemper in menſam Domini ponebantur, à ſabbatho in ſabbathum ſemper mutabantur.

De Chriſmate. Ibidem. LXXII.

Præterea modis omnibus obſervandum eſt, ut ſacrum chriſma & oleum conſecratum ſemper ſub ſera ſit, ne illud, unde Chriſto incorporamur, & unde omnes fideles ſanctificantur, unde reges & ſacerdotes inunguntur, aliquis infidelis aut immundus

Digitized by Google

tangat, aut aliquis perfidus ad Dei judicium ſubvertendum ſurripiat, quod experimento didicimus.

LXXIII. De Chriſmate ad ſubvertendum judicium dato.

Ex Capitularibus Tit. LV.

Presbyter, qui Chriſma donaverit ad judicium ſubvertendum, poſtquam de gradu ſuo depoſitus fuerit, manum amittat.

LXXIV. Ne quis Presbyter pro chriſmate munus accipiat.

Ex Conc. Meldenſi. Cap. XLV.

Nemo Epiſcoporum vel quilibet miniſter eccleſiaſticus propter ſacrum chriſma aliquid muneris accipiat neque denarios, vel quælibet munuſcula, quæ per miniſtros Epiſcoporum à Presbyteris inordinabiliter exiguntur. Decet tamen Presbyteros cum voluntariis Eulogiis tempore congruo viſitare ac venerari ſuos Epiſcopos.

LXXV. De Ampullis in cœna Domini. Ex Capitulis Tit. CLVI.

Presbyter in Cæna Domini duas ampullas ſecum deferat: unam ad chriſma, alteram ad oleum, ob catechumenos inungendum, & (propter) infirmos juxta ſententiam Apoſtolicam, ut quando quis infirmatur, Presbyteros eccleſiæ inducat, qui pro ipſo orent, eumque inungant.

LXXVI. De Presbyteris peregrè venientibus. Ex Capite XXIII.

De Presbyteris, qui accipiendi chriſmatis gratiâ ad civitates in cæna Domini venire ſoliti ſunt, ſancitum eſt, ut de his, qui poſiti ſunt de octo aut decem, unus ab Epiſcopo eligatur, qui acceptum chriſma diligenter ſibi & ſociis perferat. Hi verò, qui non longiùs à Civitate quatuor aut quinque millibus (milliaribus) habitant, more ſolito ad accipiendum chriſma per ſe veniant; dicendi verò gratia alio, quam quadrageſimali tempore ad civitatem convocentur, propter plebes ſibi commiſſas.

LXXVII Ne quis alterius Epiſcopi Chriſma accipiat. Ex Conc. Vaſenſi Cap. III.

Per ſingula territoria Presbyteri & miniſtri ab Epiſcopis non

Digitized by Google

non prout libitum fuerit, à viciniorибus, ſed à ſuis propriis per ſingulos annos chriſma petant, appropinquante ſolennitate Paſchali, nec per quenquam eccleſiaſticum, ſed ſi qua neceſſitas aut miniſtrorum occupatio (incidat) per ſubdiaconum, quia inhonorum eſt inferioribus ſumma committi. Optimum autem eſt, ut ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo uſurus eſt. Si quid autem obſtat, ſaltem is (ſuſcipiat) cujus officij eſt ſacrarium diſponere & ſacramenta ſuſcipere.

Ne quis miniſter ſine chriſmate proficiſcatur. LXXIIX.

Nemo miniſtrorum, qui baptizandi officium recepit, ſine Chriſmate unquam progredi debet, quia inter nos placuit, ſemel in baptiſmo chriſmari. Sed qui quacunque neceſſitate faciente chriſmatus non fuerit in confirmatione ſacerdos commovebitur.

De Fontibus ſacris. Vnde ſupra. LXIX.

Presbyter, qui fontes lapideos habere nequiverit, vas ſolummodò conveniens ad baptizandi officium habeat, quod nunquam extra eccleſiam deportetur. Similiter ad corporale lavandum & ad pallas altaris propria vaſa habeantur, in quibus nihil aliud fiat.

Ne presbyter ſine veſte ſacerdotali miſſam cantet. Ex Conc. Rhemenſi. XXC.

Nullus Presbyter ſine amictu, albâ, & ſtolâ & fanone & caſula ullatenus Miſſum celebrare præſumat; & hæc ſacra veſtimenta mundiſſima ſint, & in nitido loco intra eccleſiam collocentur, nec Presbyter cùm his induitur, extra eccleſiam exeat, quia hoc lex divina prohibet.

Ne quis ſacra vaſa vel SS. Veſtes in vadium mittat. Vnde ſupra cap. XI. XXCI.

Nullus Presbyter præſumat calicem & patenam altaris vel veſtimentum ſacerdotale, aut librum tabernario vel negotiatori aut cuilibet Laico vel fœminæ in vadium dare, ne juſtiſſima quidem neceſſitate urgente, quia tanta eſt ſanctitas ſacri Miniſterij, ut ſalvâ altioris myſterij intelligentiâ etiam per Prophetam Dominus prohibuerit, ne cum ſanctis veſtimentis ſacerdos ad populum procedat, ſed intra ſancta illa dimittat, à Colloquio Divino rediens, & qui tabernas ad bibendum à ſacris Canonibus ingredi

Digitized by Google

gredi prohibetur, quanto minus ſanctificata ſacri Miniſterij nec ad contingendum immundis exhibere debet? ſicut & Stephanus Papa & Martyr ſecundum Hilarium in ſuis Decretalibus docuit.

c.XXCII. De Domo Epiſcopi. Ex Conc. Carthaginienſi.

Epiſcopus non longè ab eccleſia hoſpitiolum habeat.

XXCIII. Ne presbyteri ubique hoſpitari ſinantur. Ex Conc. Meldenſi Cap. XXXVI.

Presbyteri nullatenus ubique hoſpitari ſinantur, aut aliquo modo ipſi (id) præſumant, ſed aſſiduè apud ſuas eccleſias eſſe ſtudeant propter ſacra myſteria & miniſteria fidelibus exhibenda nec alibi habitare permittantur. Neque mulieres quamcunque habitationem habeant in locis, in quibus Presbyteri aliquem recurſum habuerunt; quod ſi obſervare parvipenderint, ita ut transgreſſores, & qui contra interdicta fecerint, judicentur.

XXCIV. De Continentia ſacerdotum. Ex Conc. Neocæſarienſi Cap. I.

Presbyter ſi uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet & ad pænitentiam redigi. Simili modo etiam Diaconus ſi eodem peccato ſuccubuerit, ab ordine miniſterij ſubtrahatur.

XXCV. De Eadem re. Ex eodem Conc.

Presbyter ſi præoccupatus corporali peccato, confeſſus fuerit de ſe, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non conſecret, maneat autem in reliquis officiis propter bonum ſtudium. Quod ſi de ſeipſo non fuerit confeſſus, & argui manifeſtè nequiverit, poteſtati ſui judicij relinquatur.

XXCVI. De Clericis peccantibus. Ex Canonibus Apoſtolorum.

Presbyter aut Diaconus, qui in fornicatione aut perjurio aut furto aut homicidio captus eſt, deponatur, non tamen communione privetur: Dicit enim ſcriptura: Non vindicat Dominus bis in idipſum.

XXCVII. De Caſtimonia Clericorum.

Sacerdotes Domini & Diaconi vel quicunque ſacramenta con-

Digitized by Google

ta contrectant, pudicitiæ cuſtodes (ſint eſt) ab uxoribus ſe abſtineant.

Item. XXCIIX

Præterea quod dignum & pudicum & honeſtum eſt tenere eccleſia omnino debet, ut ſacerdos & Levitæ cum mulieribus non coëant, quia miniſterij quotidiani neceſſitatibus occupantur, & ſcriptum eſt: Sancti eſtote, nam & ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter.

Item. XXCIX.

De Presbyteris & Diaconis divinarum legum diſciplina eſt, ut incontinentes in talibus officiis poſiti omni honore eccleſiaſtico priventur, nec admittantur ad tale miniſterium, quod ſola continentiæ impleri oportet.

Item. Cap. III. XC.

Interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono & omninò alicui, qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi fortè matrem aut ſororem aut amitam & eas tantùm perſonas, quæ ſuſpicionem ſuffugiant.

Ex Decretis Siricij Papæ Tit. XII. XCI.

Fæminas non alias in domibus Clericorum eſſe patimur, niſi eas tantùm, quas propriè ſola necesſitudinis cauſa habitare cum ijſdem Synodus Nicæna permiſit.

Ex Conc. Carthaginienſi Cap. XXV. XCII.

Aurelianus Epiſcopus dixit: Addimus, Fratres charisſimi, præterea, cum de quorundam Clericorum, quamvis Lectorum, erga proprias uxores incontinentia referretur, placuit, quod & diverſis Conciliis firmatum eſt, ut Subdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & Diaconi & Presbyteri, ſed & Epiſcopi ſecundum propria ſtatuta ab uxoribus abſtineant, ut tanquam non habentes videantur eſſe, quod niſi fecerint, ab eccleſiaſtico removeantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi (volumus) niſi maturiore ætate.

De Cœlibatu clericorum. Ex Decretis Siricij Papæ. Cap. VII. XCIII.

Plurimos Sacerdotes Chriſti atque Levitas poſt longa con-

Digitized by Google

ſecrationis ſuæ tempora tam de Conjugiis propriis, quam de turpi coitu Sobolem procreaſſe didicimus & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in V. T. Sacerdotibus ac miniſtris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi, quisquis ille eſt ſectator libidinum præceptorque vitiorum, ſi æſtimat, quia in lege Moſis Sacris ordinibus à Domino noſtro laxata ſint frena luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum præmonet dicens: Sancti eſtote, quia & ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter? Cur etiam procul à ſuis domibus anno vicis ſuæ habitare juſſi ſint Sacerdotes? hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus carnale poſſint exercere commercium, ut Conſcientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent; quibus expleto deſervitionis ſuæ tempore uxoris uſus ſolius ſucceſſionis cauſa fuerat relaxatus, quia non ex alia, niſi ex tribu Levi quisquam ad Dei miniſterium præceptus fuerat admitti,

XCIV. **Idem.**

Statutum eſt ab epiſcopis de Presbyteris, ut qui fœminas indiſcretè ſecum habitare permittunt & propter hoc malæ opinionis ſuſpicione denotantur, ſi deinceps admoniti non ſe correxerint, velut contemtores SS. Canonum canonica invectione (cenſura) feriantur.

XCV. **Ex Concil. VVormat. Cap. XXXIIX.**

Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi abſtineant à Conjugibus, ut non generent filios. Quod ſi hoc decretum violaverint, ab honore clericatus pellantur.

XCVI. **Ex Decretis Leonis Papæ.**

Lex continentiæ eadem eſt altaris miniſtris, quæ Epiſcopis atque presbyteris, qui cum eſſent Laici ſive Lectores, licitè & uxores ducere & filios procreare potuerunt, ſed cum ad prædictos pervenerunt gradus, eis non licet, quod licuit. Vnde ut de carnali fiat ſpirituale Conjugium, oportet eos, nec dimittere uxores & quaſi non habeant, ſic habere, quo & ſalva ſit caritas connubiorum & ceſſet operatio nuptiarum.

XCVII. **Ex dictis S. Gregorij Papæ.**

Qui corpus ſuum caſtitati dedicant, habitare ſecum fœminas non permittant.

Item

Item S. Auguſtini. c. XCIX.

Ideo nolo, ut ſoror mea mecum ſit, quia quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.

Ex Concilio VVormat. Cap. IX.

Sacerdotes ſi in fornicationis laqueum ceciderint, & crimen manifeſtiſſimè oſtenſum fuerit; hactenus Sacerdotij non poſſunt habere honorem, ſecundum canonicæ Inſtitutionis autoritatem.

Quæ mulieres in Domibus Clericorum tolerandæ. Ex Concil. Agathenſi. C.

Id etiam ad cuſtodiendam vitam & famam ſpeciali ordinatione præcipimus, ut nullus Clericorum Extraneæ mulieri qualibet conſolatione aut familiaritate conjunctus (ſit) & non ſolùm domum illius Extranea mulier non accedat, ſed nec ipſe frequentandi Extraneam mulierem habeat poteſtatem, ſed cum matre tantum aut ſorore, filia aut nepte (ſi habuerit) vivendi liberam habeat poteſtatem, de quibus hominibus nefas eſt aliud, quam natura conſtituit, ſuſpicari.

Ne qua ancilla cellarium vel Secretum teneat. Ex Conc. Agathenſi. CI.

Ancillas vel Libertas à Cellario vel à Secreto miniſterio & ab eadem manſione, in qua clericus manet, placuit removeri.

De Conſortio cum Extraneis. Ex Concil. Aurelian. CII.

Statuimus, ne quis Antiſtitum aut Clericorum licentiam habeat intra domum ſuam ullam mulierem, absque propinquis quas priores canones eloquuntur, habere perſonam, de quibus etiam id ſpecialiter inhibetur, ut ſi quis clericorum ſuſpicionem adverſam aut locutionem populi ob mulierem quamcunque incurrerit, eam ſtatim, ſi intra domum ſuam habet, abiiciat. Si extranea & ſui juris eſt, iſtam omnibus conditionibus abjicere ſtudeat, ut infamia, quæ excitata eſt, abrogetur, Quod ſi quislibet Antiſtitum vel Clericorum, quod ſupra ſcriptum eſt, vitare noluerit,

Digitized by Google

luerit, pro inobedientia triennij excommunicatione mulctetur. Quod ſi adulterij permixtione fuerit approbatus (convictus) in regradatione honorum, priorum canonum ſtatuta ſerventur.

Ca.CIII. Ex Concilio Turonenſi.

Quia Diabolo nullum locum dare oportet, hoc præcipuè cuſtodiendum decrevimus, ut nulli clerici cum Extraneis fæminis habeant familiaritatem nec ullum malè loquendi & ſentiendi aditum hominibus tribuant, quia frequenter per hanc indecentem occaſionem contigit, ut diabolus, qui inſidiatur ſicut Leo in cubili ſuo, de ruinis ſervorum Dei exſultet. Si quis vero Clericus poſt interdictum Epiſcopi ſui illicitis familiaritatibus Extranearum fæminarum voluerit inhærere, à communione habeatur alienus.

CIV. Ex Concilio Nannetenſi.

Inhibendum & modis omnibus interminandum eſt, ut nullus Sacerdos eas perſonas fæminarum, ſicut & in canone inſertum continetur, de quibus in ſuſpicionem (venire) poteſt, in domo ſua habeat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, quia inſtigante diabolo etiam in illis ſcelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pediſſequis illarum, ſcilicet matrem, amitam, ſororem. Sed ſi quis de his habuerit talem neceſſitatem patientem, cui ſit neceſſitas ſuſtentatio presbyteri (ſi cui cognatæ neceſſitas ſit presbytero victum procurandi) habeat in vico aut in villa domum longè à Presbyteri converſatione & ibi eis ſubminiſtret, quæ neceſſaria ſunt. Sed & hoc ſecundum autoritatem canonicam modis omnibus prohibendum, ut nulla fæmina ad altare præſumat accedere & presbytero miniſtrare aut intra cancellos ſtare.

CV. De Viſitandis infirmis. Unde ſupra.

Cum Sacerdos audierit aliquem infirmari in ſua plebe, quam citiùs ad eum pergat & ingreſſus cubiculum aquam benedictam ſuper eum & per omne cubiculum aſpergat, cum Antiphona: Aſperges me Domine; & verſu: Exurgat Dominus! Deinde dicat Orationem: Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contuliſti; Deinde cantet Septem Pſalmos Pœnitentiales cum Precibus pro infirmo. Poſt hæc omnes jubeat extra cubiculum

lum

lum ſecedere, & appropinquans lecto, in quo infirmus decumbit, eum blandè leniterq; alloquatur, ut omnem ſpem ſuam in Deo ponat, ut flagellum Dei patienter toleret, ut hæc ad purgationem & caſtigationem ſuam provenire credat, ut peccata ſua confiteatur, ut emendationem promittat, ſi Dominus vitam conceſſerit, pænitentiam pro culpis commiſsis ſpondeat, ut ſubſtantiam ſuam dum adhuc ſenſus & ratio in eo viget, diſponat, ut peccata ſua eleemoſynis redimat, ut his, qui in ſe peccaverunt, indulgeat, ut rectam fidem & credulitatem teneat, ut de Dei miſericordia nunquam deſperet. Cum his & hujuſmodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, data benedictione Sacerdos recedat, non poſt multum reverſurus, detque locum, ut ægrotus de peccatis ſuis cogitare poſsit.

De Infirmis peccata confitentibus & reconciliari petentibus; Ex quo ſupra. Ca.CVI.

Infirmus, qui neceſsitate urgente confitetur peccata ſua, ſub ea conditione à Sacerdote reconcilietur, ut ſi ei Dominus vitam donaverit ſanitatemque reddiderit, ſecundum qualitatem delicti omnibus modis pæniteat.

De Reconciliandis Infirmis. Ex Concilio Nicæno. CVII.

De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc relaxatio antiqua regularisque ſervabitur ita, ut ſi quis egreditur è corpore, ultimo & neceſſario viatico minimè privetur, quo ſi vel deſperatus, & conſecutus communionem oblationisque particeps factus iterum convaluerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, epiſcopus probabiliter ex oblatione dare debet.

De Eadem re. Ex Epiſt. Leonis Papæ. CIIX.

His, qui tempore neceſsitatis & urgentis periculi inſtantia præſidium Pænitentiæ, mox Reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt nec Reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere nec tempora definire, ad quem nulla impedit venire mortis converſio, dicente Dei

Digitized by Google

Spiritu per Prophetam: Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. Et alibi: Dic iniquitates tuas prior, ut juſtificeris. Item: Apud Deum miſericordia eſt & copioſa apud eum redemtio. In diſpenſandis itaque donis Dei non debemus eſſe difficiles nec ſe accuſantium gemitus lacrymasque negligere, cum ipſam pœnitendo affectionem ex Dei inſpiratione credamus conceptam, ut reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.

Ca.CIX. Ex Conc. Africano de eadem re.

Aurelius dicit: Si quisquam in periculis fuerit conſtitutus & ſe reconciliari divinis altaribus petierit, ſi epiſcopus abſens fuerit, debet utique presbyter conſulere epiſcopum & ſic periclitantem ejus præcepto reconciliare. Hanc rem ſalubri conſilio debemus roborare.

CX. Ex Epiſtola Cæleſtini Papæ.

Vera ad Deum Converſio in ultimis poſitorum mente potius æſtimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter aſſerente: Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. Cum ergo Dominus ſit cordis inſpector, quovis tempore non eſt deneganda pænitentia, cum illi ſe obliget judici, qui occulta omnia noverit revelari.

CXI. De His, qui obmuteſcunt, antequam Sacerdos veniat. Ex Epiſt. Leonis Papæ.

Talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, ut nec actio illis Pænitentiæ nec communionis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo vocis officio per indicia integri ſenſus quærere comprobentur. Quod ſi ita aliqua ægritudine fuerint aggravati, ut quod paulo ante poſcebant & ſub præſentia ſignificare non valebant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ſimul tamen & Pænitentiæ & Reconciliationis beneficium conſequantur,

CXII. Ex Concil. Carthagin.

Pænitentes, qui in Infirmitate Viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint.

Ex

Digitized by Google

Ex Epiſtola Siricij Papæ. c. CXIII.

Quicunque carnali fragilitate ceciderunt, his viatico munere cum ad Dominum cæperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubvenire.

De Pænitentibus ſubito mortuis. Ex Concilio Vaſenſi Cap. 65. CXIV.

Eorum, qui in Pænitentia accepta in bonæ vitæ curſu, ſine communione ſubito moriuntur, oblationem recipiendam & eorum funera ac deinceps memoriam eccleſiaſtico affectu proſequendam (ducimus)

De Communione privatis, & ita defunctis. Ex Epiſt. Leonis Papæ. CXV.

Horum cauſa Dei judicio reſervanda eſt, in cujus manu ſunt, ut talium obitus uſque ad communionis remedium differatur. Nos autem, cum quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non poſſumus.

De Vngendis infirmis; Ex Concil. Turonenſi. CXVI.

Poſtquam infirmus ab onere peccatorum per Confeſſionem relevatus fuerit & à Sacerdote reconciliatus, oleo ſanctificato in Dei nomine inungendus eſt, primum in pectore, deinde inter ſcapulas cum precibus ad hanc ſanctam unctionem pertinentibus, ut juxta Apoſtolum oratio fidei ſalvet infirmum &c.

De Extrema Vnctione. Ex Epiſtola Innocentij Papæ. Cap. CCCLXXXVII. CXVII.

Beatus Iacobus in Epiſtola ſua ſcripſit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini & Oratio fidei ſalvabit infirmum & ſuſcitabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit remittentur ei; quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt. quod ab Epiſcopo confectum non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet, in ſua aut ſuorum neceſſitate ad ungendum. Cæterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod presbytero licere non eſt dubium. Nam idcirco

 presby-

præſumatur, admoneo. Sed ſi quando aliquem in eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſiquidem parentes ipſius, proximi vel hæredes pro luminaribus ſponte aliquid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi omni modo prohibemus, ne quod valde irreligioſum eſt, aut venalis (quod abſit) dicatur Eccleſia aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtudetis quolibet modo quærere compendium.

CXXIII. De Mortuis in Templo non ſepeliendis. Ex Concil. Meldenſi Cap. LXXXII.

Nemo quemlibet mortuum in Eccleſia quaſi hæreditario jure, niſi quem epiſcopus aut presbyter pro qualitate converſationis & vitæ dignum duxerit, ſepelire præſumat; nec quisquam oſſa cujuslibet mortui de ſepulcro ſuo ejicere, aut ſepulturam cujusquam temerario auſu quoqno modo violet, ſed unumquemque in loculo ſibi à Deo parato atque conceſſo adventum ſui judicis præſtolari concedat, maximè cum non ſolum divinæ leges, ſed & humanæ apud humanam Rempublicam ſepulcri violatores reos mortis dijudicent. Sed & neque pro loco ſepulturæ, ut verbis S. Gregorij utamur, de terra conceſſa putredini quærere & de alieno velle facere luctu compendium aliquo modo tentent. Si quando autem proximi & hæredes ſponte aliquid offere in Eccleſia voluerint in eleemoſyna defuncti, accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi omnino prohibemus. Ne quod valde irreligioſum eſt aut venalis (quod abſit) dicatur Eccleſia aut de humanis mortibus videamur gratulari, ſi compendium exinde ſtudemus quolibet modo quærere.

CXXIV. De Eadem re. Ex Capitulis Synodalibus Tit. CLVI.

NVLLVS DEINCEPS IN ECCLESIA MORTVVM SEPELIAT.

CXXV. De Eadem re. Cap. XLVI.

De ſepeliendis in Baſilicis mortuis Conſtitutio *illa* ſervetur, quæ ab antiquis Patribus conſtituta eſt.

Ex

Digitized by Google

Ex Concil. Nannetenſi.

Præcipiendum eſt ſecundum canonum auctoritatem, ut de hominibus ſepeliendis nihil muneris ſumatur niſi forte, qui ſepelitur, vivens juſſerit Eccleſiæ, in cujus atrio ſepelitur, de ſuis rebus aliquid tribuere, aut etiam poſt mortem illius, quibus commiſſum eſt, eleemoſynam facere & de rebus illius aliquid dare ſponte voluerint. Tamen nullatenus à presbyteris Eccleſiæ aliquid exigatur, ſive ab illis, qui in locis & vicis præſunt. Prohibendum etiam, ſecundum Majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio aut in porticu aut extra Eccleſiam. Intra Eccleſiam verò aut prope altare, ubi corpus & ſanguis Domini conficitur, nullatenus habeant licentiam ſepeliendi.

Ex Conc. Triburienſi. CXXVI.

Si poſſit fieri, mortui non alibi ſepeliantur præter ad Eccleſiam, & deinceps nihil exigatur pro pretio ſepulturæ.

Ex Eodem. CXXVII

Dictum eſt, in quibuſdam locis pro perceptione chriſmatis numos dari ſolere (ut &) pro baptiſmo & communione. Hoc Simoniacæ hæreſis ſemen deteſtata eſt S. Synodus & anathematizavit, ut de cætero nec pro ordinatione nec pro chriſmate vel baptiſmo nec pro ſepultura vel communione quicquam exigatur, ſed gratis dona Chriſti gratuita diſpenſentur.

De Infantibus mortuis, per negligentiam non baptizatis. Ex Pœnit. C. XVII. CXXIIX

Pariens fæmina, cujus filius per negligentiam non baptizatus obierit, annum pæniteat. Et nunquam ſit ſine aliqua Pænitentia. Si Sacerdos, ad quem pertinebat, vocatus fuerit ad baptizandum infantem & venire neglexerit, ipſe ſecundum damnationem animæ judicio epiſcopi caſtigetur. Sed & omnibus fidelibus licet, ubi forte morituros invenerint non baptizatos, imò præceptum eſt, omnes eripere à diabolo per baptiſma i. e. benedicta aqua (*aſpergere*) in nomine Domini, & baptizare illos in nomine Patris & Filij & Sp. S. intinctos aut ſuperfuſa aqua. Vnde oportet eos, qui poſſunt, tamen fideles, monachos maximè ſcien-

Digitized by Google

ſcientiam habere baptizandi & ſi alicubi longius exierint, Euchariſtiam ſemper ſecum habere.

CXXIX. De Eadem re.

Perpendant presbyteri, quantum diſcriminis ſit, animas Innocentum per eorum negligentiam à regno Dei excludi. Si enim gaudium eſt in cœlo ſuper peccatore pœnitentiam agente, quid putas, quanta ira & indignatio ſuper illum erit, qui per ſuam negligentiam januas Paradiſi innocentibus claudit? Ideo presbyteri ſumma diligentia caveant, ne animas, pro quibus ſanguis Chriſti effuſus eſt, per ſuam incuriam à cæleſti benedictione ſeparent, ſed ſi, quod abſit, evenerit, gravi pœnitentiæ ac luctui diebus vitæ ſuæ ſe ſubmittat, per cujus evenerit neglectum.

CXXX. De Eadem re. Vnde ſupra.

Cujus parvulus in negligentia ſine baptiſmo mortuus fuerit, tres annos pæniteat, primum ex his in pane & aqua.

CXXXI. Ne Miſſæ in domibus agantur. Ex Conc. Laodic.

Placet, quod non in domibus oporteat oblationes celebrari ab Epiſcopis vel à presbyteris.

Vnde ſupra.

Dictum eſt nobis, quod quidam laici in domibus propriis præcipiant presbyteris miſſas celebrare & inter canum curſus & ſcortorum greges ſanctitatis myſteria polluantur magis, quam conſecrentur. Quapropter præcipimus, ut nullus presbyter extra Eccleſiam præſumat miſſam cantare, niſi forte itineris neceſſitas expoſcat, ubi in tentorio aut ſub divo (dio) in loco nitido & longè ab omni immunditia remoto Miſſas celebrare permittimus & hoc nullatenus ſine tabula conſecrata.

CXXXII. De Sacrificio non ubique offerendo. Ex Epiſtola Anacleti Papæ.

Sacerdotes quando ſacrificant, non ſoli hoc agere debent, ſed teſtes ſecum adhibeant, ut Deo perfectè in ſacratis Domino locis ſacrificare probentur. Ait namque autoritas legis divinæ: Vide, ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.

De Ebrioſis clericis. Ex Conc. Agathenſi. CXXXIII.

Eum, quem ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patitur aut XXX. dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmovendum aut corporali dandum ſupplicio.

De Eadem re. Fructuoſi Epiſcopi. CXXXIV.

Si quis eccleſiaſtica præditus ordinatione aut monachus repertus fuerit ebrioſus, in pane & aqua tribus pæniteat menſibus.

De Ebrietate clericorum. CXXXV.

Si quis epiſcopus aut aliquis ordinatus in conſuetudine ebrioſus fuerit, aut deſinat aut deponatur.

De Laicis ebrioſis. CXXXVI.

Laicus ſi ebrioſus fuerit, dies III. in pane & aqua pæniteat.

Generales ſententiæ de omnibus ebrioſis ac vinolentis, S. Hieronymi Presb. & Ephræm Syri Diaconi. CXXXVII.

Fuge vinum velut venenum, ne ebrietas ſuperet te expoliatumque virtutibus nudum efficiat. Vinum enim, ut S. Scriptura dicit, apoſtatare facit etiam ſapientes. Attende Noam, virum ſapientem & Sanctum, quomodo ad ebrietatem nudatus eſt dormiens. Attende Loth patriarcham, qui per ebrietatem imprudenter ſe commiſcuit filiabus. Hinc B. Baſilius ait: Multi per vinum à dæmonibus capti ſunt, nec eſt aliud ebrietas, quam maniſeſtisſimus Dæmon.

De Eadem re. CXXXIIX.

Propheta ait: Fornicatio & ebrietas aufert cor: ebrietas enim perturbationem parit, gignit mentis furorem & flammam ſuſcitat libidinis, Apoſtolo teſte: Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Si quis autem contra hæc ſanctorum fecerit ſtatuta, dignam ac longam agat pænitentiam, quia unum eſt ex his peccatis, quæ hominem à regno Dei ſeparant, dicente Apoſtolo Paulo: Neque ebrioſi regnum Dei posſidebunt.

De Eodem. Ex dictis S. Benedicti. CXXXIX.

Nihil ſic contrarium eſt homini chriſtiano, quomodo cra-

Digitized by Google

pula, ſicut ait Dominus in Evangelio: Videte, ne graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.

C. CXL. Ex Capitularibus. Titulo CLXI.

De ebrietate omnium primum Seniores ſemetipſos exinde caveant, ut junioribus ſobrietatis bonum exemplum oſtendant.

CXLI. Item. Ex Lib. III. Cap. XXXIIX.

Nullus ebrius cauſam ſuam in mallo (foro) quærere nec teſtimonium dicere præſumat nec placitum comes habeat, niſi jejunus.

CXLII. Ex eodem. Cap. LXXII.

Nemo parem ſuum vel quemlibet alterum hominem bibere roget. Et quicunque in exercitu ebrius inventus fuerit, ita excommunicetur, ut in bibendo ſola aqua utatur, quouſque ſe male feciſſe cognoſcat.

CXLIII. Ex Capitular. Lib. I. Tit. CXXXIIX.

NEMINI LICEAT ALIVM COGERE AD BIBENDVM.

CXLIV. Ex Canon. Apoſt. Tit. XLII.

Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus aleæ aut ebrietati deſerviens aut deſinat aut certè damnetur. Subdiaconus aut lector aut cantor ſimilia faciens aut deſinat aut communione privetur. Similiter etiam laicus.

CXLV. Ex Pænitentiali Cap. XIX.

Qui per ebrietatem vomitum facit, ſi presbyter aut diaconus eſt, XL dies pæniteat. Si monachus, XXX dies; Si clericus XX dies. Si Laicus, XV dies.

CXLVI. Ex Canonibus.

Si quis epiſcopus aut aliquis ordinatus vitium habuerit ebrietatis, aut deſinat aut deponatur.

CXLVII. Ex alio Pænitentiali.

Laicus ſi per ebrietatem vomitum fecerit, III dies à carne & vino & cereviſia abſtineat.

CXLIIX. Si quis per nequitiam alium inebriaverit, dies quadraginta pæniteat.

CXLIX. De His, qui euchariſtiam vomunt.

Si quis per ebrietatem vel voracitatem Euchariſtiam evomuerit,

Digitized by Google

muerit, dies XL pœniteat. Clerici & monachi ſeu diaconi, XL dies (fortè LX) pœniteant. Presbyteri LXX dies, Epiſcopi XC. Si pro infirmitatis cauſa evomuerit, dies VII. pœniteat.

De Clericis inter epulas cantantibus. Cap. CL.

Ex Conc. Afric.

Clerici inter epulas cantantes ab officio detrahendi ſunt.

Ex Eodem. CLI.

Si quis clericus aut monachus verba ſcurrilia, jocularia riſumque moventia loquatur, acerrimè corripiatur.

Ex Eodem. CLII.

Clericos ſcurriles & verbis turpibus joculatores ab officio detrahendos (*cenſemus*)

De Clericis maledicis. CLIII.

Clericus maledicus maximeque in Sacerdotibus cogatur ad poſtulandam veniam. Si noluerit, degradetur nec unquam ad officium absque ſatisfactione revocetur.

De Clericis jurantibus. CLIV.

Cleticos jurantes excommunicandos (*cenſemus*)

Vnde Supra. CLV.

Clericum per Creaturas jurantem acerrimè objurgandum, Si perſtiterit in vitio; excommunicandum (*ducimus*)

De Convitio, & maledicentia. CLVI.

Si quis convitio vel maledicto vel crimine ſubjecto læſerit aliquem, digniſſima purgetur ſatisfactione. Si hoc vitium iteraverit, pœnitentia juſtiſſima ſecundum modum culpæ expietur.

Vnde Supra. CLVII.

Apoſtolus dicit, neque maledici regnum Dei poſſidebunt. Si quis hoc peccatum admiſerit, tam grande pœniteat, quam grande perpetravit ſcelus, quod à regno Dei ſeparat.

De Detractione. CLIIX.

Si quis promtus facilisque eſt ad detrahendum dicatque quod verum non eſt, VII dies in pane & aqua ſequeſtratus à fraterno conſortio pœniteat.

Digitized by Google

C.CLIX. De Contentionibus vel rixis.

Si quis contentiones vel rixas amaverit, vel manifeſtum convitium fratri intulerit, juxta arbitrium Rectoris modumque peccati diuturna expietur pœnitentia.

CLX. Vnde Supra.

Qui contentioſus aut murmurans extiterit, ſecundum arbitrium Prioris tamdiu pœniteat, quamdiu culpæ qualitas extat.

CLXI. Vnde Supra.

Si quis videtur contentioſus eſſe, dicente Apoſtolo, nos talem conſuetudinem non habemus neque Eccleſia Dei. Si quis hoc facit, notetur, uſquequo corrigatur.

CLXII. De Laſcivis & ſuperbis.

Qui laſcivus & ſuperbus fuerit, triduo in pane & aqua pœniteat.

CLXIII. Si quis laſcivus in lingua fuerit, triduana Pœnitentia expietur.

CLXIV. De Murmurantibus.

Apoſtolus dicit: Omnia facite ſine murmurationibus. Alienus ſit à fratrum unitate, qui murmurat & opus ejus abjiciatur.

CLXV. Vnde Supra.

Si quis murmurans extiterit, (*caveat*) ne pœnam murmurantium incurrat, de qua Apoſtolus dicit: Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt & perierunt ab exterminatore. Iuxta menſuram opuſque peccati quæ in hac ſententia Apoſtoli pleniter declaratur, Sacerdotis judicio pœniteat.

CLXVI. Ex Dictis S. Baſilij.

Si quis detraxerit eum, qui præeſt, VII dies à conventu Eccleſiæ ſeparatus, ut Maria Soror Aaronis, quæ Moſi detraxit, pœniteat.

CLXVII De Seditioſis clericis. Ex Conc. Tolet.

De Clericis, qui ſeditione arma ſumſerint, amiſſo ordinis ſui gradu in monaſterium contrahantur.

Ex

Digitized by Google

Ex Concilio Ilerdenſi. CLXVIII

Si qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout dignitas officiorum vitali exceſſu contumeliam pertulerit, à Pontifice diſtrictius vindicetur.

Vnde Supra. CLXIX.

Frater in Fratrem ſi auſus fuerit manum mittere, legitimam Diſciplinam accipiat.

Ex Dictis SS. CLXX.

Clericus aut monachus in alterum inflammatus, quod eſt turpiſſimum, manus injicere (ne) præſumat, præter illos, ad quos pertinet correptio. Si quis hæc tranſgreſſus fuerit, diſciplinis canonicis ſubjacebit.

Ex Conc. Agathenſi. CLXXI.

Seditionarios nunquam ordinandos clericos, ſicut nec uſurarios vel injuriarum ultores (*ſtatuimus*)

Vnde Supra. CLXXII

Si quis in aliquo eccleſiaſtico gradu ſacratus percuſſor extiterit, corripiatur acerrimè. Si non emendaverit, tribus menſibus pæniteat in pane & aqua.

Ex Canonibus Apoſtolorum. CLXXIII.

Epiſcopum aut Presbyterum aut Diaconum percutientem fideles delinquentes aut infideles iniquè agentes & per hujuſmodi volentem timeri, dejici ab officio ſuo præcipimus, quia nos hoc Dominus non docuit; econtrario cum ipſe percuteretur, non repercuſſit.

Ex Capitularibus Lib. I. Tit. LXXII. CLXXIV.

Omnimode dicendum eſt presbyteris & diaconibus, ut arma non portent, ſed magis confidant in defenſione Dei, quam in armis.

Ex Conc. Meldenſi CLXXV.

Quicunque ex clero eſſe videntur, arma militaria non ſumant nec armati incedant, ſed profeſſionis ſuæ vocabulum religioſis moribus & religioſo habitu præbeant. Quod ſi contemſerint, tanq. SS. Canonum contemtores & eccleſiaſticæ Sanctitatis pro-

tis profanatores proprij gradus amiſſionē mulctentur, quia non poſſunt ſimul Deo & ſeculo militare.

CLXXVI. Ne epiſcopus vel presbyter canes ad venandum habeat.

Epiſcopis, Presbyteris aut Diaconis canes ad venandum aut accipitres habere non liceat. Quod ſi quis talium Perſonarum hac voluntate dejectus fuerit (h.e. canes & accipitres aluerit) ſi epiſcopus eſt, tribus menſibus à communione ſe ſuſpendat; Presbyter duobus menſibus, diaconus uno ab omni officio & à communione (*abſtineat*)

CLXXVII Ne clerici tabernas intrent. Ex Concil. Laodiceno.

Clerici edendi aut bibendi cauſa tabernas ne ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.

CLXXIIX. Vnde ſupra.

Non oportet Sacris myſteriis deditos à presbyteris uſque ad diaconum & reliquum eccleſiaſticum ordinem, uſque ad ſubdiaconum, lectores, cantores, exorciſtas & oſtiarios & ex numero continentium & monachorum ingredi tabernas.

CLXXIX. Ex Decretis Auguſtini. Vnde ſupra.

Tabernas nullus Clericorum, ut canonum prohibent decreta, cauſa ſumendi cibi aut potus audeat ingredi. Si quis hoc violaverit, ut ſacrorum canonum contemtor, acerrimis corripiatur diſciplinis.

CLXXX. Ex Concil. Carthagin.

Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis & in foro deambulat, ab officio ſuo degradetur.

CLXXXI. De Vigiliis clericorum. Ex Conc. Carthag.

Clericus, qui absque corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendio privatus excommunicetur.

CLXXXII. Ex Concil. Eliberino.

Si quis in Civitate poſitus TRES DOMINICAS ad Eccleſiam non acceſſerit, excommunicetur, quouſque correptus videatur.

De

De Eadem re. Ex Conc. Toletano. CLXXXIII

Presbyter, Diaconus, Subdiaconus vel quicunque Eccleſiæ deputatus clericus ſi in civitate fuerit, vel in loco, in quo Eccleſia eſt aut caſtelli aut vicus aut villæ, nec ad Sacrificium quotidianum venerit, clericus non habeatur, ſi caſtigatus non emendaverit.

Ex Concil. Agathenſi. CLXXXIV.

Clerici, qui Eccleſiam frequentare aut officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur.

Ex Decretis S. Benedicti. CLXXXV.

Vt ait Propheta: Septies in die laudem dixi tibi, qui ſeptenarius numerus à nobis ſic implebitur, ſi Matutino, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, Completoriique tempore noſtræ ſervitutis officia perſolvamus, quia de his dixit Propheta. De Nocturnis Vigiliis idem ait: Media nocte ſurgebam &c. Ergo his temporibus referamus laudes Creatori noſtro ſuper judicia juſtitiæ ſuæ.

Ex Concilio Venetico.

Clericus, qui intra muros Civitatis manet, & eo die matutinis hymnis ſine ægritudine defuerit, ſeptem dies à communione extraneus habeatur.

De Miſſis ante horam tertiam non celebrandis.

Ex Epiſtola Teleſphori Papæ. CLXXXVI

Miſſarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè ſunt celebrandæ, quia eadem hora & Dominus crucifixus eſt, & ſuper Apoſtolos Spiritus S. deſcendiſſe legitur, excepta nocte Sanctæ Nativitatis.

De Eadem re. CXXCVII.

Non oportet clericos & laicos religioſos ante ſanctam horam diei tertiam inire convivia, nec aliquando clericos, niſi hymno dicto edere panem & poſt cibum gratias Auctori Deo referre.

Sacramentum altaris à jejunis celebrandum.

Ex Concil. Africano. CXXCIIX.

Sacramenta altaris nonniſi à jejunis celebrentur, excepto

uno die anniverſario, quo Cæna Domini celebratur. Nam ſi aliquorum pomeridiano tempore Epiſcoporum, ſive cæterorum commendatio facienda eſt, ſolis Orationibus fiat, ſi illi, qui faciunt, pranſi inveniantur.

CXXCIX. Ex Concil. Laodiceno.

Poſt Allocutionem Epiſcoporum oportet ſeorſim primam ſuper Catechumenos Orationem celebrari. Et poſtquam Catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos, qui ſunt in Pænitentia precem fieri. His etiam accedentibus ad manum Sacerdotis & diſcedentibus tres Orationes conſummari fidelium ita, ut prima quidem ſub ſilentio, Secunda verò & Tertia per Exclamationes ſolitas expleantur.

CXC. Epiſcopi & presbyteri plebem in diebus feſtis ad orationem invitent.

Oportet, ut in diebus Dominicis & feſtis poſt ſermonem intra Miſſarum ſolennia habitum ad plebem Sacerdos admoneat, ut juxta Apoſtolicam Inſtitutionem Orationem omnes in commune pro diverſis fundant ad Dominum pro Regibus & Rectoribus Eccleſiarum, pro Pace, pro Peſte, pro Infirmis, qui in ipſa Parochia lecto de cumbunt; pro nuper defunctis, in quibus ſingillatim precibus plebs Orationem Dominicam ſub ſilentio dicat. Sacerdos verò orationes ad hoc pertinentes per ſingulas admonitiones ſolenniter expleat. Poſt hæc ſacra celebretur Oblatio. Ait enim Apoſtolus: Obſecro, primum omnium fieri orationes, obſecrationes, gratiarum actiones &c.

CXCI. Ne quis presbyter miſſam ſolus cantare præſumat. Ex Concil. Nannetenſi.

contra Miſſas Solitarias.

Definivit Sanctum Concilium, ut nullus presbyter præſumat ſolus Miſſam cantare. Cui enim dicit: Dominus vobiſcum aut, Surſum Corda, aut Gratias agamus Domino Deo noſtro, cum nullus ſit, qui reſpondet. Aut in Canone: Et omnium circumſtantium, cum nemo adſit? Aut quem invitat ad Orationem, cum dicit: Oremus, cum nullus ſit, qui ſecum oret? Aut ergo iſta penitus rejicienda ſunt, & non ſolum non erit perfectum ſacrificium, verumetiam incurret, quisquis ille eſt, terribilem ſententiam:

Digitized by Google

tentiam: Si quis tulerit de hoc, tollet Deus partem ejus de libro vitæ. Aut ſi hæc muris & parietibus inſuſurraverit, ridiculoſum erit. Quapropter periculoſa ſuperſtitio maximè à monaſteriis monachorum exterminanda eſt. Prævideant autem Prælati, ut presbyteri in Cœnobiis cooperatores habeant in celebratione Miſſarum. Si quis hæc tranſgreſſus fuerit, ab officio ſuſpendatur.

De Presbyteris, qui celebrata miſſa non communicant. Ex Can. Apoſt. CXCII.

Si quis Epiſcopus aut presbyter aut diaconus & quilibet ex ſacerdotali catalogo facta oblatione non communicaverit, aut cauſam dicat, & ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur aut ſi non dixerit, communione privetur tanq. qui populo cauſa læſionis extiterit.

Quod fideles laici communicare debeant. Vnde Supra. CXCIII.

Omnes fideles Chriſtiani, qui ingrediuntur Eccleſiam die dominico & Scripturas Apoſtolorum & Evangelium audiunt, non autem perſeverant in Oratione, uſque dum Miſſa peragatur, nec ſanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Eccleſiæ commoventes communione priventur.

Vnde Supra.

Omnes, qui ingrediuntur Eccleſiam Dei & SS. Scripturas audiunt nec communicant in oratione cum populo, ſed pro quadam intemperantia ſe à perceptione Sanctæ communionis avertunt, hi de Eccleſia removeantur, quamdiu (donec) per confeſſionem Pænitentiæ fructus oſtendant.

Ex Definitione Eccleſiaſticorum Dogmatum. CXCIV.

Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere nec laudo nec vitupero, omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi eſt, gravari magis dico Euchariſtiæ perceptione, quam purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero voluntatem non habeat & communicaturus ſatisfaciat lacrymis & orationibus & confidens de Domini Miſericordia, accedat ad Euchariſtiam

Digitized by Google

riſtiam intrepidus & ſecurus. Sed & hoc de illo dico, quem mortalia peccata non gravant.

Item S. Auguſtinus ad Ianuarium.

Dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam Euchariſtiam; alius affirmet quotidie, faciat unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum: Neque enim litigaverunt inter ſe, aut quisquam eorum ſe alteri præpoſuit Zacheus & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domo ſua ſuſceperit Dominum; alter dixerit: Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum: Ambo ſalvatorem honorificarunt, quamvis non uno modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti. Ad hoc valet, quod Manna ſecundum propriam voluntatem more cujusque ſapiebat.

CXCV. De Diligentia corporis dominici. Ex Epiſtola Clementis Papæ.

Certè tanta in altari holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debeant. Quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſerventur, ſed cum timore & tremore clericorum diligentia conſumantur. Qui autem reſidua corporis Domini, quæ in Sacrario relicta ſunt conſumunt, non ſtatim ad communes ſumendos cibos conveniant nec putent ſanctæ portioni commiſcere cibum, qui per cuniculum digeſtus in ſeceſſum emittitur. Si igitur mane dominica porrigitur, uſque ad ſextam jejunent miniſtri, qui ea conſumſerint. Et ſi tertia vel quarta hora acceperint, jejunent uſque ad veſperam. Sic ſecreta ſanctificatione æterna cuſtodienda ſunt ſacramenta.

Ex Capitularibus Lib. I. Cap. 32.

Fideles omnes communicent & ad Miſſas expectent finalem deprecationem.

Ex Lib. II. Cap. 34.

In perceptione Corporis & Sanguis dominici magna diſcretio adhibenda eſt. Cavendum enim eſt, ne ſi nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: Niſi manducaveritis carnem filij hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si verò indiſcrete accipiatur,

tur, timendum eſt illud, quod ait Apoſtolus: Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat. Iuxta ejuſdem Apoſtoli vocem probare ſe debet homo & ſic de pane illo edat, ut videlicet abſtinens aliquot diebus ab operibus carnis & purificans corpus animamque ſuam, præparet ſe ad percipiendum tantum Sacramentum, exemplo Davidis, qui niſi confeſſus fuiſſet abſtinentiam ad opere conjugali ab heri & nudius tertius, nequaquam panes propoſitionis à Sacerdote accepiſſet.

Ex Eodem Libro.

Si non frequentius, ter in anno laici homines communicent, niſi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur, i. e. in Paſcha, Natali Domini & Pentecoſte.

Ne populus antequam miſſa finiatur, eccleſia egrediatur. Ex Concil. Arelat. CXCVI.

Cum ad celebrandam Miſſam in Dei nomine convenitur, populus non ante diſcedat, quam Miſſæ ſolennitas compleatur, & ubi epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.

Ex Concil. Carthagin. Capit. CXLVII. CXCVII.

Sacerdote in Eccleſia Verbum faciente, qui egreſſus de auditorio fuerit, excommunicetur.

Ne mulieres ſacrarium introeant. Ex Conc. Laodic. CXCIIX

Non oportet mulieres ingredi ad altare & ea contingere, quæ virorum officiis deputata ſunt.

Ex Epiſtola Leonis Papæ.

Impatienter audivimus tantum divinarum rerum ſubiiſſe deſpectum, ut fæminæ Sacris Altaribus miniſtrare firmentur, cunctaque (non) niſi virorum famulatui deputata, ſexum, cui non competit exhibere.

Ex Concil. Torun. CXCIX.

Dictum eſt nobis, quod quidam Presbyteri celebrata miſſa detrectantes ipſi ſumere divina myſteria, quæ conſecrarunt, calicem Domini mulierculis, quæ ad miſſas offerunt, tradunt, vel

quibuſdam laicis, qui dijudicare corpus Domini neſciunt i. e. diſcernere inter cibum ſpiritualem & carnalem, quod quantum ſit omni eccleſiaſticæ religioni contrarium, pietas fidelium novit. Vnde omnibus presbyteris interdicimus, ut nullus in poſterum hoc facere præſumat, ſed aut ipſe cum reverentia ſumat aut diacono aut ſubdiacono, qui miniſtri altaris ſunt, colligenda tradat. Illud etiam attendat, ut eos propria manu communicet. Nulli autem laico aut fœminæ euchariſtiam in manibus ponat. Sed tantum in ore cum his verbis: Corpus & Sanguis Domini proſit tibi ad remiſſionem peccatorum & ad vitam æternam. Si quis hæc transgreſſus fuerit, quia Deum omnipotentem contemnit & quantum in ipſo eſt, inhonorat, ab altari removeatur.

Cap. CC De Thuribulo & incenſo. Vnde Supra.

Tempore, quo Evangelium legitur, & finito offertorio, ſuper oblationem incenſum, in mortem videlicet Redemtoris ponat.

Ca. CCI. De Prædicatione Presb. Ex Capit. L I. Tit. LXXVI.

Sed & unicuique veſtrum videndum eſt, Dilectiſſimi & Venerabiles Paſtores Eccleſiarum Dei, ut presbyteri, quos præmittitis ad parochias veſtras regendum & ad prædicandum *(docendum)* per Eccleſias populum Dei, ut honeſtè prædicent, nec ſinatis nova aut inuſitata aliquos ex ſuo ſenſu & non ſecundum Sacras Scripturas fingere & prædicare populo, ſed & vosmet ipſi utilia, honeſta, & recta, quæ ad Vitam ducant æternam prædicate, alios quoque inſtruite, ut hæc eadem prædicent.

Ca. CCII Quid prædicare debeant presbyteri.

Primò omnium prædicandum eſt omnibus generaliter, ut credant Patrem & Filium & Spir. S. unum eſſe Deum omnipotentem, qui omnia fecit & unam eſſe Deitatem & Subſtantiam & Majeſtatem in tribus Perſonis, Patris, Filij & Spiritus S.

De Incarnatione.

Item prædicandum eſt, quomodo Filius Dei incarnatus eſt de Spiritu S. ex Maria ſemper Virgine pro ſalute humani generis, paſſus, ſepultus, tertia die reſurrexit, & cælum aſcendit in fine mundi

Digitized by Google

mundi veniens (venturus) judicare omnes homines ſecundum opera propria, quo modo impij cum diabolo in igneum æternum mittentur. Iuſti cum Chriſto in Vita æterna erunt.

Item prædicandum eſt, quod omnes homines in propria carne reſurgent.

Item prædicandum eſt, pro quibus criminibus cum diabolo deponuntur, quæ Apoſtolus enumerat: Fornicatio, Immundicia, Luxuria, idolorum ſervitus, veneficia &c. Qui talia agunt regnum Dei non conſequentur. Igitur hæc cum omni ſtudio prohibeantur.

Item prædicandum eſt de Dilectione Dei & Proximi, de Fide & Spe in Deo, de Humilitate, Patientia, Caſtitate, Benignitate, Miſericordia, de Eleemoſynis, de Confeſſione, ut fratribus ex corde remittatur &c. Qui hæc & his ſimilia agunt, regnum Dei conſequentur æternum.

Ex eodem. Lib. I. Cap. CLIV. CCIII.

Vnusquisque presbyter capitula habeat de majoribus & minoribus vitiis, per quæ cognoſcere valeat vel prædicare Subditis, ut ab inſidiis diaboli caveant.

Ex eodem. Cap. CLIX. CCIV.

Sacerdos admoneat populum, ut eleemoſynas dent & Orationes faciant pro diverſis plagis, quas aſſiduè pro peccatis noſtris patimur.

Ex Cap. CLX. CCV.

Ipſi Sacerdotes, unusquisque ſecundum ordinem ſuum prædicare & docere ſtudeant plebem ſibi commiſſam.

Admonitio ad Epiſcopos. Ex Lib. II. Cap. V. CCVI.

De Sacerdotibus ad veſtram curam pertinentibus magnum adhibete ſtudium, ut qualiter vivere debeant & quo modo populis ad ſuæ portionis curam pertinentibus exemplo & verbo proſint, à vobis magna cura doceantur, admoneantur, & ut id facere ſtudeant, veſtra autoritate conſtringantur.

Ex Concil. Nannetenſi.

Quisque Presbyter, qui plebem regit, clericum habeat, qui

cantet

cantet & epiſtolam & lectionem legat & qui Scholam poſſit tenere & admoneat ſuos parochianos, ut filios ſuos ad pſalterium diſcendum mittant ad Eccleſiam; quos ipſe in omni caſtitate erudiat.

CCIIX. **Ex Eodem. Cap. XIX.**

Presbyter manę matutinali officio expleto, penſum ſervitutis ſuæ canendo Primam, Tertiam, Sextam, Nonamque perſolvat ita tamen, ut poſtea horis competentibus juxta poſſibilitatem aut à ſe aut à Scholaribus publicè compleantur. Deinde peractis Miſſis & infirmis viſitatis ad opus rurale exeat jejunus, ut neceſſitatibus peregrinorum & hoſpitum, vel diverſorum commeantium, infirmorum quoque & defunctorum ſuccurrere *poſſit* uſque ad ſtatutam horam pro qualitate temporis & opportunitatis.

CCIX. **De Cura hoſpitum presbytero habenda. Vnde ſupra.**

Presbyter Curam hoſpitum, maximè pauperum & debilium Orphanorum & peregrinorum habeat, hoſque ad prandium ſuum quotidie juxta poſſibilitatem convocet eiſque hoſpitium tribuat.

Ex eodem Capite.

Vt omnis occaſio rapinæ tollatur, volumus, ut Presbyteri, qui bonum exemplum charitatis omnibus oſtendere debent, hoſpitales exiſtant, juxta Dominicum & Apoſtolicum præceptum, & humanitatem præbeant iter facientibus, quia per hoſpitalitatem placuerunt quidam Deo, Angelis hoſpitio receptis & Dominus in die judicij dicturus eſt Electis: Hoſpes eram, & ſuſcepiſtis me. Et Hiob dicit: Oſtium meum ſemper viatori patuit.

CCX. **De Aqua benedicta. Ex Epiſtola Alexandri Papæ.**

Aquam cum ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea adſperſi omnes ſanctificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, quanto magis aqua, quæ ſale aſperſa diviniſque precibus ſacrata eſt, populum ſanctificat atque mundat? Et ſi ſale

aſperſo

aſperſo per Eliſam Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quantomagis divinis precibus ſacrata aqua ſterilitatem rerum humanarum aufert & coinquinatos ſanctificat, & purgat & cætera bona multiplicat, & inſidias Diaboli avertit & à phantaſmatum verſutiis hominem defendit.

De Eadem re. Ex ſupradicto Concilio Cap. V. CCXI.

Omni die Dominico quiſque Presbyter in ſua eccleſia ante miſſarum ſolennia aquam benedictam faciat in vaſe nitido & tanto myſterio convenienti, de qua populus intrans eccleſiam aſpergatur, & qui voluerit in vaſculis ſuis accipiat ex ipſa, & per manſiones & agros & vineas ſuper pecora quoque ſua atque ſuper pabula eorum, nec non ſuper cibos & potum ſuum conſpergat.

De Presbyteris, qui culpas peccantium reticent vel minus digne Pœnitentes reconciliant. Vnde ſupra. CCXII.

Nemo Presbyterorum Xenium vel quodcunque emolumentum temporale, imò detrimentum ſpirituale à quocunque publicè peccante, vel inceſtuoſo accipiat, ut Epiſcopo vel miniſtris ejus peccatum illius reticeat nec pro reſpectu cujusque perſonæ aut conſanguinitatis aut familiaritatis alienis communicans peccatis hoc Epiſcopo innoteſcere detrectet, nec à quoquam pænitente aut gratia aut favore munus ſuſcipere præſumat, aut minus dignè pænitentem ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat, & quocunque livore alium quemlibet dignius pænitentem à reconciliatione removeat, quia hoc Simoniacum & Deo & hominibus contrarium eſt.

Ex Pænitentiali.

Qui reticuerit peccatum fratris, quod eſt ad mortem nec eum corripuerit, aut Eccleſiæ Dei ut emendetur, dixerit, quamdiu conſenſit, tamdiu pæniteat.

De Presbyteris, qui à fidelibus ad prandium invitantur. Vnde ſupra Cap. XIV. CCXIII.

Nullus Presbyter, quando ad anniverſarium diem trigeſimum

mum aut ſeptimum vel tertium alicujus defuncti aut quacunque vacatione ad collectam Presbyteri convenerint, ſe inebriari ullatenus præſumat nec precetur in amore ſanctorum, nec ipſius animæ (ſalutem) bibat, nec alios ad bibendum cogat, nec ſe aliena precatione ingurgitet, nec plauſus & riſus inconditos nec inanes fabulas referre aut cantare præſumat nec turpia joca (turpes jocos) cum urſo vel tornatricibus ante ſe facere permittat nec larvas dæmonum, quas vulgo Dalamaſchas vocant, ante ſe fieri conſentiat, quia hoc Diabolicum eſt & ſacris canonibus prohibitum.

CCXIV. De Rixis Presbyterorum.

Summopere etiam quisque Presbyter caveat, ſi de ſtatu ſuo vult gaudere, ne quacunque occaſione parem ſuum aut alium quemlibet ad iram & rixam, multominus ad pugnam vel ad cædem aliquo verbo irritet ſeu provocet, nec provocatus ad hoc quisquam proſiliat, quia in talibus commeſſationibus & potectionibus ſemper Diabolus ſe immiſcet.

CCXV. De Conviviis Presbyterorum.

Quando convenerint Presbyteri ad Convivium, Decanus aut aliquis prior illorum verſum ante menſam incipiat & cibum benedicat, & tunc ſecundum ordinem ſuum ſedeant, alter alteri honorem portantes *(deferentes)* & per vices cibum ac potum benedicant & aliquis de clericis de ſacra ſcriptura aliquid legat, poſt refectionem ſimiliter ſanctum hymnum dicant ad exemplum Domini, ſicut in cœna feciſſe legitur, & ſic ſe contineant omnes Presbyteri, maximè in talibus locis, ne miniſterium noſtrum vituperetur.

CCXVI. De Calendis. Vnde ſupra Cap. XVI.

Quando Presbyteri per Calendas ſimul conveniunt poſt peractum divinum miniſterium & neceſſariam Conſolationem non quaſi ad prandium ibi ad tabulas reſideant, & per talia inhoneſta convivia invicem graventur, quia indecens eſt & oneroſum; ſæpe etiam tardè ad eccleſias redeunt & magis damnum de reprehenſione conquirunt & de gravedine mutua *(plus oneris)* contrahunt, quàm ut lucrum ibi faciant. Nam de hujuſmodi conventibus Paulus Corinthios reprehendit, qui inconvenienter, dum

Digitized by Google

dum conveniebant, cœnam Dominicam manducârunt, ſic & qui ad cœnam Dominicam id eſt ad collationem verbi ſub occaſione (*pio prætextu*) conveniunt, ſed ex veritate ventris cauſa conjunguntur, reprehenſibiles coram Deo & hominibus habentur, & ideò peractis omnibus, qui voluerit, panem cum charitate in domo fratris ſui ſimul cum fratribus frangat & ſingulos libere excipiat, maximè ultra tertiam vicem poculum non contingant & ſic ad eccleſias redeant.

De His, qui de nihil habentibus ordinantur. CCXVII

Ex Conc. Carthaginienſi.

Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur & tempore Epiſcopatus vel clericatus ſui agros vel quæcunque prædia ſuo nomini comparant, tanquam rerum Dominicarum invaſionis crimine teneantur, niſi admoniti in eadem eccleſia ipſa contulerint.

Ex capitulis. Libro I. Cap. CL. CCXIIX

Vnusquisque Presbyter res, quas poſt diem conſecrationis acquiſiverit, propriæ eccleſiæ relinquat.

Ex Concilio Rhemenſi. CCXIX.

Inveſtigandum eſt, ſi nihil patrimonij habens Presbyter quando provectus eſt ad ordinem eccleſiaſticum, poſtea emerit prædia, cujus juris ſint, quomodo (*in eo caſu*) eccleſiæ, ad quam de nihil habente promotus eſt, eſſe debent, juxta Canonicam autoritatem.

Ex Conc. Arauſicano. Cap. LIV.

Presbyter cum Diœceſin tenet, de his, quæ emerit ad eccleſiæ nomen ſcripturam faciat, aut ab ejus quam tenet eccleſiæ ordinatione diſcedat.

De Reditibus vel Oblationibus eccleſiæ. CCXX.

Inquirendum eſt, ſi occaſione hujus præcedentis capituli aliquis Presbyterorum de reditibus eccleſiæ vel oblationibus ac votis fidelium alio nomine res comparaverit, & ibi ſtructuras fecerit, vel quæ ad eccleſiam pertinent, ibidem collocaverit, & mulierum frequentationem inibi fieri permiſerit, vel quod turpe eſt, tales mulieres ibidem habuerit, quæ lanificium

Digitized by Google

ſuum exerceant & curam domûs agant, & ibidem Presbyter frequenter veniens manſerit. Contra decreta Canonum hoc malum agitur, quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine Presbyter fænus exercere debet, multo minus fraudem facere de facultatibus eccleſiaſticis, quoniam hoc ſacrilegium eſt & par crimen Iudæ furis, qui ſacras oblationes aſportabat & furabatur.

CCXXI. De Vſuris. Ex Canone Apoſtolico.

Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus uſuras à debitoribus exigens aut deſinat aut certe damnetur.

CCXXII Ex Conc. Nicæno.

Quoniam multi ſub regula conſtituti avaritiam & turpia lucra ſectantur, obliti ſcripturæ dicentis: Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram &c. mutuum dantes Centeſimas exigunt, juſtè cenſuit Sancta Synodus, ut ſi quis inventus fuerit uſuras accipiens aut hemiolia id eſt ſextupla exigens, vel aliquid tale prorſus excogitans, turpis lucri gratia à clero dejiciatur & alienus à regula exiſtat.

CCXXIII. Ex Conc. Laodiceno.

Non oportet ſacerdotes & Clericos fœnerantes uſuras vel quæ dicuntur ſextupla id eſt ſummam capitis & dimidium ſummæ percipere.

CCXXIV. Ex Epiſtola Leonis.

Nec hoc prætereundum duximus quoſdam turpis lucri cupiditate captos uſurariam exercere & fænore velle diteſcere, quod non dicam in eos, qui ſunt in clericali officio conſtituti, ſed & in laicos cadere, qui Chriſtianos ſe dici cupiunt, condolemus.

CCXXV. Ne quis clericus ſub alieno nomine uſuras exerceat. Ex eadem Epiſtola.

Illud etiam præmonendum duximus, ut ſicut non ſuo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet.

CCXXVI. Ex Conc. Tarraconenſi.

Quicunque in clero eſſe voluerit, emendi viliùs & vendendi carius ſtudio ne utatur.

Ex

Digitized by Google

Ex Conc. Eliberino. CCXXVII.

Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi de locis ſuis negotiandi cauſâ non diſcedant nec circum euntes provincias, nundinas ſectentur. Ad victum ſibi conquirendum aut filium aut libertum aut mercenarium aut amicum mittant. Et ſi voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

Ex Conc. Carthaginienſi. CCXXIIX.

Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi non ſint conductores, aut procuratores, nec ullo turpi vel inhoneſto negotio victum quærant, quia ſcriptum eſt: nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.

Ex eodem. CCXXIX.

Item placuit, ut Clericus, ſi commodaverit pecuniam, pecuniam recipiat. Si ſpeciem *(rem alterius generis)* eandem ſpeciem, quantum dederit, recipiat.

Ex Capitularibus Lib. II. Cap. XXXVI. CCXXX.

Presbyteri à turpibus lucris & uſuris non ipſi ſolùm abſtineant, verum etiam plebes ſibi ſubditas abſtinere inſtruant.

Ex Conc. Chalcedonenſi. CCXXXI.

Pervenit ad ſanctam Synodum, quod quidam, qui in clero electi videntur, propter turpia lucra conductores alienarum poſſeſſionum fiant & ſecularia negotia ſub cura ſua ſuſcipiant, Dei quidem miniſterium parvi pendentes, ſecularium verò percurrentes domos & propter avaritiam patrimoniorum ſollicitudinem ſumentes. Decrevit itaque ſanctum Concilium, neminem deinceps, nec Epiſcopum nec Clericum nec Monachum aut poſſeſſiones conducere aut negotiis ſecularibus ſe immiſcere, præter eccleſiaſticarum rerum ſollicitudinem.

Ex Conc. Meldenſi. Cap. XLIX. CCXXXII.

Nemo Laicorum Presbyteros eccleſiarum ſuarum turpi villicationi & ut Apoſtolus ait, ſeculari & inhoneſtæ negotiationi implicare nec ſecum alios contra autoritatem ducere præſumat, quo miniſterium ſibi commiſſum negligere cogantur. Quod ſi contra interdicta præſumſerit, excommunicetur.

Digitized by Google

CCXXXIII **De Ordinatis propter pecuniam. Ex canone Apoſtolorum.**

Si quis Epiſcopus, aut Presbyter aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur ipſe & ordinator ejus & à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à Petro.

CCXXXIV **Ex Concilio Chalcedonenſi.**

Si quis Epiſcopus per pecunias fecerit ordinationem & ſub pretio redegerit Spiritus Sancti gratiam, quæ non poteſt vendi, ordinaveritque per pecunias Epiſcopum, aut Presbyterum aut Diaconum, proprij gradus periculo ſubjacebit, & qui ordinatus eſt, nihil ex tali ordinatione proficiat, ſed alienus ſit à dignitate. Si quis verò Mediator datis vel acceptis extiterit, ſi clericus fuerit, proprio gradu decidat; ſi Monachus aut Laicus, anathematizetur.

CCXXXV. **Ex Epiſtola Gelaſii Papæ.**

Quos conſtiterit indignos meritis ſacram mercatos eſſe precio dignitatem, convictos oportet arceri, quia dantem pariter accipientemque damnatio Simonis, quam ſacra Lectio teſtatur, involvit.

CCXXXVI **Ex Epiſtola Hormiſdæ Papæ.**

Hoc itaque ad priora conjungimus, ne benedictio per impoſitionem manus, quæ à Deo eſſe creditur, precio comparetur, quia Simon Spiritum Sanctum volens redemptione mercari Apoſtoli fuit deteſtatione percuſſus.

CCXXXVII. **Ex Concil. Nannetenſi.**

Omnibus miniſtris eccleſiaſticæ dignitatis interdicimus, ut nullus quocunque munere aut favore corruptus Clericum alterius Parochiæ latenter vel furtivè ad ordinationem ſubintroducere præſumat. Quod ſi fecerit, juxta Chalcedonenſe decretum is, qui ordinatus eſt, donum Spiritus Sancti, quod furari conatus eſt, amittat, & qui mediator extitit, ſi Clericus eſt, proprio gradu decidat, ſi Laicus aut Monachus, anathematizetur.

CCXXXIIX. **Ex Conc. Meldenſi. Cap. XLIII.**

Cavendum eſt & ſummoperè præcavendum & per virtutem ſangui-

ſanguinis Chriſti interdicendum Epiſcopis & Regibus & omnibus ſublimioribus poteſtatibus atque cunctis fautoribus & Erectoribus quorumcunque & conſenſoribus vel ordinatoribus in gradu eccleſiaſtico, ut nemo per Simoniacam Hæreſin regiminis locum obtineat quacunque factione, calliditate, promiſſione, vel commoditate aut datione per ſe, aut per emiſſam perſonam, cum Spiritus Sanctus inter cætera documenta per os Sancti Gregorij dicat: Cur non perpendit, quod benedictio illi in maledictionem convertitur? Et alibi: Dolens, inquit, dico & gemens denuncio, ſacerdotium, quod apud vos intus cecidit, foris diu ſtare non poſſe.

De Munere, quod à lingua pendet. Ex dictis Sancti Gregorij. CCXXXIX

Sunt nonnulli, qui numorum quidem præmia ex ordinatione non accipiunt & tamen ſacros ordines pro humana gratia largiuntur. Hi nimirum quod gratis accipiunt, gratis non tribuunt, quia numum favoris de impenſo ſanctitatis officio expetunt. Vnde cum virum juſtum deſcriberet Eſaias, ait: Qui excutit manus ſuas ab omni munere. Aliud enim eſt munus ab obſequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus ab obſequio eſt ſubjectio indebitè impenſa. Munus à manu pecunia eſt. Munus à lingua, favor (*applanſus, adulatio*) Qui ergò ſacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in Divinis rebus non ſolum ullam pecuniam, ſed etiam humanam gratiam non requirit.

De Presbyteris xenia dantibus, Ex Capitulari Libro I. CCXL.

Nullus Presbyter ad introitum eccleſiæ Xenia donet.

De Clericis aliorum Eccleſias vel Beneficia per pecunias tollentibus.

Sancitum eſt & omnibus modis prohibitum, ut ſi quis Presbyter inventus fuerit alicui Clerico aut Laico munera dare vel dediſſe aut aliquam pecuniam tribuere, ut alterius Presbyteri eccleſiam ſurripiat, pro hac cupiditate ſeu rapina turpis lucri gratiâ dejiciatur à Clero & alienus exiſtat à Regula. Nam ſi pro miſericor-

ſericordia Epiſcopo placuerit, longo tempore eum pœnitendo, quæ geſſerit, in carceris ærumnas concludere, & uſque ad ſatisfactionem ibi detinere; poſtea ſi ſe correxerit, & talia deinceps minimè ſe facere (*facturum*) promiſerit, humanius erga eum agere poterit, ſi voluerit, & ipſe dignus inventus fuerit.

CCXLI. Ex Capitulis. Cap. XLI.

Nullus Laicus Presbyterum in eccleſiâ mittere vel ejicere præſumat, niſi per conſenſum Epiſcopi.

Ex eodem.

Interdicendum videtur Clericis & Laicis ne quis cuilibet Presbytero eccleſiam dare præſumat, ſine licentia & conſenſu Epiſcopi ſui.

CCXLII Ex eodem.

De his, qui ſine conſenſu Epiſcopi Presbyteros in eccleſiis ſuis conſtituunt, vel de eccleſiis ejiciunt, & ab Epiſcopo vel quolibet miſſo Dominico admoniti obedire noluerint, ut Banni noſtri rei per Fidejuſſores ad palatium venire jubeantur, ut tunc nos decernamus, utrum nobis placeat ut illum Bannum perſolvant, aut aliam aruſcaram (*pœnam arbitrariam*) ſuſtineant.

CCXLIII. De Eccleſiis inter cohæredes diviſis.

Ex eodem.

De eccleſiis, quæ inter cohæredes ſunt diviſæ, conſiderandum eſt, quatenus (*ut*) ſi ſecundum providentiam & admonitionem Epiſcopi ipſi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, in Epiſcopi poteſtate maneat, utrum eas ita conſiſtere permittat, an reliquias exinde auferat.

De Eadem re. Ex Conc. Triburienſi.

Si plures Hæredes contenderint de communi eccleſia, auferri jubeat Epiſcopus reliquias ſacras & eccleſiam claudi, donec communi conſenſu ſtatuant ibi pretbyterum & unde vivat.

CCXLIV. Ex Concilio. Vnde ſupra.

Sicut in unaquaque eccleſia Presbyter debet eſſe, ita ipſa eccleſia, quæ ſponſa vel uxor ejus dicitur, non poteſt dividi inter plures Presbyteros, ſed unum tantummodo habebit ſacerdotem, qui

Digitized by Google

qui eam caſtè & ſinceriter regat. Vnde interdicimus, ut nullus præſumat eccleſiam inter duos vel plures dividere, quia eccleſia Chriſti uxor & ſponſa debet eſſe, non ſcortum, ſicut Calixtus Papa teſtatur.

Ne Laici Eccleſias teneant vel Decimas accipiant. CCXLV.

Ex Concilio Cap. LXV.

Indignum valde eſt, ut qui regia dignitate cæteros eccleſiæ filios autore Deo præcellitis, negligentius quæ Dei ſunt exequi videamini. Vnde dignum eſt, ut capellas villarum veſtrarum Laicis non committatis, ſed illis potius, qui eadem ſacrata loca religioſius tractent & vobis debitum obſequium impendant. Monemus ergò & hortamur, ne quod abſit, periculum anathematis ex Decimis præſumtis incurratis, ut hoc corrigere ſtudeatis.

Ex Eodem. CCXLVI.

Si capellas veſtras Presbyteris aut viris eccleſiaſticis dederitis & (*hi*) dominicas decimas acceperint, ſarta eccleſiæ tecta & luminaria exinde competenter provideant. Presbyteri Parochianas Decimas accipiant, & neceſſitatibus populi debitè invigilent.

Ex eodem. CCXLVII.

Si laici Capellas veſtras habuerint, à ratione & ab autoritate alienum habetur, ut ipſi decimas accipiant & inde canes aut genitiarias ſuas paſcant, ſed potius Presbyteri eccleſiarum eas accipiant & inde reſtaurationem eccleſiarum & luminaria & hoſpitum ac pauperum receptionem exhibeant, & pro vobis ac ſtatu regni, Dei noſtri miſericordiam ſtudioſè implorent.

De Clericis, qui relictis eccleſiis ſuis ad alias migrant. Ex Conc. Nicæno. CCXLIIX.

Quicunque temerè & periculosè nec Dei timorem præ oculis habentes, nec agnoſcentes eccleſiaſticam regulam ab eccleſia diſcedunt Presbyteri, Diaconi & quicunque ſub regula exiſtunt, hi nequaquam debent in aliam eccleſiam recipi. ſed omnem neceſſitatem convenit illis imponi, ut ad ſuas Parochias revertantur. Quod ſi non fecerint, oportet eos communione privari.

Ex Conc. Laodiceno. Cap. X. CCXLIX.

Non licet Clericum in duarum civitatum eccleſiis ſimul con-

I ſcribi,

ſcribi, & in qua initio ordinatus eſt, & ad quam confugit quaſi ad optiorem (*meliorem*) ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debent ad ſuam eccleſiam, in qua primitus ordinati ſunt, & ibi tantummodo miniſtrare.

CCL. Ex Conc. Antiocheno.

Epiſcopus ab alia Parochia nequaquam migret ad aliam, nec ſponte ſua prorſus inſiliens nec vi coactus à populis. Maneat autem in eccleſia, quam primitus à Deo ſortitus eſt, nec facile tranſmigret.

CCLI. Ex Decretis Calixti Papæ.

Quomodo alterius uxor nec adulterari ab aliquo, & judicari aut diſponi, niſi à proprio viro, eo vivente permittitur. Sic nec uxor Epiſcopi & Presbyteri, quæ ejus eccleſia vel Parochia indubitanter intelligitur, eo vivente, alteri judicare vel diſponere aut ejus concubitu frui permittitur. Unde Apoſtolus: Alligata eſt uxor Legi, quamdiu vir ejus vivit. Eo verò defuncto, ſoluta eſt à lege viri. Similiter & eccleſia, quæ uxor ſacerdotis dicitur, eo vivente ei alligata eſt; eo verò defuncto, nubat in Domino id eſt, regulariter. Si enim eo vivente alteri nupſerit, adultera judicabitur.

CCLII. Ex Epiſtola Calixti Papæ.

Nemo alterius terminos uſurpet, nec alterius Parochianum judicare aut excommunicare præſumat, quia talis dijudicatio aut excommunicatio nec rata erit, nec vires ullas habebit, quoniam nullus alterius judicis, niſi ſui ſententia tenetur vel damnatur. Nullus autem Primas & Metropolitanus diœceſin, eccleſiam vel Parochiam uſurpet aut aliquem de ejus Parochia excommunicare aut judicare præſumat abſque conſilio vel judicio ejuſdem Epiſcopi; ſed hoc obſervet, quod ab Apoſtolis & Patribus & prædeceſſoribus noſtris eſt conſtitutum, & à nobis confirmatum.

CCLIII. Ex eadem Epiſtola.

Si quis Metropolitanus Epiſcopus niſi quod ad ſuam propriam Parochiam pertinet, ſine conſilio & voluntate omnium comprovincialium Epiſcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus ſui periculo ſubjacebit, & quod ita egit, irritum habeatur.

De

De Clericis Prochéo præfectis. Ex Conc. Chalcedonenſi. CCLIV.

Clerici, qui prochéis præficiuntur, vel qui ordinantur in monaſteriis & Baſilicis Martyrum ſub Epiſcoporum, qui in unaquaque Civitate ſunt, poteſtate, ſecundum ſanctorum Patrum traditiones permaneant, nec ab Epiſcopo ſuo per Contumaciam disſiliant. Qui vero audent evertere hujuſcemodi formam, nec proprio Epiſcopo ſubjiciuntur, ſi clerici ſunt, Canonum correptionibus ſubjacebunt. Si laïci vel Monachi, communione priventur.

Ne presbyter plures una eccleſias habeat. Ex Capitulis Lib. I. C. 86. CCLV.

Statutum eſt, ut unaquæque eccleſia ſuum Presbyterum habeat, ubi Presbyterum fieri (*eccleſiæ*) facultas providente Epiſcocopo permiſerit.

Ex Conc. Nannetenſi. CCLVI.

Sicut Epiſcopus non poteſt plus habere, quam unam civitatem, & vir unam uxorem: ita Presbyter unam tantum eccleſiam. Itaque nullus Presbyter plures præſumat habere eccleſias, niſi forte alios Presbyteros ſub ſe in unaquaque illarum habeat, qui nocturnum & diurnum officium ſolenniter adimpleant & Miſſarum celebrationes quotidianis expleant ceremoniis.

Ex Conc. Carthaginenſi. CCLVII.

Caſſianus Epiſcopus dixit: Statuat Gravitas veſtra, ut unuſquisque Clericus vel Laicus non communicet in alia plebe ſine literis Epiſcopi ſui.

Ex Capitulis L. I. Tit. CLXXX.

Nullus Presbyter in alterius Parochia Miſſam cantare præſumat, niſi in itinere fuerit, nec decimam ad alterum pertinentem audeat recipere.

Ex Conc. Antiocheno. CCLIIX.

Epiſcopus alienam civitatem, quæ non eſt illi ſubjecta, non adeat, nec ad poſſeſſionem accedat, quæ ad eum non pertinet,

nec ordinationem ibi facere præſumat, niſi forte cum conſilio & voluntate regionis Epiſcopi.

CCLIX. Ex Synodo Meldenſi.

Si quis de ordine ſacerdotali contemptu minoris eccleſiæ ambitioſè & improbè ad potiorem aſpiraverit, canonica erga eum definitio conſervetur.

CCLX. De Pœnitentibus ad bibendum vinum non invitandis. Ex Capit. Lib. I. Titul. CLI.

Nullus Presbyter aut Laicus pænitentem invitet vinum bibere aut carnem manducare, niſi ad præſens pro ipſo unum vel duos denarios juxta qualitatem pænitentiæ dederit.

CCLXI. Ex eodem.

Nullus Presbyter Chattas ſcribat, aut conductor ſui ſenioris exiſtat.

CCLXII. De Forma Baptiſmi. Ex canone Apoſtolorum.

Si quis Epiſcopus aut Presbyter juxta Præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti, ſed in tribus ſine initio principiis aut in tribus Filiis aut in tribus Paracletis, abjiciatur.

CCLXIII. Ex eodem.

Si quis Epiſcopus aut Presbyter non trinam merſionem unius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur: Non enim dixit Dominus: In morte mea baptizate, ſed euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

CCLXIV. Tempus Baptiſmi Paſcha & Pentecoſte. Ex Epiſtola Leonis Papæ.

Quia manifeſtiſſimè patet, baptizandis in eccleſia electis, hæc duo tempora id eſt Paſcha & Pentecoſten legitima eſſe, dilectionem veſtram monemus, ut nullos alios dies huic obſervantiæ miſceatis; quia licet ſint alia quoque feſta, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur, principalis tamen & maximi ſacramenti

cramenti (*inſtar*) cuſtodienda nobis eſt (*feſtivitas Paſchæ & Pentecoſtes*) non interdicta licentia, qua in tribuendo baptiſmo quolibet tempore periclitantibus ſubvenitur: Ita enim ad has duas feſtivitates ſibi connexas atque cognatas incolumium & in pacis ſecuritate degentium vota libera deferimus, ut in mortis periculo, in obſidionis diſcrimine, in perſecutionis anguſtiis, in timore naufragii; nullo tempore hoc veræ ſalutis ſingulare præſidium cuiquam denegemus.

Ex Conc. Neocæſarienſi. De Gravidis baptizandis. CCLXV.

Gravidam oportet baptizari, quando voluerit. Nihil enim in hoc quæ parit, neſcienti communicat, propterea quod uniuſcujusque ſuum propoſitum in confeſſione declaretur.

De Infantibus expoſitis. Ex Concil. Carthaginienſi. CCLXVI.

Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe, ſine dubitatione teſtentur; nec ipſi ſunt per ætatem idonei de traditis ſibi ſacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos.

De Mortuis ante confirmationem. Ex Concilio Eleritano. CCLXVII.

Si quis Diaconus regens plebem ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit. Quod ſi ante de ſeculo deceſſerint, ſub fide, quâ quisque credidit, poterit eſſe juſtus.

De Rebaptizatis. Ex Conc. Ilerdenſi. CCLXIIX.

De his, qui in prævaricatione rebaptizati ſunt, ſine aliqua neceſſitate vel tormento, placuit, ut circa eos Nicænæ Synodi ſtatuta ſerventur, id eſt, ut ſeptem annos inter Catechumenos orent, & duos inter catholicos, & poſtea fidelibus in oblatione & Euchariſtia communicent.

Ex Conc. VVormatienſi. CCLXIX.

Sacroſancti baptiſmi ſacramentum non niſi in Paſchali feſtivitate & Pentecoſte unusquisque fidelium noverit eſſe præbendum,

 dum,

ctum; exceptis his quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant talibus remediis ſubvenire oportet.

CCLXX. Ex Conc. Meldenſi. Cap. XLIX.

Nemo Presbyterorum baptizare præſumat, niſi in vicis & eccleſiis baptiſmalibus, & temporibus conſtitutis, niſi cauſa ægritudinis vel certæ neceſſitatis, & (ut) vici autoritatem & privilegia debita retineant.

CCLXXI. De Fontibus ſacris. Vnde ſupra.

Omnis Presbyter, qui fontes lapideos habere nequiverit, vas conveniens ad ſolum baptizandi officium habeat. Similiter ad corporale lavandum & ad pallas altaris propria vaſa habeantur, in quibus aliud nihil fiat.

CCLXXII. De Symbolo & Oratione dominica. Ex Conc. Rhemenſi. Tit. XX.

Omnis Presbyter omnibus Parochianis ſuis ſymbolum & orationem Dominicam aut ipſe inſinuet aut inſinuandum aliis injungat; & cum ad confeſſionem tempore quadrageſimali veniunt, hæc ab unoquoque memoriter ſibi decantari faciat, nec ante ſanctam communionem alicui tradat, niſi hæc ex corde pronunciare noverit; quia ſine horum ſcientia nemo ſalvus eſſe poterit. In uno enim fides & credulitas Chriſtiana continetur. In alio quid orare & petere debeamus exprimitur. Quod verò ſine fide nemo poſſit eſſe ſalvus, Dominus oſtendit, cum dicit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Nullus autem credere poteſt, quod neſcit nec audivit. Ait enim Paulus: Quomodo credent ei, quem non audierunt? Nec ſola ſufficit fides in corde, niſi etiam verbis enuncietur, ut idem Apoſtolus teſtis eſt: Corde, inquit, creditur ad juſtitiam; ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Nullus autem de ſtoliditate ſenſus vel tenuitate ingenij cauſetur, quia hæc tam parva ſunt, ut nemo tàm hebes & barbarus ſit, qui hoc diſcere & verbis communibus pronunciare non poſſit; tàm magna, ut nemo horum ſcientiam pleniter capere poſſit. Sufficere ea ſibi credat ad ſalutem perpetuam. Illud etiam obſervandum, ut nullus ſuſcipiat infantem in baptiſmo à ſacro fonte, antequam Symbolum & orationem Dominicam coram Presbytero decantet; & ut Presbyter omnibus Patrinis annunciet, quod debi-

debitores ſint ſuis filiolis, cum ad intelligibilem ætatem venerint, hæc eadem inſinuare.

Ex Capitulis Lib. II. De Patrinis. CCLXXIII

Præcipimus, ut unuſquisque compater & proximi ſpirituales filios ſuos catholicè inſtruant.

Ex eodem. Cap. XLIV. CCLXXIV

Parentes filios ſuos, & patrini eos, quos de fonte ſuſcipiunt, erudire ſummopere ſtudeant. Illi, quia eos genuerunt & eis à Domino dati ſunt (*parentes*) hi, quia pro eis Fidejuſſores extiterunt.

De Litania Majore. Ex Conc. Mogotiacenſi. CCLXXV

Placuitnobis, ut litania major obſervanda ſit à cunctis Chriſtianis die ſeptimo Kalend. Maij, ſicut legendo reperimus, & ſicut Sancti Patres noſtri conſtituerunt, non equitando, non precioſis veſtibus induti, ſed cinere reſperſi, & cilicio induti, niſi infirmitas impedierit.

De Diebus Rogationum. CCLXXVI

Cum exigentibus peccatis Galliarum populi luporum rabie acriter infeſtarentur, nec hujus flagelli aliquod remedium invenire poſſent, congregati traduntur Galliarum Epiſcopi apud Viennam urbem & in commune ſtatuerunt, ut triduanum jejunium facerent. Cumque Dominus peſtem miſericorditer abſtuliſſet, hi dies in conſuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut per Galliarum provincias ante diem Adſcenſionis celebrarentur. Agamus & nos hos dies cum ſumma reverentia & devotione cum abſtinentia carnis & humilitate cordis, non ut viſibilium luporum rabiem evadamus, ſed ut inviſibilium, id eſt ſpirituum immundorum tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus veſtimenta pretioſa induat, qui in ſacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates & comeſſationes, quæ fiunt in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præſumat, ſed diſcalceatis pedibus omnes incedant, nequaquam mulierculæ choreas ducant, ſed omnes in commune Kyrie eleyſon decantent, & cum contritione cordis Dei miſericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peſte, pro conſervatione frugum, & pro cæteris neceſſitatibus. Dies enim abſtinentiæ ſunt, non lætitiæ.

De

CCLXXVII De Iejunio quatuor temporum. Ex Conc. Moguntiacenſi.

Conſtituimus, ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio obſerventur, id eſt, in Martio hebdomade prima, in Iunio ſecunda, in Septembri Tertia, in Decembri Quarta quæ fuerit plena antevigilias Natalis Domini id eſt Feria Sexta & Septima vel Sabbatho omnes ad eccleſiam hora nona cum litaniis ad Miſſarum ſolennia veniant.

CCLXXIIX De Vigiliis Sanctorum.

Presbyteri cum ſacras feſtivitates populo annunciant etiam jejunium Vigiliarum eos omnibus modis ſervare moneant.

CCLXXIX De Indicto Iejunio.

Siquis indictum jejunium ſuperbiendo contempſerit & obſervare cum cæteris Chriſtianis noluerit, in Gangrenſi Concilio præcipitur, ut anathematizetur.

CCXXC. Ex Conc. Gangrenſi.

Si qui eorum, qui continentiæ ſtudent, abſque neceſſitate corporea tradita in commune jejunia ab Eccleſia cuſtodita ſuperbiendo diſſolvit, ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus, anathema ſit.

CCXXCI. De Eadem re. Ibidem.

Quicunque indictum Iejunium violant, ſine gravi neceſſitate, memorentur Ionathæ filij Saul Regis, qui maledictum Patris parvi pendens parumper mellis in ſummitate virgæ comedit & idcirco ſententiam mortis promeruit.

CCXXCII. Ex Capitulis Lib. I. Cap. XLIIX.

In Eccleſia à ſacerdotibus jejunia conſtituta ſine neceſſitate rationabili ne ſolvantur.

CCXXIII. Quod ſi evenerit fames, peſtilentia, inæqualitas aeris vel alia qualiſcunquè tribulatio, edictum noſtrum non expectetur, ſed ſtatim miſericordia Dei deprecetur (*invocetur*)

CCXXCIV Quid ſit Vſura.

Vſura eſt, ubi amplius requiritur, quam datur, verbi gratia ſi de-

Digitized by Google

ſi dederis decem ſolidos & amplius requiſiveris vel ſi dederis frumenti modium unum unum & ſuper eum aliquid exigas.

Ibidem. Cap. CXXIII. ccxxcv.

Turpe lucrum exercent, qui per varias circumventiones lucrandi cauſa res quaslibet inhoneſtè congregare decertant.

Quid ſit fœnus. ccxxcvi

Fœnus eſt, qui aliquid præſtat ad victum. Fœnus eſt, qui amplius requirit quam præſtitit.

Ibidem. Cap. CXXXI. ccxxcvii

Quicunque tempore meſſis vel vindemiæ non neceſſitate, ſed propter Cupiditatem annonam vel vinum comparat, verbi gratia de duobus denariis modicum unum comparat, eumque ſervat, donec denariis ſeptem aut ſex aut amplius venum detur, hoc turpe lucrum dicimus.

De Confeſſione & Pœnitentia per Quadrageſimam. ccxxciix

Presbyteri debent admonere plebem ſibi ſubjectam, ut omnis, qui ſe ſentit mortifero peccati vulnere ſauciatum, Feria Quarta ante Quadrageſimam cum omni feſtinatione recurrat ad vivificantem matrem eccleſiam, ubi quod malè commiſit, cum omni humilitate & contritione cordis confeſſus ſuſcipiat remedia pœnitentiæ, ſecundum modum Canonicis authoritatibus præfixum, tradaturque Satanæ in interitu Carnis, ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini. Non ſolum autem ille, qui mortale aliquod commiſit, ſed & omnis homo, quicunque ſe recognoſcit, immaculatam Chriſti tunicam, quam in baptiſmo accepit, peccati macula polluiſſe, ad proprium ſacerdotem evenire feſtinet, & cum purificatione mentis omnes tranſgreſſiones omniaque peccata, quibus Dei offenſam ſe incurriſſe meminit, humiliter confiteatur, & quicquid ei à ſacerdote fuerit injunctum, ac ſi ab ipſo omnipotentis Dei ore eſſet prolatum, ita diligenter intendat, & cautiſſimè obſervet.

De Pœnitentibus. Ex Conc. Africano. ccxxcix

Cujuſcunque pœnitentis publicum & vulgatum crimen eſt, quod

Digitized by Google

quod univerſam eccleſiam commoverit, ante abſidem manus ei imponatur.

CCXC. ## Ex Conc. Agathenſi.

Pœnitentes tempore, quo pænitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper capita à ſacerdote, ſicut ubique conſtitutum eſt, conſequantur. Si autem comas deponere aut veſtimenta mutare noluerint, abjiciantur.

CCXCI. ## Ex eodem Conc.

In Capite Quadrageſimæ pænitentes omnes, qui publicam ſuſcipiunt aut ſuſceperunt pænitentiam, ante fores eccleſiæ ſe præſentent Epiſcopo Civitatis ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes. Ibi verò adeſſe Decani debent, hoc eſt Archipresbyteri Parochiarum cum teſtibus, hoc eſt Presbyteris pænitentium, qui ipſorum converſationem diligenter inſpicere debent & ſecundum modum culpæ pænitentiam per præfixos gradus injungant. Poſt hæc (*Epiſcopus*) in eccleſiam eos introducat & cum omni Clero ſeptem pænitentiales Pſalmos in terram proſtratus cum lachrymis pro ipſorum abſolutione decantet; & ſurgens ab oratione manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos ſpargat, cinerem prius mittat, dein cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu ac crebris ſuſpiriis eis denunciet, quod ſicut Adam de Paradiſo projectus eſt, ſic & ipſi ab eccleſia ob peccata ejiciantur. Poſthæc jubeat miniſtros, ut pænitentes extra januas eccleſiæ expellant, Clerus verò proſequatur eos cum Reſponſorio: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo &c. ut videntes ſanctam eccleſiam ob facinora ſua tremefactam & commotam pænitentiam ne parvi pendant. In ſacra autem Domini cæna rurſus eccleſiæ liminibus ſe præſentent.

CCXCII ## De danda Pænitentia. Ex Concil. Moguntino.

Modus tempusque pœnitentiæ peccata ſua pœnitentibus aut per antiquorum Canonum inſtitutionem, aut per Sanctæ Scripturæ auctoritatem aut per eccleſiaſticam conſuetudinem imponi debet à ſacerdotibus. Nam qui peccatis gravibus leves quoſdam & inuſitatos imponunt pænitentiæ modos conſuunt pulvil-

Digitized by Google

pulvillos ſecundum propheticum ſermonem ſub omni cubito manus & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Sed diſcretio ſervanda eſt inter pænitentes publicè & abſconsè (*occultè*) Nam qui publicè peccat, oportet, ut publicâ multetur pænitentia & ſecundum ordinem canonum pro merito ſuo excommunicetur & reconcilietur.

Qualiter ſuſcipere debeant Pœnitentem Epiſcopi vel presbyteri. Ex Pænitentiali Romano. CCXCIII.

Quotieſcunque Chriſtiani ad Pænitentiam accedunt, jejunia injungimus, & nos communicare cum iis debemus in jejunio unam aut duas hebdomades vel quantum poſſumus, ut non dicatur nobis, quod Sacerdotibus Iudæorum à Domino dicitur: Væ vobis Legiſperitis, qui adgravatis homines, imponentes ſuper humeros eorum onera gravia & importabilia; ipſi autem uno digito veſtro non tangitis ſarcinas ipſas.

Et poſt pauca: CCXCIV.

Quotieſcunque dederis peccanti consilium ſimul da illi ſtatim pænitentiam, quantum debeat jejunare, aut eleemoſynis redimere peccata ſua, ne forte obliviſcaris, quæ tibi jam dixi. Et iterum neceſſe ſit tibi interrogare & forſitan erubeſcat iterum confiteri, & inveniatur jam amplius judicari.

Vt nullus alius præſumat pœnitentiam dare vel confeſſionem audire, niſi Epiſcopus vel Presbyter. Ex eodem. CCXCV.

Exſurge, qui dormis, exſurge à mortuis & illuminabit te Chriſtus. Frater N. Dominus Ieſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis: Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo, de quorum numero quamvis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis, quæcunque cogitatione, locutione atque operatione negligenter egiſti ut à nexibus peccatorum abſolutum perducere TE dignetur ad regna cæleſtia; Amen. Nos etiam, frater Chariſſime, ſecundum autoritatem nobis indignis à Domino commiſſam abſolvimus te

K 2 ab

Digitized by Google

ab omni vinculo delictorum, ut merearis habere vitam æternam per eum, qui vivit &c.

CCXCVI. Sicut enim ſacrificium offerre non debent, niſi Epiſcopi & Presbyteri, quibus claves regni cæleſtis traditæ ſunt: ſic nec pœnitentium judicia uſurpare alij debent.

Item.

Si autem neceſſitas evenerit ac Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pænitentem ad ſanctam communionem.

CCXCVII. Ex Theodori Archiepiſcopi vel Bedæ Presbyteri pœnitentiali.

Epiſcopi vel Presbyteri, quando fidelium recipiunt confeſſiones, humiliare ſe debent & cum triſtitiæ gemitu lacrymisque orare non ſolùm pro ſuis delictis, ſed etiam pro fratris caſu. Ait enim Apoſtolus: Quis infirmatur & ego non infirmor?

CCXCIIX. Vnde ſupra.

Cum ergo venerit aliquis ad ſacerdotem confiteri peccata ſua, mandet ei ſacerdos, ut exſpectet modicum, donec intret eccleſiam aut cubiculum ſuum ad orationem. Si autem non eſt locus aptus ad hoc, dicat hanc orationem in corde ſuo:

Oratio.

Domine Deus Omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut condignè tibi poſſim gratias agere, quod me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti officij ſacerdotalis, & me exiguum humilemque mediatorem conſtituiſti adorandum & intercedendum apud Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum pro peccantibus & ad pænitentiam revertentibus. Ideoque Dominator Domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant, ſuſcipe orationem meam, quam ante conſpectum Clementiæ tuæ pro famulis ac famulabus tuis fundo, qui ad pænitentiam venerunt, ut des illis ſpiritum compunctionis, ut reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo adſtricti tenentur, ut ad te per condignam ſatisfactionem revertantur per eundem. Videns autem ille, qui ad pænitentiam venit, ſacerdo-

tem

C

tem triſtem & lacrymantem pro ſuis facinoribus, magis ipſe timore Dei perculſus amplius triſtetur & peccata ſua exhorreſcat.

Ordo dandæ Pœnitentiæ. Vnde ſupra. CCXCIX.

Poſt hæc interroga eum blandè leniterque. Credis in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum? Reſp. Credo. Credis, quod iſtæ tres perſonæ unus Deus ſit? Reſp. Credo. Credis, quod in ipſa iſta carne, in qua nunc es, in ipſa reſurgere habes in die judicij & recipere ſive bonum ſive malum, quod geſſiſti? Credo. Vis dimittere illis peccata, qui in te peccaverunt Domino dicente: Si non remiſeritis hominibus peccata veſtra? Reſp. Volo. Dein require ab eo diligenter, an ſit inceſtuoſus aut ſuo ſeniori infidelis? ſi non vult inceſtum dimittere, non potes ei dare pænitentiam. Si autem vult, potes. His præmiſſis pænitentem alloqui affectuoſè debet ſacerdos his verbis:

Frater, noli erubeſcere confiteri peccata tua. Nam & ego peccator ſum & fortasſis pejora, quam tu feceris, habeo facta. Hæc idcirco admoneo, quia uſitatum generis humani vitium eſt, ut Beatus Gregorius dicit, & labendo peccatum committere & commiſſum non confitendo prodere, ſed negando defendere atque convictum defendendo multiplicare. Et qui Diabolo inſtigante nefanda crimina perpetrare non metuimus, hæc eadem, quæ opere abſque ulla verecundia perfecimus, eodem ſuadente, ſaltem verbis confiteri erubeſcimus & coram homine, qui ſimilis noſtri eſt, eiſdemque fortaſſe pasſionibus ſubjacet, confundimur dicere, quod coram Domino, qui omnia inſpicit, abſque ullo mentis rubore committere non formidamus, deteſtanda actione. Sponte ergò fateamur, quod nullo cogente commiſimus. Si verò nos noſtra ſcelera celaverimus, ab illo manifeſtabuntur, qui accuſator eſt peccati & incentor. Ipſe enim nos, ut peccemus, inſtigat; Ipſe cum peccaverimus, accuſat. Si ergo in hac vita præveniamus eum & ipſi noſtri ſceleris accuſatores ſimus, nequitias Diaboli inimici noſtri & accuſatoris effugiemus, Paulo teſte, qui ait: Si noſmetipſos judicaremus, non utique dijudicaremur. Videns autem eum Sacerdos verecundantem, rurſum proſequatur: Fortaſſe Chariſſime, non omnia, quæ geſſiſti ad memoriam modo veniunt. Ego te interrogabo. Tu cave, ne Diabolo ſuadente aliquid celare præſumas. Et tunc eum ita per ordinem interroget: Aut

 nolens

nolens feciſti Homicidium aut caſu, aut volens, aut pro vindicta parentum, aut jubente Domino tuo, aut in publico bello. Si voluntariè feciſti, VII annos pænitere debes; ſi nolens aut caſu, V annos. Si pro vindicta parentis unum annum, & ſequentibus duobus annis tres quadrageſimas & legitimas ferias. Si bello, XL dies. Si liber es & jubente Domino ſervum innocentem occidiſti, annum unum, in duobus aliis annis tres quadrageſimas & legitimas ferias. Si Servus dignus eſt morte, XL dies pæniteat.

Interroga:

Feciſti truncationes manuum aut pedum, aut oculos hominis eruiſti aut vulneraſti hominem? Pro truncatione, annum unum pænitere debes; pro vulnere, XL dies.

Interroga:

Feciſti perjurium aut pro cupiditate ſeculi aut coactus & pro neceſsitate aut pervicacia aut neſciens aut alios in perjurium induxiſti ſcienter. Si ſciens pejeraſti, & alios in perjurium induxiſti, VII annos pænitere debes. Si neſciens, annum unum & tres quadrageſimas. Si pro vita vel membris, tres quadrageſimas.

Interroga:

Feciſti furtum aut ſacrilegium aut infracturas vel rapinam tollendo quod tuum non erat. Si domos per noctem infregiſti & quadrupedia tuliſti, vel fortiorem cauſam valentem ſolidis XL, annum unum pænitere debes & precium reddere. Si non reddis, annos duos pœniteas. Si majus feciſti furtum, tres annos pæniteas & ſi ſæpè feciſti, annos ſeptem. Pro modico furto viginti dies, pueri decem dies. Si de eccleſia aliquid tuliſti, quod eſt ſacrilegium, ſeptem annos pæniteas.

Interroga:

Feciſti adulterium cum uxore aliena vel deſponſata, vel virginem corrupiſti vel cum ſanctimoniali & Deo dicata, vel cum abſoluta fæmina, ideſt, ſine marito vel cum ancilla propria? Si mœchatus es cum alterius uxore aut cum Sanctimoniali, VII annos pæniteas, ſi cum virgine, duos annos. Si cum vidua, annum unum. Si tuam uxorem dimiſiſti & alteri junxiſti, ſeptem annos pæni-

Digitized by Google

pæniteas. Si cum vacante fœmina, tres quadrageſimas & legitimas ferias. Si cum ancilla, XL dies pæniteas.

Interroga:

Nupſiſti cum uxore tua vel ancilla retro? Si feciſti, XL dies debes pænitere.

Nupſiſti cum uxore tua XL ante partum, XL dies debes pænitere.

Interroga:

Nupſiſti die dominico, tres dies pænitere debes.

Interroga.

Feciſti raptum de virgine vel viduâ, tres annos pænitere debes.

Interroga:

Feciſti fornicationem, ſicut Sodomitæ fecerunt, cum pecoribus aut cum Matre vel ſorore, XV annos vel XII pænitere debes.

Interroga:

Coinquinatus es cum uxore tua in Quadrageſima? Si hoc feciſti, annum unum pœnitere debes aut XXVI ſolidos in eleemoſynam dare. Si per ebrietatem evenit, XL dies pœniteas. Hoc etiam caveri debet, ut XX dies ante Natalem Domini & Pentecoſten & omni die Dominico & poſt conceptionem manifeſtatam Vir contineat ſe ab uxore.

Interroga:

Dixiſti falſum teſtimonium pro cupiditate aut neſciens annum unum pæniteas.

Truncaſti ullum membrum tres annos pænitere debes.

Interroga:

Odiſti fratrem tuum, quamdiu in ipſo odio fuiſti, tamdiu pæniteas in pane & aqua.

Detraxiſti ullum hominem apud Seniorem vel apud pares propter invidiam, XL dies pæniteas.

Violaſti in furto ſepulchrum, annos duos pænitere debes.

Inter-

Interroga:

Contigit tibi ulla negligentia de Sacrificio Domini, etiam XL pœniteas.

Interroga:

Conſuluiſti magos aut Aruſpices aut incantatores aut ſortilegos aut vota, quæ ad arbores aut ad fontes fiunt, voviſti, annos tres pœnitere debes.

Interroga:

Tuliſti aliquid pecuniæ de eccleſia? quadruplum reſtituas, aut tres annos pœniteas.

Perdidiſti aliquem per injuſtam delaturam, tres annos pœniteas.

Interroga:

Duxiſti aut tranſmiſiſti ullum hominem Chriſtianum in captivitatem, tres annos.

Cremaſti domum aut aream alterius, tres annos pœniteas.

Interroga:

Feciſti vomitum per ebrietatem, XV dies pœniteas. Si per contentionem XL. Si neſciens VII dies pœniteas. Similiter ſi ſanguinem comederis.

Manducaſti morticina aut dilacerata à beſtiis, XL dies. Bibiſti de liquore, in quo mus vel muſtela mortua inventa fuerit, XL dies pœnitere debes. Si in Quadrageſima, unum annum pœnitere debes.

Contempſiſti indictum jejunium in eccleſia vel decreta Seniorum, XL dies.

Oppreſſiſti infantem tuum V annos aut III pœnitere debes.

Bibiſti ullum maleficium v.g. herbas vel alias cauſas, ut non potuiſſes infantem habere aut alias domaſti, aut hominem per mortiferam potionem occidere voluiſti, aut alium hoc facere docuiſti, aut de ſemine viri guſtaſti ut in amorem tuum exardeſceret, aut chriſma bibiſti vel ad ſubvertendum Dei judicium alteri dediſti &c. ſi quid hujuſmodi operatus es, VII annos pœnitere debes.

Necaſti

Necaſti partus tuos, X annos pœniteas. Et ſi filium vel filiam occidiſti, XII. Et ſi in utero ante conceptum, unum annum. Si poſt conceptum, tres annos. Si tuus infans per tuam negligentiam ſine baptiſmo mortuus eſt, annum unum pœnitere debes, & nunquam ſis ſine aliqua pœnitentia.

Feciſti aliquid, quod pagani faciunt in Calendis Ianuarij in cervulo vel in vegula (*ſtrenas diabol. dixit Syn. Anſiliod.*)

Feciſti vel dixiſti aliquid in quocunque opere, quod inchoaſſes per ſortilegam vel magicam artem, annum unum debes pœnitere.

Miſiſti filium tuum ſuper tectum aut ſuper fornacem pro aliqua ſanitate, vel incendiſti grana, ubi mortuus homo fuerat, V. annos pœniteas.

Cantaſti carmina Diabolica ſuper mortuos, XX dies pœniteas.

Iunxiſti te mulieri tempore menſtruo, XL. dies debes pœnitere.

Nupſiſti cum uxore tua, poſtquam peperit, antequam quadraginta dies adimplerentur, XXX dies debes pœnitere.

Communicaſti de ſacrificio Domini & non prius abſtinuiſti ab uxoris amplexu V. aut VII diebus, dies XX debes pœnitere.

Operatus es aliquid in Dominica die, VII dies debes pœnitere.

Detraxiſti vel maledixiſti aliquem invidiæ cauſa, VII dies pœniteas.

Nunc tibi IIX principalia vitia explicabo, quæ ſunt Superbia, Vana gloria, Invidia, Ira, Triſtitia, Avaritia. Ventris ingluvies, Luxuria. Ex quibus ſi te culpabilem recognoſcis, pœnitentiam ſuſcipe.

Nam ex his omnia vitia oriuntur.

De vana gloria oriuntur, Inobedientia, jactantia, Hypocriſis, contentiones, Pertinacia, Diſcordiæ, novitatum præſumptiones.

De invidia naſcitur odium, Suſurratio, Detractio, Exultatio in adverſis proximi, Afflictio in proſperis.

De ira oriuntur Rixæ, Tumor mentis, Contumeliæ, Clamor, indignatio, Blaſphemiæ.

Interroga:

Contigit tibi ulla negligentia de Sacrificio Domini, etiam XL pœniteas.

Interroga:

Conſuluiſti magos aut Aruſpices aut incantatores aut ſortilegos aut vota, quæ ad arbores aut ad fontes fiunt, voviſti, annos tres pœnitere debes.

Interroga:

Tuliſti aliquid pecuniæ de eccleſia? quadruplum reſtituas, aut tres annos pœniteas.

Perdidiſti aliquem per injuſtam delaturam, tres annos pœniteas.

Interroga:

Duxiſti aut tranſmiſiſti ullum hominem Chriſtianum in captivitatem, tres annos.

Cremaſti domum aut aream alterius, tres annos pœniteas.

Interroga:

Feciſti vomitum per ebrietatem, XV dies pœniteas. Si per contentionem XL Si neſciens VII dies pœniteas. Similiter ſi ſanguinem comederis.

Manducaſti morticina aut dilacerata à beſtiis, XL dies. Bibiſti de liquore, in quo mus vel muſtela mortua inventa fuerit, XL dies pœnitere debes. Si in Quadrageſima, unum annum pœnitere debes.

Contempſiſti indictum jejunium in eccleſia vel decreta Seniorum, XL dies.

Oppreſſiſti infantem tuum V annos aut III pœnitere debes.

Bibiſti ullum maleficium v.g. herbas vel alias cauſas, ut non potuiſſes infantem habere aut alias domaſti, aut hominem per mortiferam potionem occidere voluiſti, aut alium hoc facere docuiſti, aut de ſemine viri guſtaſti ut in amorem tuum exardeſceret, aut chriſma bibiſti vel ad ſubvertendum Dei judicium alteri dediſti &c. ſi quid hujuſmodi operatus es, VII annos pœnitere debes.

Necaſti

Necaſti partus tuos, X annos pæniteas. Et ſi filium vel filiam occidiſti, XII. Et ſi in utero ante conceptum, unum annum. Si poſt conceptum, tres annos. Si tuus infans per tuam negligentiam ſine baptiſmo mortuus eſt, annum unum pænitere debes, & nunquam ſis ſine aliqua pœnitentia.

Feciſti aliquid, quod pagani faciunt in Calendis Ianuarij in cervulo vel in vegula (*ſtrenas diabol. dixit Syn. Anſiliod.*)

Feciſti vel dixiſti aliquid in quocunque opere, quod inchoaſſes per ſortilegam vel magicam artem, annum unum debes pænitere.

Miſiſti filium tuum ſuper tectum aut ſuper fornacem pro aliqua ſanitate, vel incendiſti grana, ubi mortuus homo fuerat, V. annos pæniteas.

Cantaſti carmina Diabolica ſuper mortuos, XX dies pæniteas.

Iunxiſti te mulieri tempore menſtruo, XL. dies debes pænitere.

Nupſiſti cum uxore tua, poſtquam peperit, antequam quadraginta dies adimplerentur, XXX dies debes pænitere.

Communicaſti de ſacrificio Domini & non prius abſtinuiſti ab uxoris amplexu V aut VII diebus, dies XX debes pænitere.

Operatus es aliquid in Dominica die, VII dies debes pænitere.

Detraxiſti vel malediXiſti aliquem invidiæ cauſa, VII dies pæniteas.

Nunc tibi IIX principalia vitia explicabo, quæ ſunt Superbia, Vana gloria, Invidia, Ira, Triſtitia, Avaritia. Ventris ingluvies, Luxuria. Ex quibus ſi te culpabilem recognoſcis, pænitentiam ſuſcipe.

Nam ex his omnia vitia oriuntur.

De vana gloria oriuntur, Inobedientia, jactantia, Hypocriſis, contentiones, Pertinacia, Diſcordiæ, novitatum præſumptiones.

De invidia naſcitur odium, Suſurratio, Detractio, Exultatio in adverſis proximi, Afflictio in proſperis.

De ira oriuntur Rixæ, Tumor mentis, Contumeliæ, Clamor, indignatio, Blaſphemiæ.

De Triſtitia naſcitur Malitia, Pavor, Puſillanimitas, Deſperatio, Torpor, Vagatio mentis.

De Avaritia oriuntur Proditio, Fraus, Fallacia, Perjuria, Inquietudo, & contra miſericordiam obduratio.

De Ventris Ingluvie propagatur inepta lætitia, Scurrilitas, Immundicia, Multiloquium, Hebetudo ſenſus.

De Luxuria generatur cæcitas mentis, Inconſideratio, Inconſtantia, præcipitatio, Amor ſui, Odium Dei, Affectus præſentis ſeculi, Horror & Deſperatio futuri.

Allocutio:

Ergo ſi ſuperbus fuiſti uſque modo, humilia te ipſum in conſpectu Dei.

Si vanam gloriæ dilexiſti, cogita, ne propter tranſitoriam laudem æternam perdas mercedem.

Si Invidiæ rubigo te hucusque conſumpſit, quod eſt peccatum maximum & ſuper omnia deteſtabile, quia Diabolo comparatur invidus, qui primo homini invidit datum, quod ipſe per ſuam culpam perdiderat, age pœnitentiam & profectum aliorum tuum deputa.

Si triſtitia te ſuperat, patientiam & longanimitatem meditare.

Si avaritiæ morbus gravat, cogita, quia radix eſt omnium malorum & idololatriæ comparatur, & ideo largum te eſſe oportet.

Si ira te vexat, quæ in ſtultorum ſinu requieſcit, dominari debes animo tuo, & hanc à te mentis tranquillitate fuga.

Si ventris ingluvies ad vorandum pertrahit, ſobrietatem ſectare.

Si luxuria, caſtitatem vove.

Tunc proſternat ſe pœnitens in terram, & cum lacrymis dicat de his & aliis vitiis, quibuscunque humana fragilitas contra Deum & creatorem ſuum aut cogitando aut loquendo, aut operando, aut delectando aut concupiſcendo peccare poteſt. In omnibus me peccaſſe & reum in conſpectu Dei ſuper omnes homines eſſe cognoſco, & confiteor humiliter, & jam te ſacerdos poſco, intercedas pro me & pro peccatis meis ad Dominum & creato-

creatorem noſtrum, quatenus de his & de omnibus ſceleribus meis veniam & indulgentiam conſequi merear.

Deinde ſacerdos ſurgat & Pſalmum XXX decantet.

Deinde L. & LIII. & proſternat ſe in terram & dicat hanc orationem:

Oratio.

Precor, Domine, clementiam & miſericordiam tuam, ut famulo tuo nunc peccata & facinora ſua confitenti veniam relaxare digneris & præteritorum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, qui Publicani precibus & confesſione placatus es. Tu etiam, Domine, huic famulo tuo placatus eſſe digneris. Tu hujus precibus benignus adſpira, ut in confeſſione placabilis permaneat. Fletus ejus & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ſanctisque altaribus reſtitutus rurſum æternæ & cæleſti gloriæ mancipetur; Qui vivis &c.

Deinde adjungatur:

Deus Omnipotens ſit adjutor & protector tuus & præſtet Tibi indulgentiam de peccatis tuis & præteritis, præſentibus & futuris.

Hæc de remediis peccatorum ex priorum monumentis excerpſimus, in quibus tamen omnibus, non auctoritate cenſoris, ſed conſilio potius compatientis uſi ſumus, ſolerter admonentes doctum quemque ſacerdotem Chriſti, ut in univerſis, quæ hic annotata repererit, ſexum, ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam, intellectum, ipſum quoque cor pœnitentis curioſè diſcernat, & ſecundum hæc, ut ſibi viſum fuerit, ſingula quæque dijudicet. Quibuſdam namque à cibis abſtinendo, aliis eleemoſynas dando, nonnullis genua flectendo ſæpius ſive in cruce ſtando aut aliquid aliud hujuſmodi, quod ad purgationem peccatorum pertineat, faciendo. Vniverſa neceſſe eſt errata corrigere, quæ univerſa examine diſcreti debent pendere judicis.

De Pœnitentibus. Ex Conc. Africano. CCC.

Pœnitentibus ſecundum differentiam peccatorum, Epiſcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

Ex Eodem.

Vt ſacerdos pœnitentiam imploranti absque perſonæ acceptione pœnitentiæ leges injungat.

Ex Conc. Arelatenſi.

Pænitentia conjugatis ex conſenſu detur. Pænitentia enim conjugatis non niſi ex conſenſu danda.

CCCI. ## Ex Conc. Laodicenſi.

De his, qui diverſis facinoribus peccaverunt & perſeverantes in oratione confeſſionis & pænitentiæ converſionem à malis habuere perfectam pro qualitate delicti talibus pænitentiæ tempus impenſum (*mitigetur &*) propter clementiam & bonitatem Dei communio concedatur.

CCCII. ## De Eadem re.

Vnumquemque hominem accedentem ad pænitentiam, ſi videris acriter & aſſidue ſtare in pœnitentia, ſtatim remiſſius age adverſus eum.

CCCIII. ## Ex Conc. Africano.

Presbyter non interrogato Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſentia Epiſcopi, neceſſitate compellente.

CCCIV. ## Ex Epiſtola Innocentij Papæ.

Pænitentibus aut ijs, qui ex gravioribus pænitentiam gerunt, ſi nulla interveniat ægritudo, V. feria ante Paſcha remittatur, dum (*prout*) Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Sane ſi quis ægritudinem inciderit & uſque ad deſperationem devenerit, ejeſtante tempus Paſchæ relaxandum.

CCCV. ## Ex Concilio Carthaginenſi.

Negligentes pænitentes tardius recipiantur.

CCCVI. ## Ex Epiſtola Felicis Papæ.

Curandum ſummopere eſt; ne quis fratrum coëpiſcoporum noſtrorum aut etiam Presbyterorum in alterius civitate vel diœceſi pænitentem. vel ſub manu poſitum ſacerdotis aut eum, qui reconciliatum ſe dixerit, ſine Epiſcopi vel Presbyteri teſtimonio & literis, ad cujus pertinet Parochiam, ſuſcipiat.

CCCVII ## Ex Conc. Carthaginienſi.

Confirmatum eſt, ut ſi aliquando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, quâ eos à miniſterio neceſſe

ceſſe ſit removeri, non eis manus tanquam pænitentibus vel tanquam fidelibus laicis imponatur.

Ex Conc. Arelatenſi. CCCIIX

Pænitentia deſiderantibus clericis non eſt neganda.

Alienum eſt à conſuetudine eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore aut Diaconi gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo per manus impoſitionem remedium accipiant pænitentiæ, ſecundum quod ſcriptum eſt: Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro illo? Vnde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa. CCCIX.

Ex Epiſtola Leonis Papæ. CCCX.

Qualitas negociationis aut excuſat aut arguit, quia eſt honeſtus quæſtus & turpis. Veruntamen pænitenti utilius eſt diſpendia pati, quam periculis negociationis aſtringi, quia difficile eſt inter ementis & vendentis commercium non intervenire peccatum.

Ex eadem. CCCXI.

Contrarium eſt omnino eccleſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſecularem, cum Apoſtolus dicat: Nemo militans Deo &c. Vnde non eſt liber à laqueis Diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare.

Ex Conc. Arelatenſi. CCCXII

Hi, qui poſt ſanctæ Religionis propoſitum apoſtatant, & ad ſeculum redeunt, & poſtmodum pænitentiæ remedia non requirunt, communionem non accipiant ſine pænitentia, quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti.

Item ex eodem. CCCXIII.

Quicunque habitum ſecularem præſumpſerit, ab eccleſia expellatur.

Ex Conc. Toletano. CCCXIV.

De his, qui acta pænitentia ad priſtina redeunt peccata, antiquorum Patrum decernunt Concilia, ut qui acta pænitentia tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos & ad volutabra redeunt quo adusque (*& ſubinde*) ad remedia pænitentiæ recurrunt, & ad omiſ-

ſum ordinem revertuntur, excommunicati & in anathema condemnati habeantur.

CCCXV. Ex Dictis Sancti Gregorij.

Qui ſe illicita meminit commiſiſſe, à licitis etiam ſtudeat abſtinere, quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat, ut qui commiſit prohibita, ſibimet ipſi abſcindat etiam conceſſa.

CCCXVI. Ex Epiſtola Leonis.

Illicitorum veniam poſtulantem, oportet etiam à licitis abſtinere, dicente Apoſtolo: Omnia licent, ſed non omnia expediunt.

CCCXVII. Ex Conc. Toletano.

Ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti ſententia condemnentur.

CCCXIIX. Ex Dictis Baſilij Epiſcopi.

Pænitentem ex corde ita ſuſcipite ſicut Dominus oſtendit, cum dicit: Quia convocat amicos ſuos & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quam perdideram.

CCCXIX. Item. Vnde ſupra.

Affectum illum in ſe recipiat pænitens, quem habebat ille, qui dicebat: Iniquitatem odio habui & abominatus ſum.

CCCXX. Ex Dictis Sancti Auguſtini.

Pænitentiam certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei. Quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod antea dulce fuit in vita; & quod prius te oblectabat in corpore, ipſum te cruciet in corde, tunc verè pœnites.

CCCXXI. Vnde ſupra.

Erga eum, qui pro peccato non pænitet, tales *eſſe* debemus, ſicut Dominus præcipit, dicens: Sit tibi ſicut gentilis & publicanus; & ſicut Apoſtolus jubet: Subtrahite, inquit, vos ab omni fratre inordinatè ambulante & non ſecundum traditionem, quam tradidimus vobis.

CCCXXII. Clerici ne interſint nuptiis.

Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi vel deinceps, quibus ducendi uxo-

Digitized by Google

di uxores non eſt licentia, etiam aliarum nuptiarum evitent convivia ; neque his cœtibus admiſceantur, ubi amatoria cantantur & turpia, aut obſcæni motus corporum choris & ſaltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputatus turpium ſpectaculorum atque verborum contagione polluatur.

Ex Concil. Moguntiacenſi. Cap. XXXIX. CCCXXIII

Quibus licentia uxores ducendi non eſt, alienarum nuptiarum evitent convivia.

De Decretis Martini Papæ. CCCXXIV

Non liceat ſacerdotibus vel clericis aliqua ſpectacula in nuptiis vel conviviis ſpectare, ſed oportet antequam ingrediantur ipſa ſpectacula, ſurgere & inde redire.

De Temporibus, quibus ſe continere debent conjugati ab uxoribus. Ex Conc. Helibertino. CCCXXV.

Synodus Helibernenſium dicit: In tribus Quadrageſimis anni & in die Dominico & in quarta Feria & Sexta Feria conjugati continere ſe debent. Item nec illis diebus copulari, quamdiu gravida fuerit uxor, id eſt, à quo die filius in utero motum fecerit uſque ad partum. Item à partu poſt XXX dies, ſi filius; ſi autem filia poſt LVI.

De Eadem re. Ex Pænitentiali. CCCXXVI

Vxoratus contineat ſe XL dies ante Paſcha & Pentecoſten, ſeu ante Natalem Domini & omnem Dominicam noctem & quartam & ſextam feriam & à conceptione manifeſtata uſque poſt natam ſobolem. Vxor poſt natam ſobolem abſtineat ſe ab eccleſia. ſi Filius eſt, dies XXX; ſi Filia, XL dies. Mulier ſe abſtineat à viro III menſes ante partum & poſt partum XL dies. Qui autem nupſerit his diebus, XX dies pœniteat.

De Quadrageſima.

Qui in Quadrageſima ante Paſcha cognoverit uxorem ſuam & noluerit abſtinere ab ea annos V pæniteat, aut precium ſuum videlicet XXVI ſolidos ad Eccleſiam tribuat, aut pauperibus dividat.. Si per ebrietatem & ſine conſuetudine acciderit XL dies pœniteat. CCCXXVII

Quod

cccxxiix **Quod ante communionem abſtinere debeant conjuges.**

Omnis homo ante ſacram communionem à propria uxore abſtinere debet tres, quinque aut ſeptem dies.

cccxxix **De Eulogiis populo à presbytero dandis. Ex Conc. Nannetenſi.**

De oblationibus, quæ offeruntur à populo & conſecrationi ſuperſunt vel de panibus, quos offerunt fideles ad eccleſiam vel certè de ſuis Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, ut poſt miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die Dominico & in diebus feſtis exinde accipiant, & illa, unde Eulogias Presbyter daturus eſt, ante in hæc verba benedicat:

Oratio.

Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tua ſancta ac ſpirituali benedictione, ut ſit omnibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & univerſas inimicorum inſidias tutamentum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, panem vitæ, qui de cælo deſcendit, ut vitam & ſalutem ut mundo *det*, & tecum vivit & regnat.

cccxxx. **Presbyteri cum ſtola incedant. Ex Synodo Triburienſi.**

Presbyteri non vadant, niſi ſtola vel orario induti. Et ſi in itinere presbyteri ſpoliantur vel vulnerantur, aut occiduntur, non ſtola veſtiti, ſimplici emendatione ſua ſolvantur. Si autem cum ſtola tripliciter.

Ex Conc. Moguntiacenſi.

cccxxxi Presbyteri ſine intermiſſione utantur orariis propter differentiam ſacerdotalis dignitatis.

cccxxxii **Ne Clerici laicis induantur veſtibus. Ex Conc. quo ſupra.**

Laicalibus veſtimentis clerici non utantur, ut eſt, mantellum vel collum ſine cappa nec pretioſis & ineptis calceamentis

& aliis

aliis novitatum vanitatibus, ſed religioſo & decenti habitu in-
iti incedant.

Ex Concil. ADRISPHACH in Bajoaria, Cap. XLI. cccxxxiii

Nullus Clericus veſtimenta laicalia portet, nec arma, niſi
itum quod ipſius religionem decet, induere præſumat.

Ex Conc. Carthaginenſi. cccxxxiv.

Clericus profeſſionem ſuam etiam habitu & inceſſu pro-
t. Et ideò nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.

Ne Presbyteri per precium eccleſias obtineant, Ex Conc. Moguntiaco. Tit. XII. cccxxxv.

Quicunque Presbyter per precium eccleſiam fuerit adeptus
nimodè deponatur, quia contra eccleſiaſticæ regulæ diſci-
nam agere dignoſcitur, qui alium Presbyterum legitimè ad
leſiam ordinatum per pecuniam expulerit, eamque ſibi tali-
vindicaverit.

Quod non ubique ſacrificium ſit offerendum. Ex Epiſtola Anacleti Papæ. cccxxxvi.

Sacerdotes quando ſacrificant, non ſoli hoc agere debent,
teſtes ſecum adhibeant, ut Deo perfectè in ſacratis Domino
s ſacrificare probentur. Ait namque auctoritas legis divinæ:
e, ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem videris, ſed in
), quem elegit Dominus Deus tuus.

Vbi ſit miſſa celebranda. Ex Canonibus S. Sylveſtri. cccxxxvii

Nullus Presbyter miſſam celebrare præſumat, niſi in ſacra-
)eo locis ab Epiſcopo; qui ſui particeps de cætero voluerit eſſe
:dotij.

)e Decimis quatuor fiant portiones. Ex Synodo Nannetenſi. cccxxxiix

Inſtruendi ſunt Presbyteri partimque admonendi, quatenus
rint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, paupe-
& hoſpitum & peregrinorum eſſe ſtipendia, & non quaſi ſuis

M ſed

ſed quaſi commendatis uti, de quibus omnibus ſciant, ſe rationem reddituros in conſpectu Dei, & niſi eas fideliter pauperibus, & his, qui præmiſſi ſunt, adminiſtraverint damna patiendos. Qualiter verò diſpenſari debeant, canones ſancti inſtituunt, ſcilicet ut quatuor partes inde fiant, una ad fabricam eccleſiæ relevandam, altera pauperibus diſtribuenda, Tertia Presbytero cum ſuis clericis habenda, Quarta Epiſcopo reſervanda, ut quicquid *ille fieri* exinde juſſerit, prudenti conſilio fiat.

CCCXXXIX. Ne Epiſcopus aut presbyter rem eccleſiæ quocunque ingenio alienare præſumat. Ex Conc. Bracarenſi.

Si quis Presbyter aut Diaconus inventus fuerit de miniſteriis eccleſiæ aliquid venundaſſe, quia ſacrilegium commiſit, placuit eum in ordine eccleſiæ non haberi. In judicio tamen Epiſcopi dimittendum eſt ſive dignus ſit ſive indignus, qui in ſuo recipiatur gradu.

CCCXL. Nulli præſuli poſſeſſionem magnam vel parvam eccleſiæ liceat in perpetuum alienare. Ex Decretis Symmachi Papæ.

Nulli Apoſtolicæ ſedis præſuli liceat prædium ruſticum quantæcunque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis ſub perpetua alienatione vel communicatione ad cujuslibet jura transferre.

CCCXLI. De Domibus. Ex eodem.

Sanè Domus in quibuslibet urbibus conſtitutæ, quarum ſtatum neceſſe eſt expenſa non modica ſuſtentari, acceptis, ſi offerri contigerit, ſub juſta æſtimatione reditibus & divini timore judicij excommunicentur.

CCCXLII. Ex Eodem.

Quicunque Presbyter de jure tituli ſui quolibet modo præter aurum, argentum, vel gemmas, veſtes quoque ſi ſunt, vel ſi acceſſerunt aliqua mobilia ad ornamenta divina minimè pertinentia

nentia in perpetuum alienare tentaverit, donator, alienator, Venditor honoris ſui amiſſione multentur.

Item. Cap. VI. CCCXLIII.

Quisquis rem eccleſiæ petierit & acceperit, vel qui Presbyterorum aut Diaconorum ſeu defenſorum danti ſubſcripſerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur.

Ex Conc. Carthaginenſi. CCCXLIV.

Placuit, ut Presbyteri non vendant rem eccleſiæ, ubi ſunt conſtituti, neſcientibus Epiſcopis ſuis, quomodo & Epiſcopo non licet vendere prædia eccleſiæ ignorante concilio & Presbyteris ſuis. Non habenti autem neceſſitatem nec Epiſcopo liceat eccleſiæ rem tituli ſui uſurpare.

Placuit, ut rem eccleſiæ nemo vendat, quod ſi reditus non CCCXLV. habet, & aliqua nimia neceſſitas cogat, hoc inſinuandum eſt primati provinciæ ipſius, ut cum ſtatuto Epiſcoporum numero, utrum fiendum ſit arbitretur. Quod ſi non fecerit, reus Deo & Concilio venditor honore amiſſo teneatur.

Ex Decretis Martini Papæ. CCCXLVI.

Si quis Epiſcopus nulla eccleſiaſticæ rationis neceſſitate compulſus in ſuo clero, aut ubi forte non eſt Presbyter de rebus eccleſiaſticis aliquid præſumpſerit vendere, res ipſas eccleſiæ propriæ reſtituere cogatur & in judicio Epiſcoporum dejiciatur auditus & tàm furti quam latrocinij reus ſuo privetur honore.

Ex Conc. Toletano. CCCXLVII.

Omnis itaque rei eccleſiaſticæ quantitas ſicut remedium veniæ tribuit conferenti, ita damnum ritè præparat fraudatori, ideoque nullus ſacerdotum vel miniſtrorum ex rebus eccleſiæ, quæ in quibuscunque locis à fidelibus donantur, aliquid auferat, vel juri ſuo aut cathedræ propriæ unitati connectat. Verum ut hujus rei potior ſoliditas habeatur, propinquis ejus, qui conſtruxit eccleſiam vel ditavit, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam, ut ſi ſacerdotem ſeu miniſtrum aliquid ex collectis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honeſta conventione compeſcant, aut talia Epiſcopo vel judici corrigenda denuncient. Quod ſi talia Epiſcopus agere tentat, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropo-

Digitized by Google

ſitanus talia egerit, regis hæc auribus intimare non differant. Ipſis tamen hæredibus in ijſdem rebus non liceat quaſi juris proprij poteſtatem præferre, non rapinam, non fraudem ingerere, non violentiam quamcunque præſumere. Si quis hæc monita temerare præſumpſerit & malè rapta cum confeſſione reſtituet & excommunicationis annuæ ſententiam ſuſtinebit.

CCCXLIIX

Ex Conc. Agathenſi.

Terrulas aut vineas exiguas & eccleſiæ minus utiles aut longè poſitas Epiſcopus ſine conſilio fratrum ſi neceſſitas fuerit, diſtrahendi habeat poteſtatem.

CCCXLIX.

Ex eodem.

Fugitivos etiam ſervos, domos ſuas aut familias deſerentes, qui etiam ſi revocati fuerint, teneri non poſſunt, ſimili ratione ab Epiſcopo ſi voluerit, aut ſi ita illi meruerint, diſtrahantur.

CCCL.

Ex Conc. Agathenſi.

Si quis de clericis documenta, quibus eccleſiæ poſſeſſio firmatur, aut ſupprimere aut negare aut adverſariis fortaſſe tradere damnabili & punienda obſtinatione præſumpſerit, quicquid per abſtractionem documentorum damni eccleſiæ illatum eſt, & de propriis facultatibus reddat, & communione privetur. Hi autem qui cum eccleſiæ damno inſtrumenta ſanctæ eccleſiæ impiè ſollicitati à traditoribus ſuſceperunt, pari ſententia feriantur.

CCCLI.

Ex eodem.

Si quis Epiſcopus condito teſtamento aliquid de eccleſiaſtici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, niſi tantum de juris proprij facultatibus ſuppleverit.

CCCLII.

Ex eodem.

Mancipia Monachis donata, ab Abbate non licet manumitti: injuſtum eſt enim, ut Monachis quotidianum rurale opus facientibus ſervi eorum libertatis otio potiantur.

CCCLIII

Ex Conc. Toletano.

Epiſcopi, qui nihil ex proprio ſuo eccleſiæ Chriſti conferunt, libertos ex familiis eccleſiæ ad condemnationem ſuam faciunt. Impium eſt enim, ut qui res ſuas eccleſiæ Chriſti non contulerit,

Digitized by Google

contulerit, damnum inferat. Tales igitur libertos ſucceſſor Epiſcopi absque aliqua oppoſitione ad jus eccleſiæ revocabit.

Ex eodem Concilio. CCCLIV

Epiſcopus, qui mancipium juris eccleſiaſtici non retento eccleſiæ patrocinio manumitti deſiderat, duo meriti ejuſdem & peculij coram concilio eccleſiæ, cui præeminet per commutationem ſubſcribentibus ſacerdotibus offerat, ut rata & juſta inveniatur definitio commutantis. Hujuſmodi autem liberto adverſus eccleſiam, cujus juris extitit, teſtificandi denegetur licentia. Quod ſi præſumpſerit, placet, ut ſtante commutatione in ſervitutem propriæ eccleſiæ revocetur.

Ex eodem Concilio. CCCLV.

Liberti, qui à quibuſcunque manumiſſi ſunt, atque eccleſiæ patrocinio commendati exiſtunt, ſacerdotali defenſione à cujusvis inſolentia protegantur, ſive in ſtatu libertatis eorum, ſeu in peculio, quod habere noſcuntur.

De Theſauris eccleſiaſticis. Ex Capit. Lib. I. Titulo CXVII. CCCLVI

Singuli Epiſcopi, Abbates & Abbatiſſæ diligenter conſiderent theſauros eccleſiaſticos, ne propter perfidiam & negligentiam cuſtodum aliquid de Gemmis aut de Vaſis vel de reliquo theſauro ſit perditum.

Ex Lib. I. Cap. XIX. CCCLVII.

Nulli liceat alienare rem immobilem eccleſiæ ſive domum, ſive agrum ſive hortum, ſive ruſticum mancipium vel panes civiles, neque creditoribus ſpecialis Hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem permutationem, & emphiteuſeos perpetuum contractum. Sed omnes omnino ſacerdotes ab hujuſmodi alienatione abſtineant pænas timentes, quas Leonina conſtitutio minatur.

Ex eodem. Cap. XXX. CCCLIIX

Si Princeps voluerit rem immobilem ſanctis locis præſtare & accipere aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hæc ei facere divina pragmatica ſanctione ab eo promulgata.

Digitized by Google

CCCLIX. De Precariis. Ex Conc. Ad Beluacum Titulo XXI.

Precariæ & commutationes tempore viduarum eccleſiarum factæ ab his, qui loca Epiſcoporum occupaverant, reſcindantur, & cum autoritate eccleſiaſtica vel civili ſi fiendæ ſunt, fiant.

CCCLX. De eadem re. Cap. XXII.

Precariæ à nemine de rebus eccleſiaſticis fieri præſumantur, niſi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiatur, ex rebus eccleſiæ in ſuo tantum qui dederit nomine, ſi res proprias & eccleſiaſticas fructuario uſu tenere voluerit. Si autem res proprias ad præſens dimiſerit ex rebus eccleſiaſticis triplum fructuario uſu in ſuo tantum quis nomine ſumat, quia ſic eas quemque tractare ut alienarum rerum diſpenſatorem convenit, non ut propriarum largitorem.

CCCLXI. Ex eodem.

A nulla poteſtate quis cogatur facere Precariam de rebus Deo & ſanctis ejus dicatis, cum ratio & uſus obtineat, neminem cui non vult contra utilitatem & rationem (præſtitum de proprio) facere beneficium.

CCCLXII. Ex eodem.

Precariæ de quinquennio in quinquennium ſecundum antiquam conſuetudinem & autoritatem renoventur.

CCCLXIII. De Commutationibus. Ex Conc. Toletano Cap. XXIII.

Commutationes rerum eccleſiaſticarum validè curentur & ſubtilisſimè, ſi aliquo modo fieri debeant inſpiciantur. Quæ autem inconſultò factæ ſunt, juxta decretum canonicum Hilarij Papæ, quæ illicitè deceſſor Epiſcopus admiſerit, vel ab aliis illicitè commiſſa ſunt, ab eo qui ſucceſſor eſt emendentur.

CCCLXIV. Ex Conc. apud Sanctum Medardum Cap. XI.

Præcepta regalia ſuper precariis eccleſiaſticis fieri nec ratio ſinit nec auctoritas, quolibet modo permittit, quum præcepta

præcepta in jure eccleſiaſtico firmare indignum judice nec ſit majeſtatis regiæ, niſi ab eccleſiaſtico rectore petantur. Idem autem cuſtos eccleſiæ ſolertisſime caveat, ne ſui ordinis & eccleſiaſticæ communionis forte immemor contra autoritatem præceptum regium pro quacunque aſſentatione fieri petat, qui etſi fecerit, non audiatur, ſi autem id obtinuerit, regia diſcretione & Epiſcopali judicio idem reſcindatur, & petitor injuſtus pro Principis injuſta ſuggeſtione digne corripiatur.

Ex eodem Cap. CCCLXV.

Sciant fideles noſtri, quod conceſſimus in Synodo venerabilibus Epiſcopis, ne ſuper beneficia eccleſiaſtica vel precarias, etiamſi Monaſteriorum prælati irrationabiliter petierint, præcepta confirmationis noſtræ ullo modo faciamus ideoq; ab irrationabili petitione ſe unuſquisque compeſcat.

Ex eodem Cap. XII. CCCLXVI.

Misſi noſtri omnibus per illorum miſſaticum denuncient, ne commutationes rerum vel mancipiorum eccleſiaſticorum ullus prælatus ſine licentia & conſenſu noſtro præſumat facere. Neque mancipia eccleſiaſtica quiſpiam niſi ad libertatem commutet, videlicet ut mancipia, quæ pro Eccleſiaſtico dabuntur in eccleſiæ ſervitute permaneant, & eccleſiaſticus homo qui commutatur perpetua libertate perfruatur. Quod enim ſemel Domino conſecratum eſt, ad humanos uſus jam transferri non poteſt. Ait enim lex: Si quis mutaverit & quod mutat, & quod mutatum eſt, ſacrificabitur Domino.

Item ex Cap. ad Cariſiacum. CCCLXVII

Injuſtum videtur & impium, ut mancipia quæ fideles viri ſeu fœminæ pro remedio animæ ſuæ Deo & Sanctis ejus conſecrarunt cujuscunque muneris pretij vel commutationis commercio iterum in ſecularem ſervitutem redigantur, cum canonica autoritas ſervos fugitivos tantummodo diſtrahi permittat, & ideo omnes rectores eccleſiarum ſummopere caveant, ne unius eleemoſyna alterius peccatum fiat. Sicuti enim indecens eſt, ut ex libero ſervus fiat, ſit abſurdum, ut eccleſiaſtica dignitate ſervus decidens humanæ obnoxius fiat ſervituti.

De

CCCLXIIX **De Die dominico. Ex Capit. Caroli.**

Statuimus quoque ſecundum quod in lege Dominus mandavit, ut opera ſervilia diebus Dominicis non agantur. Sicut genitor meus in ſuis ſynodalibus edictis mandavit, ut nec viri ruralia exerceant nec in vinea colenda, nec in campis arando vel metendo, vel fœnum ſecando, vel ſepe ponendo vel in ſylvis ſtirpando, vel arbores cædendo, vel in petris laborando, nec domos ſtruant nec in horto laborent, nec ad placita conveniant, nec mercatus fiat, nec venationes inſtituantur.

CCCLXIX. **Quid in dominico die poſſit vel liceat. Ex eodem.**

Tria carraria opera licet fieri Dominico die, nempe hoſtilica carra, victualia, vel angaria, & ſi forte neceſſe ſit corpus alicujus duci ad ſepulchrum.

CCCLXX. **Item.**

Fœminæ opera textilia ne faciant in die Dominico non capulent veſtitus, non conſuant, nec lanam carpant, non licet linum battere, aut in publico veſtimenta lavare, nec verveces tondere, ut omnimodo honor & requies die dominico perſolvatur, & ad miſſarum ſolemnia undique conveniant, & laudem Domini pro omnibus bonis quæ nobis in illa die conferre dignatus eſt *fundant*.

CCCLXXI. **Item.**

Omnes dies Dominicos cum omni veneratione obſervare decernimus, & ab illicito opere abſtinere & ut mercatus in eis minimè fiat, nec placitum, ut ſcil. aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur, nec ſacramenta jurentur.

Ex Capitulari l. 1. Cap. XXXIX.

Mercatus die Dominico in nullo loco habeantur.

Nullus epiſcopus vel infra poſitus die Dominico cauſam judicare præſumat. Ex Conc. Tarraconenſi.

Nullus Epiſcoporum vel presbyterorum vel Clericorum die Dominico propoſitum alicujus cauſæ negotium audeat vindi.

Digitized by Google

vindicare, niſi hoc tantum, ut Deo ſtatuta ſolemnia peragantur.

De Feſtivitatibus Anni. Ex Capitul. Lib. II. Cap. XXIII. CCCLXXII.

Feſtos dies in anno celebrare ſancimus iſtos: Diem Dominicum, Paſcha cum omni hebdomade, Diem Aſcenſionis Domini, Pentecoſten ſimiliter ut Paſcha, Apoſtolorum Petri & Pauli diem, Nativitatem Sancti Iohannis Baptiſtæ, Aſſumptionem Sanctæ Mariæ, Sancti Michaëlis, Sancti Remigij, Sancti Martini, Sancti Andreæ, Natalem Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem Sanctæ Mariæ, & illas feſtivitates Martyrum vel confeſſorum obſervare decernimus, quorum in unaquaque Parochia corpora requieſcunt.

Ex Conc. Adriſphach. CCCLXXIII

Feſtos dies celebrare ſancimus, Diem Paſchæ, ſimiliter feria II. III. IV. & V. ante Miſſam licentia ſit arandi & ſeminandi, hortum vel vineam excolendi, & ſepem circumcludendi, ab alio vero opere ceſſare decrevimus; poſt Miſſam autem ab opere vacare; Pentecoſten ſimiliter ut Paſcha, S. Laurentij Kal. Novemb. omnium Sanctorum, ſimiliter Dedicationes eccleſiarum.

De non flectendo genu in diebus feſtis. Ex Conc. Nicæno. CCCLXXIV.

Cum ſint quidam in die Dominico genu flectentes, & in diebus Pentecoſtes, ut omnia in diverſis locis conſonanter obſerventur, placuit Sancto Concilio ſtantes Domino vota facere ac perſolvere.

Vnde ſupra. CCCLXXV.

Presbyteri plebibus annuncient, quod in Quadrageſima & in Iejunio IV temporum tantummodo ad Miſſarum ſolemnia annunciante Diacono genua flectere debeant. In Dominicis è contra dictis vel cæteris Feſtis à veſpera uſque ad veſperam non flectant genua. ſed ſtantes incurvati orent. Nec quiſquam uno genu ſolotenus impreſſo orare præſumat; ſicut Iudæi irridentes Dominum in ejus paſſione feciſſe leguntur, ſed utraque genua terræ figat. Ait enim Apoſtolus: Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Digitized by Google

CCCLXXVI. **Turpia cantica precibus prohibeantur. Ex Concilio Arelatenſi.**

Exterminanda omnino eſt irreligioſa conſuetudo, quam vulgus per ſolennitates ſanctorum agere conſuevit, ut populi, qui debent officia Divina attendere, ſaltationibus & turpibus invigilent canticis, non ſolum ſibi nocentes, ſed & religioſorum officiis perſtrepentes. Hoc ut ab omni Hiſpania depellatur, Sacerdotum & judicum à Sancto Concilio curæ committatur.

CCCLXXVII. **Ne ſuper mortuos cantetur. Ex Conc. Vnde ſupra.**

Laici, qui excubias funeris obſervant, cum timore & tremore & reverentia hoc faciant, nullus ibi præſumat Diabolica carmina cantare, non jocos & ſaltationes facere, quæ pagani Diabolo docente adinvenerunt. Quis enim neſciat diabolicum eſſe & non ſolùm à Religione Chriſtiana alienum, ſed etiam humanæ naturæ eſſe contrarium ibi canthari, inebriari, lætari & cachinnis ora diſſolvi, & omni pietate & affectu caritatis poſtpoſito quaſi de fraterna morte exultari, ubi luctus & planctus flebilibus vocibus debuerat reſonare pro amiſſione cari fratris. Patres ſiquidem Veteris ac Novi Teſtamenti mortes Sanctorum virorum legimus multis in locis cum fletu deploraſſe, in nullo autem loco, quia à ſeculo receſſerant, exultaſſe. Nam & Iacob Patriarcham flevit tota Aegyptus LXX diebus. Et Ioſeph & fratres ejus cum patrem deferrent in terram Chanaan ad ſepeliendum celebrantes exequias ad aream Athahet, quæ ſita eſt trans Iordanem planctu magno atque vehementi impleverunt ſeptem dies. Tantus autem fuit planctus, ut locus inde nomen acceperit. Et de beato Stephano legimus, quod ſepelierunt eum ac curaverunt viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. Et ideò talis inepta lætitia & peſtifera cantica ex auctoritate Dei penitus interdicenda ſunt. Si quis autem cantare deſiderat, Kyrie eleyſon cantet. Sin aliter, omnino taceat, ſi autem tacere non vult, ſtatim ab omnibus banniatur vel adjuretur, ut non habeat ibi licentiam amplius conſiſtere, ſed recedat, & ad propriam eat manſionem, in craſtinum autem taliter coerceatur, ut cæteri timeant.

Epi-

Epiſcopus clericos alterius parochiæ nullatenus ordinet. Ex Concil. Antiocheno. CCCLXXVIII

Epiſcopus non conſtituat Presbyteros aut Diaconos alteri ſubjectos Epiſcopo, niſi forte cum conſilio & voluntate regionis Epiſcopi. Si quis autem tale quid agere tentaverit, irrita ſit ejus ordinatio, & ipſe à Synodo coerceatur.

Nullus alterius clericum ordinet. Ex Conc. Nicæno. CCCLXXIX

Si quis Epiſcopus clericum ad alium pertinentem aut Diaconum invadere & in ſua Eccleſia ordinare tentaverit non conſentiente Epiſcopo, à quo diſceſſit, ordinatio hujuſmodi irrita comprobetur.

Ex Conc. Africano. CCCXXC.

Item placuit, ut quicunque in eccleſia vel ſemel legerit, ab alia eccleſia ad Clericatum non teneatur,

Quod non oporteat abſolute ordinare. Ex Conc. Chalcedonenſi. CCCXXCI.

Nullus abſolutè ordinari debet Presbyter aut Diaconus nec quilibet in gradu eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter eccleſiæ, civitatis aut poſſeſſionis aut martyrij aut monaſterij, cui ordinandus eſt, *nomen* pronuncietur. Qui verò abſolutè ordinantur, decrevit Sancta Synodus irritam haberi hujuſmodi manus impoſitionem & nuſquam poſſe miniſtrare, ad ordinantis injuriam.

Ex Capitulari Lib. I. Cap. XXV. CCCXXCII

Nullus abſolutè ordinetur, & ſine pronunciatione ſtabilitatis loci, ad quem ordinatur.

Ex eodem Capitulari CXXXVI.

Presbyteri non ordinentur, priusquam examinentur.

Ex Synodo Meldenſi. Cap. LII. CCCXXCIII

Qui vero ex noſtris Parochiis aut ad titulum aut abſolute ordinari petuntur, nullatenus ordinentur, niſi aut in loco certo & religioſo, vel etiam in civitate ſaltem uno anno immorentur,

 ut de

unde vita & converſatione atque doctrina illius certitudo poſſit agnoſci, Et nemo abſolutè ordinare quempiam præſumat, ſicut ſancti ſanxerunt Canones.

CCCXXCIV. Ex Conc. Africano.

Placuit, ut quicunque deinceps ordinantur per provincias Africanas literas accipiant ab ordinatoribus ſuis manu eorum ſubſcriptas continentes conſulem & diem, ut nulla altercatio de poſterioribus vel anterioribus oriatur.

CCCXXCV. Nullus alterius ſervum ordinare præſumat. Ex Epiſtola Leonis Papæ.

Non admittantur paſſim ad ordinem ſacrum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragatur, & qui à Dominis ſuis libertatem conſequi minimè potuerunt, ad faſtigium ſacerdotij tanquam ſervilis vilitas hunc honorem capiat, non provehantur, nec probari Deo poſſe credatur, qui Domino ſuo necdum probare ſe potuit. Et poſt pauca: Debet eſſe immunis ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus, ut caſtris dominicis, quibus nomen eſt adſcriptum, nullis neceſſitatum vinculis abſtrahatur.

CCCXXCVI. Si ſervus abſente aut neſciente Domino, Epiſcopo autem ſciente Diaconus aut Presbyter fuerit ordinatus, ipſe in clericatus officio permaneat, Epiſcopus autem eum duplici ſatisfactione Domino perſolvat. Si verò Epiſcopus ſervum eum eſſe neſciverit, qui teſtimonium de illo perhibent, aut eum poſtulant ordinari, ſimili recompenſatione teneantur obnoxij.

CCCXXCVII. Ex Epiſtola Innocentij Papæ.

De aliena eccleſia clericum ordinare nullus Epiſcopus uſurpet, niſi alterius Epiſcopi precibus exoratus fecerit, vel ipſe Epiſcopus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam Synodus Nicæna ſtatuit, ut abjectum ab altero clericum altera Eccleſia non recipiat.

CCCXXCIIX. Ex Concilio Toletano.

Quicunque libertatem à Dominis ſuis ita percipiunt, ut nullum ſibimet in eis obſequium patronus retentet, iſti ſi ſine crimine ſunt, ad Clericatus ordinem liberè ſuſcipiantur, quia directa manumiſſione abſoluti noſcuntur. Qui verò recenti obſequio

manu-

manumiſſi ſunt, pro eo quod à patronis adhuc ſervituti tenentur obnoxij, nullatenus ſunt ad eccleſiaſticum ordinem promovendi, ne quando voluerint eorum Domini, ex clericis ſervi fiant.

Item ex Capit. Tit. XXCIV. CCCXXCIX.

Si laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Epiſcopis conſecrandos ſuiſque in eccleſiis conſtituendos obtulerint, nulla qualibet occaſione *Epiſcopi* eos rejiciant.

De Servorum ordinatione. Ex eodem Cap. LXXXII. CCCXC.

De Servorum ordinatione, qui paſſim ad eccleſiaſticos gradus indiſcretè promoventur, placuit omnibus cum ſacris canonibus concordare debere, & ſtatutum eſt, ut nullus Epiſcoporum ad ſacros ordines *aliquem* promovere præſumat, niſi prius à Dominis propriis libertatem conſecutus fuerit. Et ſi quilibet ſervus Dominum ſuum fugiens aut latitans, aut adhibitis teſtibus munere conductis aut corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus Eccleſiaſticos pervenerit, decretum eſt, ut deponatur, & dominus ejus eum recipiat. Si verò avus aut Pater ab alia patria in aliam migrans, in eadem provincia filium genuerit, & ipſe filius, ibidem educatus, & ad gradus Eccleſiaſticos promotus fuerit, & utrum ſervus ſit, ignotum ſit, & poſtea veniens Dominus illius legibus eum acquiſierit, ſancitum eſt, ut ſi Dominus ejus illi libertatem dare voluerit, in gradu ſuo permaneat. Si verò eum catenâ ſervitutis à caſtris Dominicis abſtrahere voluerit, gradum amittat, quia juxta ſacros Canones vilis perſona manens ſacerdotij dignitate fungi non poteſt.

De Peculio ſervorum. CCCXCII.

De rebus verò illorum vel peculio, qui à Dominis propriis libertate donantur, ut ad gradus eccleſiaſticos jure promoveantur, ſtatutum eſt, ut in poteſtate Dominorum conſiſtat, utrum illis *peculium* concedere, an ſibi vendicare voluerint.

De Peculio ordinatorum. CCCXCIII.

Cæterum ſi poſt ordinationem aliquid acquiſierit, illud obſervandum eſt, quod in canonibus de conſecratis nihil habentibus conſtitutum eſt.

Digitized by Google

CCCXCIII. De Eccleſiarum ſervis.

De eccleſiarum verò ſervis communi ſententiâ eſt decretum, ut Archiepiſcopi per ſingulas Provincias conſtituti noſtram autoritatem, ſuffraganei autem illorum, exemplar illius penes ſe habeant. Et quandocunque de familia eccleſiæ utilis inventus aliquis ordinandus eſt, ex ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram ſacerdotibus, & omni Clero ante cornu altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem conſequatur, & tunc demum ad gradus eccleſiaſticos promoveatur.

CCCXCIV. De Monaſteriorum familiis.

Similiter quoque de his agendum eſt, quos Laici de familia eccleſiarum ad ſacros ordines promovere voluerint. Sed & de his, quos præpoſiti canonicorum aut Monachorum ordinandos expetierint, eadem forma ſervanda eſt.

CCCXCV. Exemplar Libertatis ſupra notatæ.

Auctoritas Eccleſiaſtica patenter admonet, inſuper & majeſtas Regia canonicæ Religioni aſſenſum præbet, ut quemcunque ad ſacros ordines ex familia propria promovere eccleſia quæque delegerit, in præſentia ſacerdotum, canonicorum, ſimul & nobilium laicorum ejus, cui ſubjecta eſt, ſubſcriptione ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine Epiſcopus vel Abbas, vel quilibet alius, annuente Chriſto ſanctæ N. eccleſiæ Rector hunc eccleſiæ noſtræ famulum nomine N. ſacris ordinibus oblatum ad altaris cornu in nobilium virorum præſentia per hoc autoritatis teſtamentum ſtatuo, ita ut ab hodierna die & tempore benè ingenuus atque ab omni ſervitutis vinculo ſecurus permaneat ac ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet procreatus vel natus, eandemque pergat partem, quamcunque volens canonicè elegerit, ita ut deinceps nec nobis neque ſucceſſoribus noſtris ullum debeat noxiæ conditionis ſervitium, ſed omnibus diebus vitæ ſuæ ſub certa pleniſſimaque ingenuitate, ſicut alij cives Romani per hunc manumiſſionis atque ingenuitatis titulum benè ſemper ingenuus atque ſecurus exiſtat. De ſuo verò peculiari, quod habet vel quod abhinc vel deinceps aſſequi poterit, faciat inde ſecundum canonicam autoritatem liberè, quid-

quid

Digitized by Google

quid voluerit. Et ut hæc ingenuitatis pagina inviolabilem obti-neat firmitatem, manu propriâ illam roboravimus.

Exemplar Libertatis de proprio ſervo. CCCXCVI.

Qui debitum ſibi nexum atque competens relaxat ſervitium, præmium in futuro apud Domiuum ſibi provenire ne dubitet. Quapropter ego in Dei nomine N. pro remedio animæ meæ ſeu æterna retributione in eccleſia Sancti N. vel ipſius Sancti ſub præſentia Epiſcopi vel Sacerdotum ibi conſiſtentium ac nobilium laicorum ante cornu altaris iſtius Eccleſiæ abſolvo ſervum meum N. per hanc chartam abſolutionis & ingenuitatis ab omni vinculo ſervitutis, ita ut ab hac die & deinceps ingenuus ſit, & ingenuus permaneat, ac ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet natus vel procreatus, eamq; pergat partem, quam maluerit, vel quam ei autoritas Canonica permittit, & ſicut alij cives Romani, vitam ducat ingenuam. Nulli autem hæredum meorum ac prohæredum nec cuicunq; alij perſonæ quicquam debeat, ſervitutis vel libertatis obſequium, niſi ſoli Deo, cui omnia ſubjecta ſunt, vel pro cujus amore ipſum devotus ad ejus ſervitium obtuli. Peculiare vero ſuum quod ei Dominus dederit, & deinceps Domino auxiliante laborare potuerit, conceſſum in perpetuum habeat, ut inde faciat, quicquid illi placuerit ſecundum eccleſiaſticas ſanctiones. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ego ipſe vel aliquis de hæredibus meis vel qualibet oppoſita Perſona contra hanc ingenuitatis chartam venire tentaverit, aut eam quolibet modo infringere voluerit, primitus iram Dei incurrat, & à liminibus Sanctæ Dei eccleſiæ extraneus efficiatur, & inſuper, cui litem intulit LX ſolidos perſolvat, & quod repetit, evindicare non valeat, ſed præſens ingenuitatis charta, & mea & aliorum bonorum hominum manibus roborata cum ſtipulatione ſubnixa omni tempore maneat inconvulſa. Debent autem ſupra ſcriptæ ingenuitatis Chartæ non ſolum nomen illius, qui has fieri rogat, ſed etiam nomine ſacerdotum & nobilium laicorum, qui ibi adfuerint in ordine digeſta cum ſignis propria manu impresſis contineri; Nam ſine horum adſtipulatione pagina autoritate teſtium nudata pro nihilo deputatur. Oportet etiam, ut locum, diem, annum & Conſulem & indictionem, in fine vel in margine annotatam habeat in hunc modum; Actum in illa civitate, in domo Sancti illius

Digitized by Google

Kal. illis, Anno Dominicæ Incarnationis illo, regnante Rege & præſidente in Cathedra ſupradictæ Civitatis Epiſcopo illo, vel in monaſterio illo, Indictione illa, in Dei nomine feliciter, Amen. Ait enim Romana auctoritas: Quæcunque Leges ſine die & Conſule ſunt prolatæ, non valeant.

Vnde ſupra.

CCCXCVII Inſtruendi ſunt præterea Laici, ut ſciant, quod nullatenus alio loco manumittere proprios poſſint ſervos, quos Domini caſtris aggregare decreverunt, niſi in ſacroſancta Eccleſia ordine ſupra notato. Quomodo enim Clerici extra eccleſiam libertatem conſequi poſſunt, qui à lege mundana extranei ſunt, & quibus interdicitur, ne ad ſeculare judicium procedant, quomodò ſeculari judicio à jugo ſervitutis abſolvuntur? Sed fortaſſe dicit aliquis: Clericus fieri non permittitur, niſi ante ſuſceptum Clericatus officium ingenuitatis dignitate potiatur. Revera verum dicit, & ideò quod infirmari vel vituperari poteſt, præcaveri debet.

Vnde ſupra.

CCCXCIIX Non ſolùm autem, qui ad Clericatus ordinem promovendi ſunt in eccleſia manumittendi ſunt, verum etiam hi, quos quiſque pro remedio animæ ſuæ emancipare vult, ſecundum legem mundanam in eccleſia abſolvi debent, & ejuſdem eccleſiæ patrocinio commendari. Scriptum enim *ita* eſt in Pacto Francorum.

Ex Pacto.

CCCXCIX. Hoc etiam volumus ut quicunque Francus Ribuarius ſervum ſuum prò remedio animæ ſuæ ſecundum legem Romanam liberum facere voluerit, ut in eccleſia coram Presbyteris, Diaconis, ſeu cuncto Clero & plebe in manus Epiſcopi Servum cum tabulis tradat, & Epiſcopus Archidiaconum jubeat, ut ei tabulas ſecundum legem Romanam, quæ in eccleſia viget, ſcribere faciat, & tàm ipſe, quam & omnis procreatio ipſius liberi permaneant, & ſub tuitione eccleſiæ conſiſtant, & omnem reditum ſtatus ſui ad eccleſiam perſolvant, & non alibi niſi ad eccleſiam, in qua relaxati ſunt mallum teneant, & ſi abſque liberis diſceſſerint, nullum alium niſi eccleſiam relinquant hæredem.

In

Digitized by Google

Imperator Conſtantinus Auguſtus Hoſio Epiſcopo Cordubenſi: Qui manumittendi in ſacroſanƈta eccleſia habuerit voluntatem, is ſub præſentia ſacerdotum ſervos ſuos debet abſolvere. Suſceptâ libertate noverit eos cives eſſe Romanos. Et ſi Clerici mancipiis ſuis dare voluerint libertatem etiamſi extra conſpeƈtum fecerint ſacerdotij, vel ſine ſcriptura verbis tantùm fuerint abſoluti, manebit *illis* ſicut civibus Romanis integra & plena libertas.

Ex Concilio Triburienſi. CCCCI.

Nemo de ſervili conditione ad ſacros ordines promoveatur, niſi prius à Dominis propriis libertatem legitimam conſequantur, cujus libertatis charta ante ordinationem ex ambone publicè legatur, & ſi nullus contradixerit, ritè conſecrabitur. Sed ſi poſtea gradu deciderit, ejus ſit conditionis, cujus fuerat ante gradum.

Ex Concilio Neocæſarienſi, de Ordinandis. CCCCII.

Presbyter ante trigeſimum ætatis ſuæ annum nullatenus ordinetur, licet valdè dignus ſit, ſed hoc tempus obſervetur: nam & Dominus noſter trigeſimo ætatis anno baptizatus eſt.

De Diaconis. Ex Concilio Carthaginenſi. CCCCIII.

Item placuit, ut ante XXV ætatis annos nec Diaconi ordinentur nec virgines conſecrentur.

Ex Epiſtola Felicis Papæ. CCCCIV.

Qui partem digiti ſibi abſcidit volens, hunc ad Clerum canones non admittunt: cui verò caſu hoc accidit, clerici poſſunt fieri, & ſi in Clero fuerint reperti, non abjici *debent*.

Ex Epiſtola Gelaſii Papæ, De Illiteratis Presbyteris. CCCCV.

Illiteratos quoque aut aliqua parte corporis imminutos nemo præſumat ad clerum provehere, quia nec literis carens ſacris eſſe poteſt aptus officiis, & vitioſum nihil Deo prorſus offerri legalia præcepta ſanxerunt. Similiter qui ſe ipſos abſcindunt.

Digitized by Google

Ne criminoſi ad clerum admittantur: ait enim Apoſtolus, manum nemini citò impoſueris, neque communicaveris alienis peccatis. Ex eadem Epiſtola.

Vſque adeo ſanè comperimus illicita quæque prorumperē, ut Dœmoniacis ſimilibusque paſſionibus irretitis myſteria ſacroſancta tractare tribuatur. Et poſt pauca: Si corpore ſauciatum aut debilem nequaquam ſancta contingere lex Divina prohibet, quanto magis doni cæleſtis diſpenſatores non convenit, quod eſt deterius, mente *eſſe* perculſos?

CCCCVI. ## Ex Concilio Aurelianenſi. Cap. X.

De his qui ex Concubinis filios habent & uxores legitimas habuerunt, & defunctis uxoribus ſibi concubinas publice ſociant, obſervandum cenſuimus, ut eos, qui jam Clerici per ignorantiam ordinati ſunt, non removeamus, ſed ſtatuimus, ne ulterius ordinentur.

CCCCVII. ## Ex Concilio Meldenſi Cap. LXIV. De eadem re.

Raptores virginum, & viduarum, qui etiam poſtea voluntate parentum eas, quaſi deſponſatas ſub dotalitij nomine in conjugium duxerunt, publicæ pænitentiæ ſubjungantur, & poſt publicam pænitentiam, *caveant* ne in peius corruant, verum convenientes eleemoſynis & cæteris quibuscunque ſalvificæ converſationis actionibus inſervire procurent, uſque quo ab opere conjugali ex conſenſu abſtinere evaleant.

CCCCIIX. ## De Filiis non legitimis.

Filij verò ex hujuſcemodi vituperabili conjunctione ante conjugium minus laudabile procreati ad eccleſiaſticam dignitatem nullo modo provehantur, nec de tali conjugio generati eccleſiaſticis ordinibus applicentur, niſi forte eos aut maxima eccleſiæ utilitas aut neceſſitas poſtulet, aut evidens meritorum prærogativa commendet.

Item

Digitized by Google

Item ex Lege Romana.

Si quis inceſtas aut nefarias nuptias inierit, nec uxorem habens videtur nec filios. Nam hi, qui ex hujuſmodi conceptione nati fuerint, quamvis videantur naſci, patrem nullatenus habere cenſentur, & tanquam ſi de adulterio concepti fuiſſent, deputantur.

Eos itaque quos publicæ leges non admittunt, ſed velut infamiæ maculis reſperſos reſpuunt, & quaſi degeneres deſpiciunt, eccleſiaſtica dignitas nullatenus recipit, præſertim cum nihil maculoſum Deo ritè poſſit offerri vel ejus ſervitio applicari.

Ne quis alterius ſuſcipiat clericum. In canonibus Apoſtolorum. CCCCIX.

Epiſcopus, apud quem clericos alterius moratos eſſe conſtiterit, ſi contra eos decretam ceſſationem pro nihilo reputans tanquam Clericos eos ſuſceperit, velut Magiſter inquietudinis communione privetur.

Ex Decretis Leonis Papæ. CCCCX.

Alienum Clericum invito Epiſcopo ipſius nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet, niſi forte ex placito Charitatis id inter dantem accipientemque conveniat. Nam gravis injuriæ reus eſt, qui de Fratris Eccleſia id, quod eſt utilius aut pretioſius audet abjicere vel tenere.

De Transfugis clericis. CCCCXI.

Itaque ſi intra provinciam res agitur, transfugam Clericum ad eccleſiam ſuam Metropolitanus redire compellat: Si autem longius receſſit, ſui præcepti autoritate revocabitur.

Vnde ſupra. CCCCXII

Fugitivum Clericum aut Monachum deſerentem diſciplinam, veluti contemptorem placuit revocare.

Ex dictis Baſilij Epiſcopi. CCCCXIII

Si quis eum, qui diſtrictionem eccleſiaſticam non *vult ferre* fugam meditari agnoverit, nec ſtatim prodiderit, proditionis illius participem ſe eſſe non dubitet, & tamdiu à conventu fratrum ſequeſtrandus eſt, quamdiu valeat ille revocari.

CCCCXIV. Clerici cum Epiſtolis Epiſcopi ſui proficiſcantur. Ex Canonibus Apoſtolorum.

Si quis Clericus aut Laicus ad alteram properat civitatem, & ſuſcipitur præter commendatitias Epiſtolas. & qui ſuſceperit, & qui ſuſceptus eſt, communione privetur.

CCCCXV. Ex Concilio Antiocheno.

Nullus peregrinorum ſine Pacificis, id eſt, Commendatitiis ſuſcipiatur Epiſtolis.

CCCCXVI. Ex Concilio Chalcedonenſi.

Peregrinos Clericos & Rectores in alia civitate ſine commendatitiis literis Epiſcopi ſui nuſquam penitus miniſtrare debere *decernimus*.

CCCCXVII Ex Concilio Agathenſi.

Presbytero aut Diacono aut Clerico ſine Antiſtitis ſui Epiſtolis ambulanti, communionem nemo impendat.

CCCCXIIX Ex Concilio Chalcedonenſi.

Omnes pauperes & indigentes Eccleſiaſtico auxilio, cum proficiſcuntur, cum probatione Epiſtolæ vel eccleſiaſticis Pacificis tantummodo commendare decrevimus, & non commendatitiis literis, propterea quod commendatitias literas honoratioribus tantummodo perſonis præſtari conveniat.

CCCCXIX. Ex eodem Concilio.

Clerico ſine commendatitiis Epiſtolis Epiſcopi ſui licentia non detur evagandi. In Monachis quoque præſentis ſententiæ forma ſervetur.

CCCCXX. Ex Canonibus Apoſtolorum. Vnde ſupra.

Nullus Epiſcoporum peregrinorum Presbyterorum aut Diaconorum ſine commendatitiis ſuſcipiatur Epiſtolis: & cum ſcripta detulerint, diſcutiantur attentius, & ita ſuſcipiantur.

CCCCXXI. Ex Concilio Sardicenſi.

Ianuarius Epiſcopus dixit: Illud quoque ſtatuat ſanctitas veſtra, ut nulli Epiſcopo liceat, alterius Epiſcopi civitatis miniſtrum eccleſiaſticum ſollicitare, & in ſuis Parochiis ordinare.

Vnde

Digitized by Google

Vnde ſupra. ccccxxii.

Hoſius Epiſcopus dixit: Et hoc univerſi conſtituimus, ut quicunque ex alia Parochia voluerit alienum miniſtrum ſine conſenſu Epiſcopi ipſius & voluntate ordinare, non ſit rata ordinatio ejus.

Ex Concilio Laodicenſi. ccccxxiii

Quod non oporteat ſacerdotem vel Clericum ſine literis proficiſci canonicis.

Ex Concilio Meldenſi. ccccxxiv.

Vt Presbyteri vel quilibet Clerici, in alterius Parochiam ſine Formata non recipiantur, neque retineantur, nec etiam miniſtrare ſinantur: Criminati autem ab omnibus excludantur & ejiciantur à Parochiis, in quibus deliteſcunt, uſque quo ad eum revertantur Epiſcopum, à quo aufugiſſe noſcuntur.

Ex eodem Concilio Cap. I. ccccxxv.

Qui cum Senioribus ſuis de aliis provinciis ad noſtras provincias veniunt, ſine formata miniſtrare non permittantur, quam etſi attulerint, & miniſtrare idonei inventi fuerint, inſtruantur quàm religiosè atque ſtudiosè ſacrum miniſterium peragere, & in quibus locis illud agere non debeant.

De Clericis. Ex eodem. ccccxxvi.

Clerici ſi ab hujuſmodi hominibus ad ordinandum offeruntur, inſtrui debent, ut ad Epiſcopos, ex quorum Parochia ſumpti ſunt, eos remittant, & aut ibi ordinentur, aut literas Canonicas ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi ſunt, ferant, ſicut canonica docet autoritas.

Nicæna Synodus hunc ordinem inter Epiſcopos in faciendis Epiſtolis conſervandum eſſe inſtituit:

Græca literarum elementa numeros etiam exprimere nullus, qui vel tenuiter Græci ſermonis notitiam habet ignorat. Ne igitur in faciendis Epiſtolis Canonicis, quas mos latinus Formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temere præſumeretur, hoc à Patribus CCCXIIX Niceæ conſtitutis ſaluberrimè inventum eſt,

& conſtitutum, ut Formatæ Epiſtolæ hanc calculationis ſive ſupputationis habeant rationem, id eſt, ut aſſumantur in ſupputationem prima Græca elementa Patris & Filij & Spiritus Sancti, id eſt, Π. Υ. Α. quæ elementa octogenarium, quadringentenarium, & unum numerum ſervant: Petri quoque Apoſtoli prima litera id eſt, Π. qui numerus octoginta ſignificat: Ejus qui ſcribit Epiſtolam, prima litera: cui ſcribitur, ſecunda: accipientis, tertia: Civitatis quoque, de qua ſcribitur, quarta: & Indictionis quæcunque eſt illius temporis, numerus aſſumatur. Atque ita his omnibus literis Græcis quæ ut dixi numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcunque collecta fuerit, ſummam Epiſtola teneat. Addat præterea ſeparatim in Epiſtola etiam nonagenarium & nonum numeros, qui ſecundum Græca elementa ſignificant Amen. Tres igitur prædictæ literæ Græcæ, id eſt, Π. Υ. Α. & prima litera ex nomine Petri Π. DLX & I. efficiunt numeros; Π. enim quæ eſt prima in nomine ſummi Patris LXXX numerat. Υ. verò quæ eſt prima in nomine Filij CCCC numerat. Α. verò quæ eſt prima in nomine Spiritus Sancti, unum indicat. Si addas Π. quæ in nomine Petri eſt prima, LXXX, *in Summa* DLXI. reperies. ΑΜΗΝ verò, quod in fine prædictæ Epiſtolæ ſcriptum eſt XCIX indicat. Α. enim unum, Μ. XL: Η. IIX: Ν. L: numerant, qui XCIX efficiunt numeros, & ſi ſummam totam ſimul jungas, DCLX epiſtola numeros tenet.

Sed propter minùs ſcientes ponenda videntur elementa ipſa Græca cum numeris propriis.

I	II	III	IV	V	VI	VII	IIX
Alfa,	beta,	gamma,	delta,	epi,	ſenon,	cita,	eta,
Α,	Β,	Γ,	Δ,	Ε,	Ϛ,	Ζ,	Η,

IX	X	XX	XXX	XL	L	LX	LXX	XXC	XC,	C,	
theta,	jota	cappa,	lamda,	mi,	ni,	xi,	obrevis,	pi	cophi,	ro,	
Θ,	Ι,	Κ,	Λ,	Μ,	Ν,	Ξ,	Ο,	Π,	Ϙ,	Ρ,	

CC,	CCC	CCCC	D	DC	DCC	DCCC	DCCCC
ſigma,	tau	ry,	phi,	chi,	pſi,	olonga	ennecoſe
C,	Τ,	Υ,	Φ,	Χ,	Ψ,	Ω,	ϡ,

Numerant autem ita Mia, Dia, tria, teſſera, pente, exa, epta, ogda, nea, deca, icoſi, triepta, ſerenta, nirenta, exenta, ebdominta, ogdominta,

minta, enneminta, ecaton, diacos, tetracos, pentacos, exacos, ebdacos, ogdacos, ennacos, &c.

Exemplar Epiſtolæ Formatæ.

In nomine Π. Patris & Υ. Filij & Α. Spiritus Sancti. Radbodus Sanctæ Trevirenſis eccleſiæ ac plebis ipſius humilis famulus Ruotberto Reverendo ſanctæ Metenſis eccleſiæ Antiſtiti.

Decreta Sanctorum trecentorum decem & octo Patrum Nicææ conſtitutorum ſaluberrima ſervantes, Deo dignam piamque fraternitatem veſtram canonicè aggredimur, & ſub nomine Formatæ Epiſtolæ reverenter veſtram Sanctitatem adimus, vobis ſcilicet intimando, quia præſenti Presbytero noſtro nomine N. has dimiſſorias dedimus literas, quem in noſtra Diœceſi eccleſiaſticè educatum, de ordine Clericatus ad Presbyteratus proveximus gradum, ut his canonicis munitus apicibus cum noſtra licentia ei in veſtra Parochia ſub defenſione ac regimine veſtræ charæ dilectionis degere liceat, illumque in ſinu Sanctæ Matris eccleſiæ canonicè fovendum ac regendum vobis committimus. Hanc ergo Epiſtolam Græcis literis hinc inde munire decrevimus, & annulo *cum* eccleſiæ noſtræ bulla recenſuimus. Chriſtus Paſtorum princeps interventu Beati Petri, cui ſpecialiter ovile Dominicum commiſſum eſt, fraternitatem veſtram ad cuſtodiam ſui gregis diu conſervet nobis incolumem, Amen. Π. Υ. Α. Π. Ρ. Ο. C. Τ. Θ. ΑΜΗΝ. Summa horum M. DXXXIX Data Treviris Idib. Octob. Anno Dominicæ incarnationis D CCCC IV. Indictione Nona. Π. Υ. Α. Π. Δ. Ρ. Δ. Θ.

Aliud Exemplar.

Reverendiſſimo & Sanctiſſimo Reverendæ, & Sanctæ Trevirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Dado VVirdunenſis eccleſiæ devotus gregis Chriſti famulus in Domino vero Rege ſummæ felicitatis Beatitudinem. Cum Sancta Eccleſia prompta ſit ſequi documenta Evangelica, quæ dicunt: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum &c. Et Apoſtolus jubeat hoſpitalitatem ſectari & neceſſitatibus ſanctorum virorum communicare, tamen qui cauteriatam habent ſuam conſcientiam, dicentes ſe eſſe ſimplices, cum ſint aſtutiâ Diabolicâ repleti, & pro opere pietatis dicunt, ſe de loco ad locum

tranſire,

Digitized by Google

tranſire, cum ſint ſuâ malitiâ faciente fugitivi, & dicant ſe eſſe mi-niſterio ſacro initiatos, cum non ſint, ſtatutum eſt à Sanctis Patribus neminem Clericum alienum & ignotum recipi ab aliquo Epiſcopo & intronizare in ſua eccleſia, niſi habeat à proprio Epiſcopo Epiſtolam quæ in canonibus vocatur Formata. Ideò notum facimus Paternitati veſtræ, quod præſens frater noſter harum literarum portitor nomine N. non pro ſua nequitia expulſus eſt à nobis, ſed poſtulantibus fratribus noſtris, eò quod ex familia noſtra fuit, dedimus ei libertatem receptam à cornu altaris canonicè & ordinavimus eum ad gradum Presbyterij, cui etiam has dimiſſorias ſive commendatitias literas fecimus eumque ad veſtram dilectam fraternitatem dirigimus, ut in veſtra Parochia ſub veſtro ſacro regimine & defenſione conſiſtere valeat. Ego inquam in nomine Π. Patris & Υ. Filij, & Α. Spiritus Sancti, & in unitate Sanctæ eccleſiæ, in qua Petro datum eſt jus ligandi, atque ſolvendi, abſolvo. Dado humilis Epiſcopus Presbyterum ad ruinam de civitate VVirdunenſi, *dimitto* & licentiam do vobis, Venerabilis Archiepiſcope, intronizandi eum in quacunque eccleſia vultis veſtræ Parochiæ. Dilectam Paternitatem veſtram virtutum floribus inſignitam, omnipotens Deus conſervare dignetur Amen. Π. Υ. Α. Π. Δ. Α. Ρ. Α. Θ. DCCLXXIIX. Data V. Id. Maij. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCVI. Indict. IX.

De Tempore Ordinationum. Ex Epiſtola Gelaſii Papæ.

Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum, quæ niſi certis temporibus & diebus, exerceri non debent, quarti menſis Iejunio, ſeptimi, & decimi, ſed etiam quadrageſimalis initij ac medianæ quadrageſimæ die Sabbathi Iejunio circa veſperam noverint celebrandas.

Nemo Presbyterum ſeu Diaconum his præferre, qui ante ipſos fuerint ordinati, præſumat. Vnde ſupra, ex Concil. Nannetenſi.

Epiſcopus quando ordinationes facere diſponit, omnes qui ad ſa-

ad ſacrum miniſterium accedere volunt, feria IV ante ipſam or- cccxxviii
dinationem evocandi ſunt ad civitatem unà cum Archipresbyte-
ris, qui eos præſentare debent, & tunc Epiſcopus à latere ſuo
dirigere debet ſacerdotes & alios prudentes viros gnaros Legis
Divinæ & exercitatos in eccleſiaſticis ſanctionibus, qui ordinan-
dorum vitam, genus, patriam, ætatem, inſtitutionem, locum, ubi
educati ſunt, ſi ſint benè literati, ſi in lege Domini inſtructi, di-
ligenter inveſtigent; Ante omnia ſi catholicam fidem firmiter
teneant, & verbis ſimplicibus aſſerere queant; ipſi autem quibus
hoc committitur cavere debent, ne aut favoris gratia aut cujuſ-
cunque muneris cupiditate illecti à vero devient, ut indignum &
minus idoneum ad ſacros gradus ſuſcipiendos Epiſcopi manibus
applicent: quod ſi fecerint, & ille, qui indigne acceſſit, ab altari
removebitur, & illi, qui donum Sancti Spiritus vendere conati
ſunt, coràm Deo jam condemnati eccleſiaſtica dignitate care-
bunt. Igitur per tres continuos dies diligenter examinentur, & ſic
ſabbatho, qui probati inventi ſunt, Epiſcopo repræſententur.

Ex Concilio Meldenſi. cccxxix

Hi, qui ordinari petunt nullatenus ordinentur, niſi in loco certo & religioſo, vel etiam in civitate ſaltem uno anno immorentur, ut de vita & converſatione atque doctrina illorum certitudo poſſit agnoſci.

Qualiter Epiſcopus ordinandus & examinandus. cccc xxx.

Ex Concilio Carthaginienſi.

Qui Epiſcopus ordinandus eſt, antea examinetur, ſi natura prudens eſt, ſi docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi ſemper ſui negotij cavens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi literatus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus eccleſiaſticis exercitatus. Et ante omnia, ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat, id eſt, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum Deum eſſe confirmans, totamque Trinitatem Deitatem coëſſentialem & conſubſtantialem, & coæternam & coomnipotentem prædicans ſingulam quamque in Trinitate perſonam, plenum Deum & totas tres perſonas unum Deum, Si incarnationem Divinam non in Patre neq; in Spiritu Sancto factam, ſed in Filio tantùm credat, ut qui erat in

 divini-

divinitate Dei Patris Filius, ipſe fieret in homine hominis matris filius Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris viſceribus habens, & animam humanam rationalem, ſimul in eo utriusque naturæ, id eſt, Homo & Deus, una perſona, unus Filius, unus Chriſtus & inde Dominus Creaturarum omnium, quæ ſunt, & autor, & Dominus & Rector cum Patre & Spiritu Sancto omnium Creaturarum, qui paſſus eſt verâ carnis paſſione, mortuus verâ corporis ſui morte, reſurrexit vera carnis ſuæ reſurrectione, & reſumptione, in qua veniet judicare vivos & mortuos. Quærendum etiam ab eo, ſi Novi & Veteris Teſtamenti id eſt Legis & Prophetarum & Apoſtolorum unum eundemque credat autorem Deum, ſi Diabolus non per conditionem, ſed per arbitrium factus ſit malus. Quærendum etiam ab eo, ſi credat hujus, quam geſtamus, & non alterius carnis reſurrectionem: ſi credat judicium futurum, & recepturos ſingulos pro his, quæ in carne hac geſſerunt, vel pœnas vel præmia, ſi nuptias non improbet, ſi ſecunda Matrimonia non condemnet, ſi carnium perceptionem non culpet, ſi pœnitentibus reconciliatis communicet, ſi in Baptiſmo omnia peccata, id eſt, tam illud originale contractum, quam illa, quæ voluntariè admiſſa ſunt, dimittantur; ſi extra eccleſiam catholicam nullus ſalvetur. Cum in his omnibus examinatus pleniter inſtructus repertus fuerit, tunc ordinetur.

Qualiter Presbyteri vel Diaconi ante ordinationem vel poſt ordinationem examinentur, vel qualiter de ſuo miniſterio diſcutiantur, in principio iſtius libelli ſatis expreſſum eſt, ubi ſcriptum eſt, quid ſit à Presbytero requirendum, & ideo ſuperfluum videtur repeti & iterari quod jam conſtat eſſe notatum.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

DE VETERIS GERMANIÆ DISCIPLINA ECCLESIASTICA

LIBER SECVNDVS.

Superiori libello, quid EPISCOPIS & CLERICIS Viriſque Eccleſiaſticis agendum ſit, ex parte notavimus; Altero jam libello, quid

LAICIS

ET SECVLARIBVS AGENDVM SIT, PROUT DOMINUS DEDERIT, BREVITER EXPEDIEMUS.

Ex Concilio Rhotomagenſi.

CVm Epiſcopus ſuam diœceſin circumit, Archidiaconus vel Archipresbyter eum præire uno vel duobus diebus per Parochias, quas viſitaturus eſt, & plebe convocatâ annunciare debet propriis Paſtoribus adventum, & ut omnes ad ejus Synodum die denominatâ inprætermiſsè occurrant, omnibus modis ex auctoritate Sanctorum Canonum præcipere & minaciter denunciare debet; quod ſi quis abſque gravi neceſſitate defuerit procul dubio à communione Chriſtiana ſit repellendus; Deinde aſcitis ſecum Presbyteris, qui illo in loco ſervitium debent exhibere Epiſcopo, quicquid de minoribus & levioribus cauſis corrigere poteſt, emendare ſatagat, ut Pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigetur, aut ibi immorari amplius neceſſe ſit, quàm expenſa ſufficiat. Ait enim Dominus ad Cap. I.

Digitized by Google

Moſen : de hujuſcemodi cooperatoribus : Tecum ſuſtentent onus populi, nc Tu ſolus graveris. Et Beatus Iohannes Baptiſta adventum Domini præcurrit prædicando dicens: pænitentiam agite &c. Et idem: Parate viam Domino: ſiquidem Epiſcopus vicem Chriſti agere videtur, & ideo cum gaudio, timore, & ſumma reverentia à plebibus ſibi ſubjectis ſuſcipiendus eſt, ut illis cum laude dicatur, quod Apoſtolus diſcipulis dicit: Teſtimonium vobis perhibeo, quod ita ſuſcepiſtis me, ſicut Angelum Dei, *imò* ſicut Dominum Ieſum.

Cap. II.

Vnde ſupra.

Epiſcopus in Synodo reſidens poſt congruam allocutionem ſeptem ex plebe ipſius Parochiæ vel eo amplius aut minus, prout viderit expedire, maturiores, honeſtiores atque veraciores viros in medio debet evocare, & allatis Sanctorum pignoribus, unumquemque illorum tali ſacramento conſtringat:

Cap. III.

Iusjurandum Synodale.

A modo quicquid noſti, vel audiſti, aut poſtmodum inquiſiturus es, quod contra Dei voluntatem & rectam Chriſtianitatem in iſta parochia factum eſt, aut futurum erit, ſi in diebus tuis evenerit, tantum ut (*cum*) ad tuam cognitionem pervenit, ſi ſcis aut tibi indicatum fuerit, ſynodalem cauſam eſſe, & ad miniſterium Epiſcopi pertinere, nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celare debes Epiſcopo, aut ejus miſſo, cui hoc inquirere juſſerit, quandocunque te ex hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet, & iſtæ Sanctorum reliquiæ.

Reliqui ita jurent.

Iſtud ſacramentum, quod iſte juravit de Synodali cauſa, tu obſervabis, in quantum ſapis aut audiſti, aut ab hac diè in antea exquiſiturus es. Sic te Deus adjuvet.

Cap. IV.

Poſt datum ſacramentum juniores Epiſcopus alloquatur.

Videte fratres, ut Domino reddatis juramenta veſtra, non enim homini juraſtis, ſed Deo creatori veſtro. Nos autem qui ejus miniſtri ſumus, non terrenam ſubſtantiam veſtram concupiſcimus,

Digitized by Google

cupiſcimus, ſed ſalutem animarum veſtrarum requirimus, cavete ne aliquid abſcondatis, & ex alterius peccato veſtra fiat damnatio.

Poſt hæc ita per ordinem interroget: Cap. V

Eſt in hac Parochia Homicida, qui hominem aut ſpontanea voluntate aut cupidinis & rapacitatis cauſa, aut caſu, aut nolens, & coactus, aut pro vindicta parentum, quod Faidam dicimus, aut in bello, aut juſſu Domini, aut proprium ſervum occiderit? 1.

Eſt aliquis Parricida, aut Fratricida, qui Patrem, matrem, ſororem, fratrem, avunculum aut aliquem Parentem interfecerit? 2.

Eſt aliquis, qui Presbyterum aut Diaconum aut aliquem Clericorum occiderit: vel aliquo membro detruncaverit? 3.

Eſt aliquis vel aliqua, qui infantem proprium oppreſſerit, vel veſtimentorum pondere ſuffocaverit? Et ſi hoc factum eſt, ante baptiſmum aut poſt baptiſmum? aut ſi infans infirmatus per negligentiam Parentis abſque baptiſmo obierit? 4.

Eſt aliquis vel aliqua, qui alterius partum excuſſerit; vel an ipſa fæmina propria voluntate ſuum partum excuſſerit, & abortivum fecerit? 5.

Eſt aliqua fæmina, quæ in fornicatione concipiens, timens ne manifeſtaretur, infantem proprium aut in aquam projecerit, aut in terra occultaverit, quod Morth dicunt. 6.

Eſt aliquis, qui uxorem ſuam abſque lege aut certa probatione interfecerit? 7.

Eſt aliqua fæmina, quæ virum ſuum vel aliquem hominem per herbas venenatas vel mortiferas potiones interfecerit, vel alium hoc facere docuerit? 8.

Eſt aliquis vel aliqua, qui hoc fecerit, vel alium facere docuerit, ut vir non poſſet generare aut fæmina concipere? 9.

Eſt aliquis, qui proprium ſervum extra judicium occiderit, & aliqua fæmina, quæ ancillam propriam necaverit furore zeli inflammata? 10.

Eſt aliquis qui Diabolo impellente ſemetipſum occiderit? 11.

An bello aliquis homines vulneraverit, & neſcit, an de illo 12.

 vulnere

vulnere aliquis perierit, & an alicui imputatur, quod hominem occiderit, & ipſe hoc denegat ?

13. An aliquis eſt in conſilio, ut homo interficiatur, & non eſt in facto & tamen per ejus conſilium & exhortationem interfectus eſt?

14. Eſt aliquis, qui truncationes manuum, pedum, linguæ & teſticulorum fecerit, & oculos alterius eruerit?

Deinde interrogandum de adulteriis, & fornicationibus.

15. An quis conjugatus cum alterius uxore adulteratus fuerit, an qua uxor cum alterius viro?

16. An quis uxorem habens, concubinam ſimul habuerit ancillam propriam aut aliam fæminam?

17. An quis uxorem legitimam dimiſerit, & aliam in conjugium acceperit?

18. An qua mulier virum proprium dimiſerit & alteri ſe conjunxerit?

19. An interveniente repudio ab invicem ſeparantur & ſic manent?

20. An quis absque conſenſu uxoris, derelicto legitimo conjugio in monaſterium eat?

21. An aliquis ſuam conjugem, quamvis culpabilem ſine Epiſcopi judicio relinquat?

22. An quà mulier conſcio ſuo viro fornicata fuerit?

23. An quis uxore carens cum alterius conjuge fornicatus fuerit? aut an quà mulier non habens virum cum alterius marito?

24. An quis non habens uxorem cum fæmina, quæ virum non habet, fornicatus fuerit?

25. An laica virgo mæchata fuerit cum adoleſcente?

26. An quis deſponſatam puellam non duxerit, & fidem ſponſaliorum fregerit?

27. An quis alterius ſponſam rapuerit, & ſibi ſociaverit?

28. An quis quamcunque fœminam, virginem aut viduam per raptum traxerit, & ſociaverit ſibi in matrimonio: & an aliqui ſunt, qui in hoc conſentientes & adjuvantes fuerint?

An

Digitized by Google

An quis cum Iudæa vel an Iudæus vel paganus cum aliqua Chriſtiana mæchatus fuerit? 29.

An quis ſanctimonialem vel viduam Deo ſacratam rapuerit, & in conjugium ſumpſerit, vel ipſis conſentientibus cum ijs fornicatus fuerit? 30.

An aliquis vivente marito conjugem illius adulteràſſe accuſatur, & eo in proximo defuncto eandem ſumpſiſſe dignoſcitur. 31.

An aliqua mulier dicit, quod vir ejus non poſſit cum ea coire & *ob* hanc cauſam diſcidium quærit, & alium virum vult accipere? 32.

An quis cum matre ſpiritali mæchatus fuerit, vel eam in matrimonium acceperit, vel cum filiola, quam ex ſacro fonte ſuſcepit, aut ante Epiſcopum tenuit? 33.

An quis propinquam & conſanguineam ſuam in matrimonium accepit, aut cum ea fornicatus eſt? 34.

An aliquis irrationabiliter, id eſt contra naturam cum maſculis, & brutis miſceatur animalibus? 35.

An qua mulier lenocinium fecerit? 36.

An aliquis in ſua domo conſentit cum propriis ancillis vel geniciariis ſuis adulterium perpetrare? 37.

De Fure & ſacrilego.

Interrogandum, an aliquis fur aut ſacrilegus ſit, qui eccleſias Dei infregerit, vel aliquid de eccleſia furatus ſit, aut publicè rapuerit, aut latenter ſubripuerit, aut an aliquis rapax & raptor & deprædator eccleſiæ Dei eſt. Quamvis enim hæc ſecundum legem humanam emendari debeant atque exſolvi, tamen Pænitentia ad Epiſcopum pertinet. 38.

De Perjurio.

Interrogandum, an aliquis perjurus ſit, aut an ſciens, & pro cupiditate terrena pejeraverit & an neſciens aut an coactus juſſu ſenioris, aut . . . . aut an quis ſcienter non ſolum pejeraverit, ſed etiam alios in perjurium induxerit? 39.

De Falſo teſtimonio.

Interrogandum, an aliquis ſcienter contra aliquem falſum teſti-

teſtimonium protulerit, quia hoc capitale crimen eſt, & quale damnum aliquis *illa* teſtificatione habuerit?

41. Interrogandum, an aliquis hominem liberum aut ſervum alterius, aut peregrinum & adventitium furatus fuerit, aut eum blandiendo ſeduxerit & vendiderit, extra patriam in captivitatem miſerit, aut an aliquis Iudæo vel Pagano Chriſtianum mancipium vendidert, aut an ipſi Iudæi Chriſtiana mancipia vendant?

De Incantatoribus & ſortilegis.

42. Interrogandum, an aliquis magus, hariolus aut incantator divinus, aut ſortilegus ſit?

43. An aliquis vota ad arbores vel ad fontes, vel ad lapides quoſdam quaſi ad altaria faciat, aut ibi candelam ſeu quodlibet munus deferat, velut ibi quoddam numen ſit, quod bonum aut malum poſſit inferre.

44. Perſcrutandum, an aliquis ſubulcus vel bubulcus ſive venator, vel cæteri hujuſmodi, diabolica carmina dicat ſuper panem aut herbas, vel ſuper quædam nefaria ligamenta; Et hæc in arbore abſcondat, aut in bivio aut in trivio projiciat, ut ſua animalia liberet à peſte & clade & alterius perdat: quæ omnia idololatriam eſſe nulli fideli dubium eſt, ideoque ſummoperè ſunt exterminanda.

45. Perquirendum, an aliqua fæmina ſit, quæ per quædam maleficia & incantationes mentes hominum ſe immutare poſſe dicat, id eſt, ut de odio in amorem, aut de amore in odium convertat, aut bona hominum damnet aut ſurripiat. Et an aliqua ſit, quæ ſe dicat cum Dæmonum turba in ſimilitudine mulierum transformata certis noctibus equitare ſuper quaſdam beſtias & in earum conſortio annumeratam eſſe? Hæc talis omnimodè ex Parochia ejiciatur.

De Sanguine & morticinis.

46. Interrogandum, an aliquis ſanguinem, morticinum aut dilaceratum à beſtiis comedat?

47. An aliquis per odium ad pacem non revertitur, aut juravit, quod Deo contrarium eſt, ut fratri nunquam reconcilietur, quod eſt peccatum ad mortem.

An ali-

Digitized by Google

An aliquis bibit de liquore, in quo muſtela vel mus ſive aliquod immundum animal necatum eſt? 49

An aliquis jejunium quadrageſimale non obſervat, vel quatuor temporum ſive Litaniam majorem vel Rogationum ſive indictum ab Epiſcopo jejunium ob quamcunque plagam?

An aliquis eſt, qui bibit aut manducat aut portat ſuper ſe, quod exiſtimat Dei judicium pervertere poſſe. 50.

An quis in Kal. Ianuarij aliquid fecit, quod à paganis inventum eſt & dies obſervat & Lunam, & menſes, & horum effectiva potentiâ aliquid ſperat in melius aut in deterius verti? 51.

An aliquis quodcunque opus inchoans aliud quid ibi dicit, aut quacunque magicâ arte aliud facit, niſi ut Apoſtolus docet, omnia in nomine Domini facienda; neq; enim Dæmones in noſtro adjutorio debemus invocare, ſed Deum. In collectione ſimiliter herbarum medicinalium ſymbolum & orationem Dominicam dicere oportet. 52.

Quærendum etiam, an mulieres in lanificiis ſuis vel in ordinandis telis aliquid dicant aut obſervent, niſi ut ſupra dictum eſt omnia in Nomine Domini. 53.

An quis oblationes, id eſt Eleemoſynam parentum defunctorum injuſtè retinet? 54.

An aliquis ſuper mortuum nocturnis horis carmina Diabolica cantat, & bibit, & manducat, & quaſi de ejus morte gratulatur: & an alibi mortui, in vigiliis nocturnis, niſi in eccleſia cuſtodiuntur. 55.

An aliquis eſt, qui non communicat vel tribus temporibus in anno, id eſt, in Paſcha, Pentecoſte, & Nativitate Domini, niſi pro mortiferis criminibus Epiſcopi vel ſacerdotum judicio à communione fuerit remotus. 56.

Eſt aliquis, qui in die Dominico vel in præcipuis feſtivitatibus quicquam operis facit, & an ad matutinas & ad Miſſam & veſperas his diebus inpræternmiſsè omnes occurrant? 57.

An aliquis excommunicatus pro nihilo duxerit excommunicationem & an aliquis cum excommunicato communicaverit? 58.

An aliquis modum pœnitentiæ ſibi injunctum cuſtodierit? 59.

An aliquis Patrem aut matrem inhonorat, aut percutit aut maledicit? 60.

61. An aliquis vomitum poſt acceptam Euchariſtiam per ebrietatem fecerit?

62. An aliquis eſt, qui ſuam Decimam Deo & ſanctis ejus retrahit?

63. An aliquis eſt tàm perverſus, & à Deo alienus, ut ſaltem Dominica die ad Eccleſiam non veniat?

64. An Porcarij & alij paſtores Dominica die ad eccleſiam veniant, & Miſſas audiant: ſimiliter in aliis feſtis diebus?

65. An aliquis ad Confeſſionem non veniat, vel una vice in anno idem in capite quadrageſimæ, pænitentiam pro peccatis ſuis *non* ſuſcipiat?

66. An aliquis eſt, qui aſſiduam ebrietatem ſectatur? neque *enim* ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.

67. An aliquis *eſt*, qui contempto ſuo Presbytero in aliam Parochiam venit ad Eccleſiam, & ibi communicat & ſuam decimam dat?

68. Inquirendum de Mendicis, qui per patriaſ diſcurrunt, & an unusquisque pauperem de ſua familia paſcat.

69. An in unaquaque Parochia Decani ſunt per villas conſtituti viri veraces & Deum timentes, qui cæteros admoneant, ut ad Eccleſiam pergant, ad Matutinas, Miſſam & veſperas, & nihil operis in diebus feſtis faciant, & ſi hoc quisquam tranſgreſſus fuerit, ſtatim Presbytero annuncient; ſimiliter de luxuria, & omni opere pravo.

70. An aliquis eſt, qui Bannum Epiſcopi aut Presbyteri ſui & excommunicationem parvi pendens pro nihilo ducat?

71. An Parochiani Presbytero ſuo debitum honorem impendant? aut an aliquis, cum verbo vel facto inhonorat, & ejus monita ſpernit?

72. An aliquis eſt, qui peregrino aut viatori hoſpitium contradicit?

73. Inquirendum, quas feſtivitates colant?

74. An patrini filiolis ſuis ſymbolum & orationem Dominicam inſinuant, aut inſinuari faciunt?

75. An quatuor aut quinque vel plures unum interfecerint hominem?

76. An aliquis eſt, qui contradicit Epiſcopo, aut ejus miniſtris

ne co-

Digitized by Google

›loni aut ſervi propter commiſſa criminanudi cædantur?

Inquirendum, an aliquis peregrinum, qui de ſua patria propaganorum infeſtationem vel perſecutionem fugit, hâc de a, quia in Domo ejus manſit, & diebus aut annis loco mercej illi ſervivit, pro proprio ſervo illum velit habere, & vendere dare alicui præſumat. 77.

An aliquis eſt, qui injuſta menſura ſuam annonam aut vin vendat, cum Dominus dicat: Aequus tibi ſit modius, & tarius æquus. 78.

Denunciandum etiam, quam magnum piaculum ſit uſuras igere, & de alieno fænore velle diteſcere, & quod ſacri canones les ab eccleſia ejici præcipiant. 79.

An aliquis propter cupiditatem Iudæum aut paganum infecerit? 80.

An aliquis inſaniens aliquem hominem occiderit? 81.

An quis arborem inciderit, & dum operi neceſſario inſiſtit, 82.
liquis ſubter arborem deveniens improviſè opprimitur? 83.

An quis conjurationes & conſpirationes ſectatur? 84.

An quis eccleſiam aut Clericum fatigare præſumit? 85.

Inquirendum de refugis & perfidis Laicis? 86.

Percunctandum de confratriis & fraternitatum conſociaibus (*ſocietatibus*) quæ in parochia aguntur. 87.

An cantica turpia & riſum moventia aliquis circa eccleſiam cantare præſumat?

An aliquis eccleſiam intrans fabulis vacare conſuevit, & non diligenter auſcultat divinis eloquiis, & an antequam Miſſa finiatur, de Eccleſia exit? 88.

An oblationem, id eſt panem & vinum viri & fæminæ ad miſſas afferunt: & ſi non viri, conjuges pro illis offerant, pro ſeſuisque omnibus, ut in Canone continetur. 89.

Capitula hæc, quæ per ordinem annotavimus, canonicis oportet roborari Decretis.

Pœnitentia Homicidarum. Ex Cap. Triburienſi.

Penitentia ſuper homicidiis non diverſo more, ut prius, ſed in Epiſcopiis ſingulis uno more agatur, id eſt, ſi quis ſpontanea vo- Cap. VI.

 luntate

luntate. Diabolo ſuadente homicidium perpetraverit juxta canonum ſanctiones & judicium Epiſcoporum talem pœnitentiam debet accipere:

Inprimis licentiam non habeat eccleſiam intrandi, illos proximos XL dies nudis pedibus incedat & nullo vehiculo utatur, in laneis veſtibus ſit abſque femoralibus, arma non ferat, & nihil ſumat his XL diebus, niſi tantum panem & ſalem & puram bibat aquam & nullam communionem cum cæteris Chriſtianis neque cum alio pœnitente habeat in cibo & potu, antequam dies XL adimpleantur; & ex cibo, quem ſumit, nullus alius manducet, conſiderata verò perſonæ qualitate vel infirmitate de pomis vel oleribus ſeu leguminibus, prout viſum fuerit aliquid pro miſericordia indulgeatur; Maximè an quis coactus & non ſponte homicidium fecerit: & ei omnimodè ex canonica auctoritate interdicatur, ut in his diebus cum nulla fœmina miſceatur, nec ad propriam uxorem accedat, nec cum aliquo homine dormiat; juxta eccleſiam ſit, ante cujus januas peccata ſua defleat, diebus, & noctibus; & non de loco ad locum pergat, ſed in uno loco his XL diebus ſit. Et ſi forte habuerit inſidiatores vitæ ſuæ, differatur ei pœnitentia, donec ab Epiſcopo pax ei ab inimicis reddatur, & ſi infirmitate detentus fuerit, ita ut non poſſit dignè pœnitere, differatur pœnitentia, donec ſanitati reſtituatur. Si autem longa ægritudine detentus fuerit, ad ſententiam Epiſcopi pertinebit, quomodo reum & infirmum ſanare diſponat. Completis XL diebus aqua lotus veſtimenta, & calceamenta, quæ à ſe abjecerat, rurſus ſumat, & capillum incidat.

Cap. VII. Quid primo anno obſervare debeant.

In primo anno poſt XL dies totum illum annum à vino, Medone & mellita cereviſia, à carne & caſeo, & pinguibus piſcibus abſtineat, niſi feſtis diebus, qui in illo Epiſcopio à cuncto populo celebrantur, & niſi fortè in magno itinere, vel in hoſte, vel diu ad Dominicam curtem vel infirmitate detentus ſit. Tunc liceat uno denario, vel pretio unius denarij aut tres pauperes paſcendo tertiam feriam, V. & ſabbathum redimere, ita duntaxat, ut una re de tribus utatur. Poſtquam domum venerit, aut ſanitati fuerit reſtitutus, nullam licentiam habeat redimendi.

Quid

Digitized by Google

Quid aliis duobus annis debeant obſervare. Cap. VIII.

Completo anni circulo eccleſiam ingrediatur, & pacis oſculum concedatur. In ſecundo & tertio anno ſimiliter, niſi quod tertiam, quintam & ſabbathum poteſtatem habeat redimendi, ubicunque eſt; Cætera diligenter omnia obſervet, ut in primo anno.

Quid reliquis IV annis debeat obſervare. Cap. IX.

Quatuor anni deinde reſtant, per quos ſingulos jejunet tres Quadrageſimas; unam ante Paſcha cum cæteris Chriſtianis abſtinendo à vino, medone, cereviſia mellita, caſeo & à piſcibus pinguibus. Alteram ante nativitatem Sancti Iohannis; ſi aliquid remanet de XL diebus poſt Miſſam Sancti Iohannis impleat; Tertiam ante nativitatem Domini jejunet, ut ſupra dictum eſt; & in quatuor ſupra dictis annis tertia, V feria & ſabbato utatur, quicquid vult, & ſecunda & quarta feria omnibus modis obſervet, & nequaquā redimat. His expletis ſacram communionem accipiat.

Ex Concilio Ancyrano. Cap. X.

Qui voluntariè homicidium fecerint, pænitentiæ quidem jugiter ſe ſubmittant, perfectionem verò *(Vi Communionem periaticum)* circa vitæ exitum conſequantur.

Ex Concilio Pariſienſi. Cap. XI.

An quis homicidium ſpontè commiſerit, & non violente reſiſtens ſed vim faciens innocentem & ſimpliciter gradientem interfecerit, cum iſto penitus non communicandum, ſic tamen, ut ſi pænitentiam egerit, in exitu ei communionis viaticum non negetur.

De Homicidis. Ex Conc. Agathenſi.

Itaque cenſuimus homicidas & falſos teſtes à communione eccleſiaſtico ſubmovendos, niſi pænitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.

Ex Concilio Nannetenſi. Cap. XII.

Si quis voluntariè & per inſidias hominem interfecerit, jugi ſe pænitentiæ ſubmittat; & ſi hoc publicè actum conſtat, ſi laicus eſt, à communione orationum quinquennio removeatur;

poſt quinquennium tantùm in orationum communionem recipiatur, non autem ſimul offerat *nec* corpus Domini contingat, in quo perdurans XIV annis tunc ad plenam communionem cum oblationibus recipiatur.

Ca.XIII. De Homicidiis Ex Eodem.

Dominus dicit, ſi quis de induſtria & per inſidias hominem occiderit, ab altari meo evelles eum, ut moriatur?

Ca.XIV. Ex Concilio Ancyrano.

De Homicidiis non ſpontè commiſſis prior quidem definitio poſt ſeptennem pœnitentiam perfectionem conſequi præcepit, ſecunda verò quinquennij tempus explere.

Cap.XV. De Eadem re. Ex Epiſtola Rabani ad Heribaldum Epiſcopum.

Legimus de his qui hominem non ſpontè interfecerunt, Dominum per legislatorem urbes refugij deputaſſe, ad quas confugientes ſalvarentur ab ultore ſanguinis proximi ſui & non morerentur. Vnde in Deuteronomio ſcriptum eſt: Hæc erit lex Homicidæ, cujus vita ſervanda: Qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & heri & nudius tertius nullum eum odium habuiſſe comprobatur, ſed abiiſſe ſimpliciter cum eo in ſylvam ad ligna cædenda, & in ſuccisione lignorum ſecuris fugerit de manu aut ferrum delapſum de manubrio amicum ejus percuſſerit & occiderit, hic ad unam urbium ſupradictarum confugiat, & vivat.

Ca.XVI. De Eadem re. Ex Conc. VVormatienſi. Cap. V.

Sæpè contingit, ut quis dum operi neceſſario inſiſtens arborem incidiat, aliquis ſubtus ipſum veniens deprimatur & idcirco ſi voluntate vel negligentia incidentis arborem factum eſt, ut homicida, pœnitentiæ debet omnino ſubmitti. Quod ſi non voto, ſed incuriâ illius, non denique ſententia contigit, ſed dum ille operi neceſſario fortaſſis incumberet & iſte inſperatus occurrit ſub arbore, & ſub ipſa oppreſſus eſt, inciſor arboris non tenetur pro Homicida.

Ca.XVII De Eadem re. Ex Conc. Triburienſi.

Si duo fratres in ſylva arbores ſucciderint & appropinquante

quante caſu unius arboris frater fratri, cave dixerit, & ille fugiens in preſſuram arboris inciderit, & mortuus fuerit, vivens frater de ſanguine germani innocens dijudicetur.

Ex eodem. Ca.XIIX

Mater ſi juxta focum infantem poſuerit, & alius homo aquam in Caldarium miſerit, & ebullitâ aquâ infans ſuperfuſus mortuus fuerit, pro negligentia mater pæniteat, & ille homo ſecurus ſit.

Ex eodem. Cap. XX. Ca.XIX.

De homicidiis non ſponte commiſſis, quali pænitentiæ jugo ſubmittantur hi, qui fecerint ea, in Epiſcopi ſententia maneat.

Ex eodem. Ca. XX.

Si quis filium ſuum non ſponte occiderit, juxta homicidia non ſponte commiſſa pæniteat.

Ex Concilio Nannetenſi. Ca.XXI.

Si quis caſu, non volens, homicidium perpetraverit, XL diebus in pane & aqua pæniteat, quibus peractis biennio ab oratione fidelium ſegregetur, non communicet, nec offerat. Poſt biennium in communione orationis offerat, non tamen ad communionem recipiatur. Abſtinentia ciborum in arbitrio ſacerdotis maneat.

Qui per vindictam hominem occiderit. Ca.XXII.

Qui pro vindicta fratris aut aliorum parentum hominem occiderit, annum unum pæniteat, & ſequentibus duobus tres quadrageſimas obſervet, & legitimas ferias, id eſt, ſecundam, quartam & ſextam feriam.

Item. Ex eodem. C.XXIII.

Qui per iram & rixam & ebrietatem ſubitò hominem occiderit, quatuor annos pæniteat.

Item. Ex eodem. C.XXIV.

Si quis liber jubente Domino ſuo ſervum occiderit, quadraginta dies pæniteat. Et ſi quis liber jubente Domino ſuo hominem innocentem occiderit, annum unum pæniteat, & in duobus

Digitized by Google

bus aliis annis tres quadrageſimas & legitimas ferias obſervet.

C.XXVI Ex Concilio Agathenſi. Cap. XXXV.

De his, qui ſervos ſuos necant extra judicem: Si quis ſervum proprium extra conſcientiam judicis occiderit, excommunicatione biennij reatum ſanguinis emundabit.

XXVII. De Parricidis & fratricidis. Ex Concilio Moguntiacenſi.

Statuimus, ut Parricidæ & Fratricidæ per unius anni circulum ante fores Baſilicæ orantes Domini clementiam perſeverent; completo anni circulo introducantur in eccleſiam, tamen inter Audientes, uſque dum unius anni ſpacium finiatur, conſiſtant. His ita peractis ſi pænitentiæ fructus in eis conſpicitur, corporis & ſanguinis Domini participes fiant, ut non obdurentur deſperatione; carnem non manducent omnibus diebus vitæ eorum; jejunent autem uſque ad nonam diei horam quotidie, exceptis feſtis diebus atque Dominicis; abſtineant à vino, medone, atque mellita cereviſia tres dies per hebdomadam; arma portare, non audeant, niſi contra paganos, & ubicunque ire maluerint nullo vehiculo deducantur, ſed pedibus propriis pergant. Tempus autem hujus pænitentiæ in Epiſcoporum ponimus arbitrio, ut ſecundum converſationem illorum aut extendere vel minuere valeant; ab uxoribus, ſi habuerint, non ſeparentur; ſi autem non habuerint, & continere ſe non voluerint, legitimas accipiant in conjugio fæminas, ne in fornicationis voraginem incidere videantur. Si autem antequam duorum prædictorum annorum finiantur curricula, finis vitæ illorum pervenerit, viaticum illis non negetur.

XXIIX. Item, Ex Concilio Moguntiacenſi. Cap. XX.

Parricidium quam ſit deteſtabile crimen, judicio facto inter Cain & Abel fratrem ſuum Dominus oſtendit. Sed quia modernis temporibus parricidæ profugi diſcurrunt per diverſa loca, & variis vitiis & gulæ illecebris deſerviunt, melius nobis videtur, ut in uno loco manentes pænitentia diſtrictâ ſemetipſos caſtigent, ſi forte Domini bonitate indulgentiam facinoris ſui percipere mereantur.

Quod

Digitized by Google

Quod patricidis arma & conjugium interdicatur. XXIX.

Non enim eis licebit ultra militiæ cingulum ſumere, & conjugio copulari, quia ſacri Canones hoc eis non conſcedunt.

De Eo, qui hominem in eccleſia interfecerit. Ex Capitulari. XXX.

Qui hominem publicam pænitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat & VVeregeldum ejus proximis perſolvat. Si verò rixati foris fuerint & unus alterum in eccleſia fugerit, & ibi ſe defendendo eum interfecerit, & ſi hujus facti teſtes non habuerit, cum duodecim teſtibus juret legitimis, ſe defendendo eum interfeciſſe, & poſt hæc ſolidos ſexcentos ad pacem eccleſiæ, quam illo homicidio polluerat, & inſuper bannum noſtrum ſolvere cogatur. Is verò, qui interfectus eſt, abſque compoſitione jaceat, ac deinde interfector ſecundum judicium canonum congruam facinori, quod admiſit, pænitentiam accipiat. Si quis autem ex levi cauſa, aut ſine cauſa hominem in eccleſia interfecerit, de vita componat. Si proprius Servus hæc commiſerit judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc ſponte, an ſe defendendo fecerit: & ſi manus ei exuſta fuerit, interficiatur; ſi autem non fuerit, dominus ejus, juxta quod VVeregeldum illius eſt ad eccleſiam perſolvat, aut ſi voluerit, eum eidem eccleſiæ tradat. De eccleſiaſtico & fiſcalino & beneficiario volumus, ut pro una vice VVeregeldum pro eo componatur; altera vice ſervus ad ſupplicium tradatur, hæreditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos hæredes illius perveniat. Si in atrio eccleſiæ, cujus porta reliquiis ſanctorum conſecrata eſt, hujuſcemodi homicidium perpetratum fuerit, ſimiliter componatur & emendetur: ſi verò non eſt conſecrata, eodem modo componatur, ſicut componi debet, quod immunitate violatâ committitur.

De Injuriis Sacerdotum vel Clericorum. Ex Eodem. Cap. XIV. XXXI.

Sanguinis effuſio in eccleſia facta cum fuſte ſi Presbyter fuerit, triplo componatur, duæ partes eidem Presbtyero, tertia pro

fredo ad eccleſiam, & inſuper bannus noſter; ſimiliter de Diacono juxta compoſitionem ejus in triplo cum banno noſtro componatur. De Subdiacono, & de uniuscujusque ordinis Clerico ſecundum ſuam compoſitionem in triplo perſolvatur, & inſuper bannus noſter.

XXXII. De ictu.

Similiter & de ictu ſine ſanguinis effuſione de unius cujuſcunque ordinis Clerico in triplo componatur, inſuper & bannus noſter. Et qui non habet, unde ad eccleſiam perſolvat, tradat ſe in ſervitutem eidem eccleſiæ, uſque dum totum debitum perſolvat.

XXXIII. Ex Concilio Tribirienſi.

Si quæ in ipſos Clericos vel in eccleſias perpetrata fuerint, id eſt, ſi quis Clericum expoliaverit, aut vulneraverit vel aliquam injuriam fecerit, decimas eccleſiæ tulerit, vel retinuerit, ſi non prius per ſecularem potentiam dignè vindicatum fuerit, Epiſcopus ad ſuam Synodum illos malefactores vocet & digne emendet; ſi contempſerint venire, excommunicentur.

XXXIV. Ex eodem.

Si quis Clericum verberaverit, vel debilitaverit, aut in aliquo læſerit, pæniteat canonicè & ad legem emendet, juxta quod in Capitulari ſcriptum eſt.

XXXV. Ex Concilio Toletano.

Si quis de potentibus Clericum aut religioſum expoliaverit & Epiſcopus mandaverit eum ad ſe venire, ut audiatur, & contempſerit, in invicem mox ſcripta percurrant per omnes provinciæ Epiſcopos & quoſcunque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donec audiatur, & reddat aliena.

XXXVI. Ex Concilio Tribirienſi.

Si quis in atrio eccleſiæ pugnam committit aut homicidium facit, quicquid pro immunitate violata emendandum eſt, altario ſolvatur, cujuſcunque fuerit eccleſia illa.

XXXVII. Ex eodem.

Si quis in eccleſia clericum fuſte aut gladio percuſſerit, ut ſanguis exeat, vel de ictu ſine effuſione ſanguinis, juxta quod in

ea præ-

Digitized by Google

eo præſcriptum eſt, componatur, id eſt in triplo ſecundum ſuam compoſitionem.

Ex eodem. Cap. II. XXXIIX

Perlatum eſt quoque ad ſanctam Synodum, quod quidam Laici improbè agunt contra Presbyteros ſuos, ita ut de morientium Presbyterorum ſubſtantia partes ſibi vendicent, ſicuti de propriis ſervis. Interdicimus itaque, ne hoc ulterius fiat, ſed ſicuti liberi facti ſunt, ad ſuſcipiendum gradum & agendum divinum officium, ita ab eis nihil exigatur præter Dei officium. De peculiari verò ſacerdotum nihil ſibi uſurpent, ſed de duabus partibus faciant Presbyteri, quod eis viſum fuerit, tertiam ſecundum Canonum juſſa, quibus ſerviunt, relinquant eccleſiis.

Ex eodem. XXXIX.

Presbyter vulneratus aut cæſus, ſi mortem evaſerit, tota compoſitio cedat Presbytero; ſi verò mortuus fuerit, compoſitio in tres dividatur portiones, id eſt, altari, cui Presbyter deſerviebat, pars una; altera Epiſcopo, tertia parentibus Presbyteri ſolvatur.

De Eadem re. Ex Cap. Lib. II. Cap. XLIX. XL.

Presbyteri interfecti Epiſcopo, ad cujus Parochiam pertinent, ſolvantur ſecundum Capitulare Glorioſi Caroli Genitoris noſtri, ita videlicet, ut medietatem VVeregeldi ejus Epiſcopus utilitatibus eccleſiæ, cui præfuit, tribuat & alteram medietatem in eleemoſyna illius juſte diſpertiat, quia nullus nobis ejus hæres proximior videtur, qui ipſum Domino ſociavit.

De Eo, qui Sacerdotem occiderit. Ex Concilio VVormacienſi. XLI

Qui ſacerdotem voluntariè occiderit, carnem non comedat & vinum non bibat cunctis diebus vitæ ſuæ: jejunet uſque ad veſperam, exceptis diebus feſtis atque dominicis: arma non ſumat, equum non adſcendat, eccleſiam per quinquennium non ingrediatur, ſed ante fores eccleſiæ ſtet; poſt quinquennium eccleſiam ingrediatur, nondum verò communicet, ſed inter audientes ſtet vel ſedeat. Cum autem fuerit duodecimi anni curſus finitus communicandi ei licentia concedatur, & equitandi tribuatur remiſſio.

Digitized by Google

miſſo. Maneat autem in reliquis obſervationibus tres dies per hebdomada ut perfectius ſpurificari mereatur.

ca. XLII. De Eadem re. Ex Concilio Moguncіacenſi. Cap. XXIV.

Qui Presbyterum occiderit, XII annorum ei pænitentia ſecundum Canones imponatur: aut ſi negaverit, ſi liber eſt, cum XII juret; ſi autem ſervus, ſuper XII vomeres ferventes ſe purget, convictus noxæ uſque ad ultimum vitæ tempus militiæ cingulum deponat, & uxorem amittat.

XLIII. De Eo, qui presbyterum degradatum occiderit. Ex eod. Concilio.

Nunciatum eſt nobis, quod aliqui, qui olim dixerunt ſe fuiſſe ſacerdotes & poſtea degradati pro ſuis peccatis pænitentiam agendo ſuffragia ſanctorum, per diverſa loca tranſeuntes quæſiverunt, trucidati ſunt. Hujuſcemodi interfectoribus omnem eccleſiaſticam denegamus communionem, donec dignam pænitentiam pro reatu ſuo ſecundum judicium Epiſcoporum exſolvant.

XLIV. De Homicidiis clericorum. Ex Cap. Lib. II. Cap. XXV.

Qui ſubdiaconum occiderit, CCC ſolidos componet; qui Diaconum CCCC: qui Presbyterum DC: qui Monachum CCCC ſolidos componet.

XLV. Ex Pænitentiali.

Si quis Epiſcopus aut aliquis ordinatus homicidium fecerit, X annos pæniteat, tres ex his in pane & aqua.

XLVI. Ex eodem.

Si quis ad homicidium faciendum conſenſerit & conſilium dederit, & factum fuerit, VII annis pæniteat: Si verò non fuerit factum, III annis pæniteat.

XLVII. Ex eodem.

Si quis proximum & conſanguineum ſuum occiderit, X annis pæniteat, ſimiliter ſi quis ſeniorem & Dominum ſuum dolo trucidaverit.

De

Digitized by Google

XLIIX.

Periculoſè ſe decipiunt, qui exiſtimant eos tantùm homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt & non potius eos, per quorum conſilium & fraudem & exhortationem homines extinguuntur: Nam Iudæi Dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt, ſicut ſcriptum eſt: Nobis non licet interficere quenquam; ſed tamen Domini mors *iis* imputatur, quia ipſi eum lingua crucifixerunt, dicentes: Crucifige eum! Vnde unus Evangeliſta dicit: Dominum crucifixum hora tertia: alius, ſexta; quia Iudæi crucifixerunt eum hora tertia linguâ, milites horâ ſextâ manibus. Qui ergo hominem tradit, ille eum interficit, Domino dicente: Majus peccatum habet qui me tradidit tibi. Vnde Pſalmiſta: Filij hominum, dentes eorum arma & ſagitta, & lingua eorum gladius acutus. Subjiciant ergo ſe pænitentiæ, quorum conſilio ſanguis funditur, ſi veniam promereri volunt.

De His, qui pro nihilo ducunt homicidium in Bello perpetratum. Ex Epiſtola Rabani ad Heribaldum Epiſcopum Antiſiodorenſem de prælio ad Fontaniacum geſto.

XLIX.

Quod autem quidam homicidium, quod nuper in ſeditione & prælio Principum noſtrorum perpetratum eſt, excuſant, quaſi non neceſſarium ſit, pro hoc cuilibet agere pænitentiam, eò quod juſſu Principum peractum ſit, & Dei judicio ita finitum, (ſcimus enim quod Dei judicium ſemper juſtum eſt, & nullâ reprehenſione dignum) ſed tamen oportet eos conſiderare, qui hanc necem nefariam defendere cupiunt, utrum illos quaſi coram oculis Dei innoxios excuſare poſſint, qui propter avaritiam, quæ omnium malorum radix eſt, & idolorum ſervituti comparatur, atque propter favorem Dominorum ſuorum temporarium æternum Dominum contempſerunt, & mandata illius ſpernentes non caſu, ſed per induſtriam homicidium fecerunt. Vnde in Exodo ſcriptum eſt: Si quis de induſtria & per inſidias occiderit proximum, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. Et in Deuteronomio: Si quis odio habens proximum ſuum inſidiatus fuerit vitæ ejus, &

 ſurgens

ſurgens percuſſerit eum & mortuus fuerit, & fugerit ad unam de ſupradictis urbibus, mittent ſeniores civitatis illius, & rapient eum de loco refugij, & tradent eum in manus proximi ejus, cujus ſanguis effuſus eſt, & moriatur nec miſereberis ejus. Illum itaque quem Dominus dignum morte eſſe judicavit, quis dicat reum non eſſe? quomodo contrarius legi non exiſtat, qui hoc, quod Dominus præcepit, caſſum eſſe contendit? Sed inter hæc ſciendum eſt, quod magna diſtantia eſt inter legitimum Principem & ſeditioſum Tyrannum.

L. Ex Pænitentiali.

Si quis hominem in bello publico occiderit, XL dies pæniteat.

LI. Ex eodem.

Si Clericus homicidium fecerit & proximum ſuum occiderit, odij meditatione, VII annis pæniteat.

LII. De Parricidis. Ex Pænitentiali.

Si quis hoc crimen perpetraverit, quidam judicaverunt, ut VII annis vel XIV pænitentiam egiſſent, quidam uſque ad finem vitæ, ſicut Caïn, qui ſimilia perpetravit.

LIII. Ex eodem.

Qui hominem debilitaverit, & deformem fecerit, impenſas in Medicos tribuat & maculæ precium, & opus ejus, donec ſanetur, reſtituat & dimidium annum pæniteat; Si verò non habet, unde hoc reſtituat, annum unum pæniteat.

LIV. De Truncationibus membrorum. Ex Concilio Moguntiacenſi. Cap. V.

His, à quibus Domini ſacramenta tractantur, judicium ſanguinis agitare non licet, & ideò magnoperè talis exceſſus prohibendus eſt, ne indiſcretæ præſumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum eſt, ſententia propria judicare præſumant aut truncationes quibuslibet perſonis aut per ſe inferant aut inferenda præcipiant. Quod ſi quiſquam horum immemor præceptorum aut in eccleſiæ ſuæ familiis aut in quibuslibet perſonis tale aliquid fecerit, & conceſſi ordinis honore privetur & loco, ſub perpetuæ damnationis religatus *ſit* ergaſtulo, cui tamen com-

Digitized by Google

communio exeunti ex hac vita non neganda eſt propter Domini miſericordiam.

Diſcretio Rectorum eccleſiarum ne per inconditam diſciplinam ſubeant homicidij notam. LV.

Iuxta antiquæ inſtitutionis edictum plus erga corrigendos agere debet benevolentia, quàm ſeveritas, plus cohortatio, quàm commotio, plus charitas, quàm poteſtas adhiberi debet.

De Parricidio. Ex Lege Theodoſiana. LVI.

Cap. IX.

Si quis Patrem, Matrem, Fratrem, Sororem, Filiam, Filium vel alios propinquos occiderit, remoto aliorum genere tormentorum, facto de coriis ſacco, qui culeus nominatur, in quo cum miſſus fuerit, cum ipſo etiam ſerpentes claudantur, & ſi mare vicinum non fuerit, in quolibet gurgite projiciatur, tali pæna damnatus nullo unquam tempore obtineat ſepulturam.

De Domina, quæ ancillam occidit. Ex Concilio Elibertino. LVII.

Si qua Domina furore Zeli inflammata ancillam occiderit ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu emittat, eo quod incertum ſit, voluntariè an caſu occiderit; ſi voluntariè, poſt ſeptem annos: Si caſu, poſt quinq; annorum tempora acta legitimâ pænitentiâ ad communionem admitti placuit.

Ex Lege Theodoſiana. LIIX.

Si ſervus, dum culpam Dominus vindicat, mortuus fuerit, Dominus culpa homicidij non tenetur, quia tunc homicidij reus eſt, ſi occidere voluiſſe convincitur. Nam emendatio non vocatur ad crimen.

Ex Concilio Moguntiacenſi. LIX.

Si quis infantem ſuum incautè oppreſſerit, aut veſtimentorum pondere ſuffocaverit, & hoc poſt baptiſmum factum fuerit, XL dies pæniteat in pane & aqua, oleribus atque leguminibus, & à conjuge abſtineat; Poſtea tres annos pæniteat per legitimas

mas ferias & tres in anno quadrageſimas obſervet. Quod ſi ante baptiſmum infans oppreſſus fuerit, proximos XL dies, ut ſupra, pæniteat. Poſtea verò quinquennium expleat.

LX. ## Ex Epiſtola Rabani ad Regibaldum Epiſcopum.

De Infantibus autem, qui mortui inveniuntur cum Patre & matre, & non apparet, utrum à Patre aut Matre occiſus ſit ipſe infans vel ſuffocatus, an propriâ morte defunctus? non debent inde ſecuri eſſe nec ſine pænitentia ipſi Parentes, ſed tamen in iis conſideratio debet eſſe pietatis, ubi non voluntas, ſed eventus mortis cauſa fuit. Si autem eos non latet, ipſos ejus eſſe interfectores, ſcire debent graviter ſe deliquiſſe, quod in Ancyrano Concilio comprobatur. Quidam autem trium annorum pænitentiam hujuſmodi hominis judicant eſſe debere, quorum ex his unum exigat in pane & aqua, atque ſe ab omni luxuria tempore pænitentiæ ſuæ cuſtodiat.

LXI. ## Ex Pænitentiali. Cap. XVII.

Pariens fæmina, cujus filius per negligentiam non baptizatus obierit, annum unum pæniteat, & nunquam ſit ſine aliqua ſaltem pænitentia. Si autem per negligentiam ſacerdotis; require in priori libello.

LXII. ## Ex Concilio Ancyrano.

De mulieribus, quæ fornicantur, & partus ſuos necant, vel quæ agunt ſecum, ut utero conceptus excutiant, antiqua quidem definitio uſque ad exitum vitæ eas ab eccleſia removet: humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus ſecundum præfixos gradus pænitentia largiatur (*imponatur*)

LXIII. ## Ex Concilio Ilerdenſi.

Si qui verò conceptos ex adulterio vel editos necare ſtuduerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliſerint, utrique ſexui adulterorum, id eſt Patri vel matri poſt VII annorum curricula communio tribuatur, ita tamen, ut omni tempore vitæ ſuæ fletibus & humilitati inſiſtant.

LXIV. ## Ex Epiſtola Innocentij Papæ.

Sæpè accidit, ut quoties à populis vel turba peccatur, quia in omni-

Digitized by Google

in omnibus propter multitudinem non poteſt vindicari, inultum ſoleat tranſire; priora ergo dimittenda dico Dei judicio & de reliquo maxima ſolicitudine præcavendum.

Si qua mulier abſente marito per adulterium conceperit, idque poſt facinus occiderit, placuit vix in fine ei dandam communionem, eo quod geminaverit ſcelus. L X V.

Ex Pænitentiali. LXVI.

Si qua mulier partum ſuum ante XL dies in utero ſponte perdiderit, annum unum pæniteat: ſi verò poſt LX dies eum occiderit, tres annos pæniteat: Si verò poſtquam animatus fuerit, eum perdiderit, quaſi homicida pæniteat. Sed diſtat multum utrum paupercula pro difficultate nutriendi, aut fornicaria cauſa ſit, & pro ſui ſceleris celandi faciat cauſa?

Ex Eodem. LXVII.

Mulier ſi voluntariè occiderit filium ſuum aut filiam ſuam, pro Homicidio X annos pæniteat.

Ex Concilio Rhotomagenſi. LXIIX.

Sunt quædam mulieres (ut ad notitiam Sancti Concilij pervenit) quæ ex fornicatione concipientes, metuentes, ne ſcelus, quod occultè perpetrarunt, manifeſtè fieret, infantes, quos pepereruut, occiderunt, & terræ congerie cooperuerunt, aut in aquas projecerunt: quod quantum nefas ſit, Canones Ancyrani, Elibertani, atque Hilerdenſis Concilij teſtes ſunt. His itaque vix in fine dandam eſſe communionem decernunt: Sed humanius tractantes poſt decennem pænitentiam tales placuit ad communionem recipi.

Ex Eodem. LXIX.

Igitur quia Diabolo ſuadente & carnis fragilitate delectante & conſentiente multoties talia perpetrantur, ideo ex una mortifera potione aliam utcunque mederi cupientes, ne geminetur ſcelus, ſcilicet adulterij & homicidij, damus conſilium, ut unusquisque ſacerdos in ſua plebe publicè annunciet, ut ſi aliqua fæmina clanculùm corrupta conceperit, & pepererit, nequaquam Diabolo cohortante filium aut filiam ſuam interficiat, ſed quocunque prævalet ingenio, ante januas eccleſiæ partum deportari faciat, ibique projici; ut coram ſacerdote in craſtinum

S delatus

delatus ab aliquo fideli ſuſcipiatur, & nutriatur, & tali ex cauſa homicidij reatum, & quod majus eſt, parricidij evadat. Nam qui filium aut filiam interficit, parricidio omnimode tenetur.

LXX. De Expoſitis Infantibus. Ex Lege Theodoſiana Lib. V. C. VII.

Quicunque expoſitum recenti partu ſciente Patre vel matre vel Domino collegerit & ſuo labore educaverit, in illius, à quo collectus eſt, poteſtate conſiſtat, ſeu ingenuum ſeu ſervum, quem nutrivit, eſſe voluerit.

LXXI. Ex Eodem.

Qui expoſitum puerum vel puellam ſciente Domino vel patrono miſericordiæ cauſa collegerit, in ejus Dominio permanebit: ſi tamen conteſtationi de collectione ejus Epiſcopus vel Clerici ſubſcripſerunt, quem poſteà ſuum dicere quis non poterat, quem projeciſſe probatur ad mortem.

LXXII. Ex Eodem.

Si quis infantem à ſanguine nutrivit, habendi eum & poſſidendi habeat poteſtatem, ſane ſi nutritum Dominus vel Pater recipere voluerit, aut ejuſdem meriti mancipium nutritori donet, aut precium nutritor, quantum valuerit, qui nutritus eſt conſequatur.

LXXIII. Ex Concilio Turonenſi.

Homicidis penitus non communicandum, donec per Confeſſionem pænitentiæ ipſorum crimina diluantur.

LXXIV. De His, qui uxores occidunt. Ex Concilio Mobonc.

Si maritus uxorem aut uxor maritum interfecerit, æquum judicium ſit ſuper eos, dicente Domino: Non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Et poſt pauca; Ita, inquit, parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujusquam perſonam, quia Dei judicium eſt; ideò uterque eorum in hujuſcemodi criminis accuſatione, ſi negaverit, pari judicio examinetur.

Ex

Homicidia intra patriam, ſicut in lege Domini interdictum eſt, nec cauſſa ultionis, nec avaritiæ, nec latrocinandi fiant. Et ubicunque inventi fuerint, à judicibus noſtris ſecundum legem ex noſtro mandato vindicentur, & non occidatur homo, niſi lege jubente. LXXV.

Ex eodem. LXXVI.

Quicunque propria uxore derelictâ, vel abſque lege, ſine cauſa & certa probatione, interfectâ aliam duxerit uxorem, armis depoſitis publicam agat pænitentiam; & ſi contumax fuerit, comprehendatur à comite, & ferro vinciatur, & in cuſtodiam mittatur, donec res ad noſtram notitiam deducatur.

De Pugna duorum, quod Capitulum appellant, quod pro imputato adulterio ſolet exerceri. Ex Epiſtola Nicolai Papæ ad Carolum Regem. LXXVII

Monomachiam in lege non aſſumimus, quam præceptam fuiſſe non reperimus, quam licet iniiſſe quoſdam legerimus, ſicut ſanctum David & Goliath ſacra prodit Hiſtoria, nuſquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi Divina ſanxit authoritas, cum hoc & hujuſcemodi ſectantes, Deum ſolummodo tentare videantur.

Item. De eadem re. LXXIIX.

Multorum relatu didicimus, quod Lotharius Rex conventum celebrare diſponit, & Thietbirgam Reginam examini proprio & judicio ſubjicere meditatur, & ſi quidem eam præſtigiis falſitatis ſuæ potuerit exhibere, quaſi non fuerit legitima ſua uxor, vult eam, penitus à ſe ſequeſtrare. Sin autem, vult eam tanquam propriam uxorem admittere, ſed deinde, quaſi mæchata fuerit, inſimulare, atque pro hoc hominem ſuum & hominem Thietbirgæ ad Monomachiam impellere, & ſi homo ipſius Reginæ ceciderit, diſponit, hanc ſine dilatione perimere, quæ quantum ſint omni divinæ legi contraria, magnitudo prudentiæ veſtræ credimus jam advertit.

Digitized by Google

LXXIX. Ex Capitul. De Parricidis.

Quicunque propter cupiditatem rerum Patrem aut Matrem, fratrem aut ſororem vel Nepotem vel alium propinquum ſuum interfecerit, hæreditas interfecti ad legitimos hæredes perveniat. Interfectoris verò hæreditas in fiſcum redigatur: ipſe verò ordinante Epiſcopo publicæ pænitentiæ ſubdatur.

XXC. Ex eodem.

Mangones & cotiones, qui ſine omni Lege vagabundi vadunt per terram, non ſinantur vagari ad deceptiones hominum nec *ſint* ferro colligati atque conſtricti, qui dicunt, ſibi injunctum eſſe à ſacerdote, ut vagi & profugi per patriam ambulent. Melius nobis videtur, ut uno loco permaneant laborantes & ſervientes & patientiam habentes, ſecundum quod ipſis Canonicè impoſitum fuerit.

XXCI. De Faidis cohæredum.

Si quis aliqua neceſſitate cogente Homicidium commiſit, in cujus miniſterio res eſt perpetrata, & compoſitionem facere, & Faidam per ſacramentum pacificare faciat; quod ſi una pars ei ad hoc conſentire noluerit, id eſt aut ille, qui homicidium fecit, aut is qui compoſitionem ſuſcipere debet, faciat illum qui ei contradicit, ad præſentiam noſtram venire, ut eum ſecundum tempus, quod nobis placuerit, in exilium mittamus, donec ibi caſtigetur, ut comiti ſuo inobediens ulterius eſſe non audeat, & maius damnum non accreſcat.

XXCII. De Fœmina, quæ virum per maleficium interficit. Ex Pænitentiali Cap. XV.

Mulier, ſi aliquos interimit arte maleficâ id eſt per poculum, aut per aliquam artem, VII annis pæniteat; ſi paupercula fuerit, III annis pæniteat.

XXCIII. Ex Concilio Elibertino.

Si quis maleficio interficiat alterum, eo quod ſine idololatria perficere ſcelus non potuit, nec in fine percipiendam illi eſſe communionem *decernimus*.

XXCIV. Vnde ſupra.

Si quis maleficio ſuo aliquem perdiderit, VII annis pæniteat, & eleemoſynas multas faciat.

De

Digitized by Google

De Eadem re. XXCV.

Si mulier maritum ſuum cauſa fornicationis veneno interficit, aut quacunque arte perimere facit; quia Dominum & ſeniorem ſuum occidit, X annis pæniteat.

Ex Lege Romana Pauli ſententiarum lib. V. Cap. XXV. XXCVI.

Mandatores cædis, id eſt qui homines præcipiunt, vel ſuadent interficere, perinde ut homicidæ puniantur.

Ex eadem. XXCVII

Qui aliquem interficit hominem, aliquando abſolvitur: & qui non occidit, ut homicida tenetur ſeu damnatur. Conſilium enim uniuscujusque, non factum puniendum eſt, ideoque qui cum vellet occidere, id caſu aliquo perpetrare non potuit, ut Homicida punietur, & is qui caſu, v. g. jactu teli hominem imprudenter occidit, abſolvitur.

Qui hominem caſtraverit. Ex eadem. XXCIIX

Qui hominem libidinis aut negotiationis cauſa caſtraverit, caſtrandumque tradiderit, ſive ſervus ſive liber ſit, capite puniatur.

Vnde ſupra. XXCIX.

Si aliquis cauſa explendæ libidinis vel odij meditatione ut non ex eo ſoboles naſcatur, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poſſit generare aut concipere, ut homicida teneatur. Hoc totum cum lege Romana ſuper maxima parte concordat.

De Circumciſione. Ex eadem lege. Cap. XXIV. XC.

Cives Romani, qui ſe Iudaico ritu vel ſervos ſuos circumcidi patiuntur, bonis adeptis (*confiſcatis*) in inſulam deportentur, medici capite puniantur.

Ex eadem. XCI.

Iudæi ſi alienæ nationis comparatos ſervos circumciderint, aut exilio deportentur aut capite puniantur.

De His, qui ſe interficiunt. Ex Conc. Bracarenſi. XCII.

Placuit, ut hi, qui ſibi ipſis aut per ferrum, aut per venenum,

aut per præcipitium aut ſuſpendium vel quolibet modo inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim ſibi hoc per ignorantiam uſurparunt. Similiter & de his placuit fieri, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.

XCIII. De Suſpenſis. Ex Concilio Moguntiacenſi.

Quæſitum eſt à fratribus, de his, qui in patibulis ſuſpenduntur pro ſuis ſceleribus poſt confeſſionem Deo peractam: utrum cadavera illorum ad eccleſias deferenda ſint, & oblationes pro illis offerendæ, & Miſſæ celebrandæ, an non? quibus reſpondemus, ſi omnibus de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus & dignè pænitentibus communio in fine ſecundum canonum juſſum danda eſt, cur non eis, qui pro peccatis ſuis extremam pænam perſolvunt? Scriptum eſt enim: Non vindicat Dominus bis in idipſum.

XCIV. De Eadem re. Ex Concilio Triburienſi.

Fures & latrones ſi in furando & prædando occidantur, viſum eſt, pro eis non orandum: ſi comprehenſi aut vulnerati, Presbytero vel Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.

XCV. De Iudæis non occidendis. Ex Concilio Moguntiacenſi.

Qui odij meditatione vel propter cupiditatem Iudæum vel paganum occiderit, quia non leve vitium committit, ut homicidæ convenit, pænitere *debet* quandoquidem nec exteris gentibus, niſi oblatam pacem reſpuerint, bellum eſt populo antiquo *in V. T.* inferre præceptum.

XCVI. De Homicidis furioſis. Ex eodem.

Si quis inſaniens aliquem occiderit, ſi ad ſanam mentem pervenerit, levior ei pænitentia imponenda eſt, quam ei, qui ſanâ mente tale quid commiſerit. Cui quamvis pænitentia ſit imponenda, quia ipſa infirmitas cauſa peccati, licet fortaſſis occulta contigiſſe credatur, tanto tamen *ſit* levior, quam ei, qui ſanus aliquem occiderit, quantum inter ſanum & inſanum, irrationabile ac rationabile conſtat eſſe diſcriminis.

De

Digitized by Google

De occiſis in turba. Ex Concilio Moguntiacenſi. XCVIII.

Si quatuor aut quinque homines ſeu etiam plures contra unum hominem rixati fuerint, & ab his vulneratus mortuus fuerit, quicunque illorum plagam impoſuit ſecundum ſtatuta canonum, ut Homicida judicetur.

De Homicidiis occultis. Ex eodem. XCIIX.

Vbi manifeſtari poteſt quemlibet hominem perpetraſſe homicidium ſecundum Canonicam autoritatem condignum pænitentiæ judicium illi ingeratur: ſi autem manifeſtis indiciis non poteſt probari eum Homicidam eſſe, nec ipſe vult confiteri, omnipotentis Dei judicio, cui omnia occulta manifeſta ſunt, reſervetur, & tamen indicetur, quod communione eccleſiaſticâ indignus ſit, donec perpetratum crimen confiteatur, & per confeſſionem & pænitentiam condignam ab hoc crimine ſe abſolvere certet.

De Adulteriis & fornicationibus. Ex Concilio Ancyrano. XCIX.

Si cujus uxor adultera fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit, VII annorum pænitentia oportet eum perfectionem conſequi ſecundum priſtinos gradus.

Ex Concilio Toletano. C.

De eo, qui uxorem habet, ſi concubinam habuerit, non communicet: Cæterum is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur, tantùm ut unius mulieris aut uxoris aut concubinæ, ut ei placuerit, ſit conjunctione contentus. Aliâs verò vivens, abjiciatur donec deſinat, & ad pænitentiam revertatur.

Ex Epiſtola Innocentij Papæ. CI.

De his requiſivit dilectio tua, qui interveniente repudio aliis ſe matrimonio copulaverunt, quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui verò vel uxore vivente, quamvis diſſociatum videatur eſſe conjugium, ad aliam copulam feſtinarunt, non poſſunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hæ perſonæ, quibus tales conjuncti ſunt, ipſæ adulterium commiſiſſe videantur, ſecundum illud, quod legimus in Evangelio:

Qui

Qui dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit aliam, mæchatur, & ideò omnes à communione fidelium abſtinendos cenſemus.

CII. Ex Concilio Helibertino.

Fæminæ, quæ nullâ præcedente causâ reliquerunt viros ſuos, & alteri ſe copulaverunt, nec in fine accipiant communionem.

CIII. Vnde ſupra.

Item fæmina fidelis, quæ ob adulterium maritum reliquerit fidelem, & adulterum ducit, prohibeatur ne ducat: ſi autem duxerit, non prius accipiat communionem, quàm is, quem reliquerit, de ſeculo exierit, niſi fortè neceſſitas infirmitatis dare compulerit.

CIV. Ex Concilio Africano.

Placuit, ut ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam Diſciplinam neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa à marito alteri jungantur, ſed ita maneant, aut ſibi reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pænitentiam redigantur; in qua cauſa legem imperialem promulgari petendum eſt.

CV. Ex dictis Auguſtini, de Sermone Domini in monte.

Apoſtolus Paulus dicit: His, qui ſunt in conjugio, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere. Quod ſi diſceſſerit, manere innuptam aut viro ſuo reconciliari. Poteſt enim fieri, ut diſcedat ea cauſa, quà Dominus permiſit. At ſi fæminæ licet virum dimittere etiam præter cauſam fornicationis, quid reſpondebimus de hoc, quod dicit poſterius: & vir uxorem non dimittat? Quare enim addit, excepta causâ fornicationis quod Dominus permittat, niſi quia ſimilem formam vult intelligi, ut dimittat, quod cauſa fornicationis permittitur, maneat ſine uxore aut reconcilietur uxori. Et poſt pauca; Dominus autem permiſit causâ fornicationis uxorem dimitti, ſed quia permiſit, non juſſit.

CVI. Ex Capit. Lib. II. Cap. XLIII.

Nec uxor à viro dimiſſa alium accipiat virum vivente viro ſuo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore.

Ex

Digitized by Google

Ex dictis S. Hieronymi, De legitimis Conjugiis. CVII.

Tria legitima conjugia in ſcripturis leguntur: Primum legitimum conjugium eſt virgo caſta in virginitate viro dotata legitimè. Secundum virgo in captivitate deprehenſa à viro, & illi per vim copulata; ſi voluerit pater eius, dotabit eam ipſe vir, quantum judicaverit Pater, & dabit precium pudicitiæ ejus: ſi autem habuerit ſponſum, antequam deprehenſa fuerit, dabitur ei. Tertium: Filia prædicta deprehenſa, ſi non voluerit, voluntas Patris trahet eam à prædicto viro, & tradet eam alij, & dotabit eam, & legitima erit ei. Sed primum his duobus præfertur. Additur aliud Quartum legitimum conjugium: Dum mortua fuerit uxor, licet Viro accipere aliam, ſed non repudiatam, non deſponſatam viro: Similiter debet & mulier, quod Paulus manifeſtè docet: Mulier, inquit, quæ ſub viro eſt, ligata ſub lege viri eſt, quamdiu vivit vir ejus; & reliqua. Additur Quintum: Quando ſive vir ſive mulier ex conſenſu religionem ceperit, licet alteri accipere novum conjugium, ſed puellam vel puerum. Hanc autoritatem ut credimus, ſecutum eſt concilium, quod congregatum fuerat apud Compendium, temporibus Pipini Regis, in quo decretum ita legimus capitulo XVI.

CIIX. Si quis vir dimiſerit uxorem ſuam & dederit ei licentiam pro religionis cauſa intrà Monaſterium Deo ſervire & velum ſuſcipere, ſicut diximus propter Dominum, vir illius, ſi vult accipiat legitimam mulierem: ſimiliter & mulier faciat. Hæc ſententia canonicis atque Apoſtolicis informatur documentis, ut ſupra monſtratum eſt, ſed & Nicolai Papæ decretis informatur, qui ad Lotharium Regem ita ſcribit;

Ex Epiſtola Nicolai. CIX.

Summo ſtudio, Thietbirgam conjugem tuam tanquam propriam carnem fovere ac diligere procura, & ne illam à te ſeparare ullo pacto conſentias, vigilanter attende. Vnde ſi vult à te diſcedere, corripe, imò corrige eam, & à tali intentione per omnia revocare ſatage. Iam verò ſi amore pudicitiæ ſeparationem quærit, & conjugalis connubij ſolutionem efflagitat, certum eſt Apoſtolo dicente, quia mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: verùm ſi & ipſe pudicitiam ſectatus, religionis obtentu copulam diſſolvere vis, tantùm ne ſimulatè fiat, con-

cedimus. Nam licet ſit ſcriptum: Quod Deus conjunxit, homo ne ſeparet, Deus tamen, & non homo ſeparat, quando Divini amoris intuitu ex conſenſu utriusque conjugis matrimonia diſſolvuntur. Si ergò hoc modo vis, gratuito permittimus animo, celeremque præbemus aſſenſum: aliter autem fieri mutuam ſeparationem veſtram prohibemus.

CIX. Ex dictis Baſilij Epiſcopi de eadem re.

Si quis vult conjugatus converti ad monaſterium, non eſt recipiendus, niſi priùs à conjuge caſtimoniam profitente fuerit abſolutus. Nam ſi illa vivente illo per incontinentiam alteri nupſerit, procul dubio adultera erit, nec recipitur apud Deum ejuſmodi viri converſio, quam ſequitur conjugalis fœderis proſtitutio. Tales igitur tunc ſine culpa ſequuntur Chriſtum relicto ſeculo, ſi habeant ex pari voluntate caſtitatis conſenſum.

CX. Conjuges ſine judicio eccleſiaſtico non dimittendi. Ex Concilio Agathenſi.

Hi verò ſeculares, qui conjugale conſortium nullâ culpâ graviori dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſcidij probabiliter proponentes propterea ſua matrimonia dimittunt, ut aut aliena, aut illicita præſumant, ſi ante quam Epiſcopo comprovinciali diſſidij cauſam dixerint, & prius uxores quàm judicio damnentur, abjecerint, à communione eccleſiæ & Sancti populi cætu pro eo quod fidem conjugij maculant, excluduntur.

CXI. Ex Capit.

Statutum eſt, ut quæcunq; controverſiæ judicio & auctoritate eccleſiaſtica cæperint agitari, nequaquam ad ſeculare judicium tranſeant, ut ibi iterato provocent, ſed eccleſiaſticis ſanctionibus terminentur. Nam à judicibus, quos communis conſenſus elegerit, ad alios judices non licet provocare, niſi major auctoritas ſit ſecundum canonicam normam. Si autem in ſeculari judicio, id eſt, in comitis placito cauſa prius fuerit ventilata, ſecundum legem mundanam finiatur, ſalvo eccleſiaſticæ legis privilegio.

CXII. De Eadem re. Ex Epiſtola Nicolai Papæ ad Carolum Regem.

Scripſit nobis Thietbirga Regina regiâ ſe velle dignitate ſeu copulæ

copulâ exui, & ſolâ privatâ vitâ eſſe contentam deſiderare: cui nos reſcripſimus, hoc aliter fieri non poſſe, niſi eandem vitam conjux ejus Lotharius elegerit. Et poſt pauca: De retroacta controverſia Thietbirga non debet ulterius ad iteratam reſponſionem provocare: quia quod ſemel bene definitum eſt, & interpoſitis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione, niſi fortaſſis, ubi major fuerit auctoritas, retractari.

De Eccleſiaſtico judicio in cauſa Matrim. CXIII.

Quia eccleſiæ refugium quærens *(Regina)* eccleſiaſticum judicium ſemper expetiit, ſeculari non debet judicio ſubmitti. Poſt hæc verò, cùm nos ex utraq; parte, id eſt, tàm à Rege, quàm à Regina fuerimus provocati judices, noſque amborum controverſiam executi ſimus, ad nullos alios convenit judices ſuper hoc negotio convolare; cùm ſecundum ſacros canones à judicibus, quos communis conſenſus elegerit, non liceat provocare. Itaque cum non ſit Apoſtolicæ ſedis auctoritate, quæ amborum negotium executa eſt, uſquam major auctoritas, neſcimus, an alicubi liceat de ejus judicare judicio, vel ejus retractare ſententiam.

Ex Capitul. Lib. III. Cap. XX. CXIV.

Si quis cauſam judicatam repetere præſumpſerit in mallo, ibique teſtibus convictus fuerit, aut XV ſolidos componat, aut XV ictus à Scabinis, qui cauſam priùs judicaverunt, accipiat.

Fæmina de adulterio inculpata, ſi cum marito debet inire certamen legale, ſui poteſtati debet ad tempus reſtitui. Ex Epiſtola Nicolai. CXV.

Præterea ſive de conjugij fœdere, ſive de adulterij crimine judicium ſit agitandum, nullâ ratione patet Thietbirgam cum Lothario poſſe inire conflictum, vel legitimum controverſiæ certamen, niſi priùs ad tempus fuerit ſuæ poteſtati, & conſanguineis propriis liberè ſociata; inter quos etiam locus providendus eſt, in quo nulla ſit vis multitudinis formidanda, & non difficilè ſit teſtes producere, vel cæteras perſonas, quæ tàm à ſanctis Canonibus quàm à venerandis Romanis legibus in hujuſmodi controverſiis requiruntur. Hæc idcirco diximus, ut

Digitized by Google

oſtendamus, quem legum conflictum Lotharius congredi poſſe autumat cum perſona, quam in ſuis penetralibus quotidiè fatigat & conterit, quando vult, ad judicium educit, quando vult, ad caſtra reducit; & quando educta fuerit, niſi ea profiteatur quæ ipſe præceperit etc. Propriæ igitur libertati committi, & ab omni oppreſſione ac poteſtate illius, cum quo initur, conflictus, oportet liberari atque ſuis licentiis uti, & ſuſpectas perſonas convenit declinare, qui ſe ab objectis oſtendere cupit immunem.

CXVI. Ex Lege Romana: Conſtantinus Imperator dicit:

Pro ſanctis ac Venerabilibus habeatur, quicquid Epiſcoporum fuerit ſententia terminatum, nec liceat ulterius retractare negotium, quod Epiſcoporum ſententia deciderit.

CXVII. De Inſidiis Conjugum. Ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pipini Regis C. VI.

Si qua mulier mortem viri ſui cum aliis conſiliata eſt, & ipſe vir ipſius hominem ſe defendendo occiderit, & haud probare poteſt ille vir, poteſt, ut nobis videtur, ipſam uxorem dimittere, & ſi voluerit aliam accipere: ipſa autem inſidiatrix pænitentiæ ſubacta abſque ſpe conjugii maneat.

CXIIX. De Conjugiis Servorum. Ex eodem. Cap. VII.

Si quis ingenuus homo ancillam alterius uxorem acceperit, & exiſtimat, quod ingenua ſit, ſi ipſa fœmina poſtea fuerit in ſervitute, ſi eam à ſervitute redimere poteſt, faciat: ſi non poteſt, ſi voluerit, aliam accipiat. Similiter & mulier ingenua de ſervo alterius facere poteſt.

CXIX. Ex eodem Capite IIX.

Si ſervus ſuam ancillam concubinam habuerit, ſi ita placet, poteſt illa dimiſſa parem ſuam ancillam Domini ſui accipere.

CXX. Ex eodem.

Si ſervus libertate à Domino ſuo accepta, poſteà cum ancilla ejus adulterium perpetraverit, ſi Dominus ejus vult, velit nolit, ipſam uxorem habebit.

Ex

Ex eodem. CXXI.

Si ſervus & ancilla venditionis cauſa ſeparati fuerint, prædicandi ſunt, ut ſic maneant, ſi eos conjungere non poſſumus; ſed Lex Romana longe melius de hac cauſa præcipere videtur:

In Lege Romana. Cap. XXV. CXXII.

In Diviſione patrimoniorum ſeu fiſcalium Dominorum ſeu privatorum obſervari ſpecialiter debet, ut quia injuſtum eſt filios à parentibus, uxores à maritis, ad quemcunque poſſeſſio pervenerit ſequeſtrari, ut mancipia, quæ permixta fuerint, id eſt, uxor cum filiis & marito ſuo datis vicariis ad unum debeant pertinere, cui neceſſe fuerit commutare, quod ſollicitudo ordinantium debet ſpecialiter cuſtodire, ut ſeparatio fieri omnino non poſſit. Id etiam in venditione vel emptione videtur obſervari debere, ut quando quis maritum emerit, emat pariter & conjugem, niſi forte alterius ancilla fuerit. Hac de re lex jubet, atque interdicit, ut nullus ſervus neque proprius neque eccleſiaſticus neque de fiſco ancillam alienam in conjugium ducat, ſimiliter ancilla alterius ſervum nequaquam accipiat, quod ſi fecerit, irritum habeatur hujuſcemodi conjugium & pro adulterio deputetur.

Ex Concilio. Vnde ſupra. CXXIII.

Si quis neceſſitate inevitabili cogente in alium ducatum vel provinciam fugerit, aut ſeniorem ſuum, cui fidem & fidelitatem promiſſam mentiri non poteſt, ſecutus fuerit, & uxor ejus cum valet & poteſt, amore Parentum aut rerum ſuarum eum ſequi noluerit, ipſa omni tempore, quando vir ejus quem ſecuta non fuit, vivit. ſemper innupta permaneat; ille verò, qui neceſſitate cogente in alia patria manet, ſi nunquam in ſuam patriam ſe reverſurum ſperat, ſi ſe continere non poteſt, aliam uxorem accipiat, tamen cum pœnitentia.

Ex eodem. Cap. XXII. CXXIV.

Qui uxorem ſuam permiſerit velare, aliam non accipiat.

De Creato apud Compendium. CXXV.

Mulier ſi ſine licentia mariti ſui velum in caput miſerit, ſi viro placuerit, recipiat eam iterum ad conjugium.

CXXVI. Ex eodem. Cap. IIX.

Homo Francus accepit beneficium à ſeniore ſuo in alia Provincia, & duxit ſecum ſuum vaſallum & poſt hæc fuit ibi mortuus ipſe Senior, & remanſit ibi prædictus vaſallus; accepit autem homo alius ipſum beneficium, & ut ſecurus poſſet habere ipſum vaſallum, dedit illi mulierem de ipſo beneficio, & habuit eam aliquo tempore. Et cum *apud* eum durè ageret, & contra eum dimiſſa conjuge reverſus eſt ad Parentes Senioris ſui mortui, & accepit ibi uxorem; definitum eſt, ut illam, quam poſteà accepit, habeat.

CXXVII De Virgine violata in uxorem ducta. Cap. X.

Si quis uxorem accepit, & eam contaminatam inveniens dereliquit, & aliam accepit, ſtatutum eſt, ut omnimodè ad priorem revertatur, quia & ipſe, quando illam accepit, poteſt fieri, ut virgo non eſſet, nec mulier lege viri tenetur, quouſquam marito conjungatur: illa quam poſtea accepit, nubat cui vult.

CXXIIX De Conjugio furioſi. Ex Lege Romana.

Neque furioſus neque furioſæ matrimonium contrahere poſſunt, ſed ſi contractum fuerit, non ſeparatur.

CXXIX. Ex eodem.

Si qui matrimonium ſani contraxerunt, & uni ex duobus amentia aut furor aut aliqua infirmitas acceperit, ob hanc infirmitatem conjugia talium ſolvi non poſſunt. Similiter ſentiendum de his, qui ab adverſariis cæcantur, aut membris detruncantur.

CXXX. De Adulteris. Ex Concilio Nannetenſi. Cap. XXI.

Si cujus uxor adulterium perpetraverit, & hoc à viro deprehenſum fuerit, & publicatum, dimittat uxorem, ſi voluerit, propter fornicationem, illa verò VII annis publicè pæniteat, ſed vir ejus illa vivente nullatenus aliam accipiat. Quod ſi voluerit adulteram ſibi reconciliari, licentiam habeat, ita tamen, ut pariter cum illa pænitentiam agat, & exactâ pænitentia poſt VII annos ad communionem uterque accedat. Similis forma & in muliere ſervabitur, ſi eam vir ejus adulteravit.

De

Digitized by Google

De Fornicatione & ſtupro. Ex eodem. Cap. XXII. CXXXI

Siqua mulier non habens virum aut vir non habens uxorem fuerint fornicati, tribus annis pæniteant.

Ex eodem. CXXXII

Quod ſi vir non habens uxorem cum alterius uxore adulteraverit, aut ſi qua mulier non habens virum cum alterius viro, ille qui fædus violavit conjugij, VII annis ut ſupra dictum eſt, pæniteat: Ille, qui legem conjugij non tenet, V annis pæniteat. Neque enim æqualis pænitentia danda eſt his, quibus ſufficere poterat ad explendam libidinem ſuam conjugum amplexus & illis, qui conjuge carentes ardore libidinis impellente in fornicationem ceciderunt.

Ex Pænitentiali. CXXXIII.

Si quis vacans uxore, polluit ſe cum alterius uxore annis II pæniteat: Similiter de fœminis obſervandum.

Si uxoratus ancillam propriam violaverit, annum unum pæniteat, & in alio anno tres quadrageſimas & legitimas ferias, & tribus menſibus, prius ſe à ſua contineat conjuge. Ancilla verò ſi vim paſſa eſt, XL dies; ſi conſentiens fuit, tres in anno quadrageſimas & legitimas ferias pæniteat.

Ex eodem. CXXXIV.

Si Laicus cum Laica fœmina id eſt uterque abſolutus à Lege conjugij, tribus annis pæniteat: & quando ſæpiùs & negligentius ea peccata commiſerunt, tanto magis & tempus addatur, & modus pænitentiæ.

De Iterata fornicatione. Ex Concilio Helibertano. CXXXV.

Si quis fidelis habens uxorem, non ſemel, ſed ſæpiùs fuerit mæchatus, in fine mortis eſt conveniendus. Quod ſi ſe promiſerit ceſſaturum, detur ei communio, ſi reſuſcitatus rurſus fuerit mæchatus, placuit ulterius non illudere alios de communione pacis.

Ex eodem Concilio. CXXXVI.

Si quis forte habens uxorem ſemel fuerit lapſus; placuit per quinquennium agere de ea re pænitentiam, & ſic reconciliari, niſi neceſſi-

neceſſitas infirmitatis coegerit ante tempus dare communionem. Hoc & circa fæminas obſervandum.

CXXXIX. De Occultis adulteriis. Ex Epiſtola Innocentij Papæ.

Et illud deſideratum eſt ſcire, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum ècontra uxores in conſortium adulterorum virorum manere videantur? Super hoc Chriſtiana Religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & *ſic* non habent latentia peccata vindictam. Viri autem uxores adulteras liberius apud ſacerdotes deferre conſueverunt & ideò mulieribus prodito earum crimine communio denegatur. Virorum autem latente commiſſo non facile quiſpiam ex ſuſpicionibus abſtinetur; qui utique ſubmovebitur, ſi ejus flagitium detegatur. Cùm ergò cauſa par ſit, interdum probatione ceſſante vindictæ ratio conquieſcit.

CXXXIX. De Adultera, conſcio marito. Ex Concilio Helibertano.

Si conſcio marito uxor fuerit mæchata, placuit nec in fine dandam ei communionem, ſi verò eam reliquerit, poſt X annos accipiat communionem.

CXL. Si quis fidelis habens uxorem, cum Iudæa vel gentili fuerit mæchatus, à communione arceatur. Quod ſi alius eam duxerit, poſt quinquennium acta legitimâ pænitentiâ poterit Dominicæ ſociari communioni.

CXLI. De Lenociniis. Ex eodem.

Mulier vel parens, vel quælibet fidelis, ſi lenocinium exercuerit, eò quod alienum vendiderit corpus vel potius ſuum, placuit eam nec in fine accipere communionem.

CXLII. De Conjugio cum Infidelibus. Ex Lege Theodoſiana Lib. IX.

Nec Iudæus Chriſtianam, ne Chriſtianus Iudæam ducat uxorem; Quod ſi fecerit, cujuslibet accuſatione velut in adulteris vindicetur.

De

Digitized by Google

De Adulteriis Extranearum. Ex eodem Lib. Cap. IV. CXLIII

De adulterio Extraneam mulierem nemo accuſet, ſed propinqui, ad quorum notitiam pertinent, id eſt frater germanus, Patruelis, Patruus, & Conſobrinus. De reliquo ante inſcriptionem ſi accuſata adquieverit, poteſt per ſatisfactionem veniam promereri.

De Maritis accuſantibus. Ex eodem. CXLIV.

Maritis ſanè etiam ex ſuſpicione accuſare permiſſum eſt.

Ex eodem. CXLV.

De adulterio uxorum maritis per tòrmenta familiæ utriuſque, id eſt ſuæ & uxoris quærere permittitur: Si tamen illo tempore, quo admiſſum dicitur, hæc ipſa mancipia præſentia, aut in eadem domo fuiſſe probantur, ſimiliter & ſi mortem ſibi ab uxore adultera maritus paratam fuiſſe conqueritur, ſimiliter etiam familiæ utriuſque pæna quærenda eſt, ſi maritus mortem uxori qualibet ratione paraverit.

Ex eodem. Cap. VI. CXLVI.

Si qua ingenua mulier ſervo proprio ſe occultè miſcuerit, capitaliter puniatur: Servus etiam, qui in adulterio Dominæ convictus fuerit, ignibus exuratur. Servis etiam hoc crimine accuſare licet, & ſi probaverint, libertatem conſequantur, & ſi non; puniantur. Hæreditas mulieris vel filiis, ſi ſunt ex maritis ſuſcepti, vel propinquis ex lege venientibus tribuatur.

Pauli ſententiarum Libro II. Cap. XXVII. CXLVII

Inventam in adulterio uxorem ita demum maritus occidere poteſt, ſi adulterium domi comprehendat.

Ex eodem. CXLIIX.

Eum, qui in adulterio deprehenſam uxorem non ſtatim dimiſerit, reum lenocinij poſtulare placuit.

Vnde ſupra. CXLIX.

In cauſa adulterij, ſi manifeſtum fuerit, dilatio poſtulata impertiri non poteſt.

Digitized by Google

CL. De Concubitu ante copulam Ex Concilio Helibertano.

Virgines, quæ virginitatem ſuam non cuſtodierint, ſi eoſdem, qui eas violaverint, maritos acceperint, eò quod ſolas nuptias violaverint, poſt pænitentiam unius anni reconcilientur.

CLI. Si alios cognoverint viros, eò quod mæchatæ ſunt, quinquennio pæniteant, & ſic ad communionem accedant.

Dilatio Sponſaliorum Ex eodem.

Si qui parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennij tempore abſtineant. Si tamen idem ſponſus vel ſponſa in gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes.

CLII.

De Copula Sacerd. Ex Concilio Carthaginenſi.

Sponſus & ſponſa cùm benedicendi ſunt à ſacerdote, à parentibus ſuis vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.

CLIII.

De Deſponſatis. Ex Epiſtolâ Siricij.

De conjugali autem violatione requiſiſti; An deſponſatam alij puellam alter in matrimonium poſſit accipere, hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturæ ſacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegij inſtar eſt, ſi illa transgreſſione violetur.

CLIV.

Ex Concilio Ancyrano.

Deſponſatas puellas & poſt ab aliis raptas placuit erui, & eis reddi, quibus ante erant deſponſatæ, etiamſi eis à raptoribus vis illata conſtiterit.

CLV.

De Raptoribus. Ex Capitulari Lib. I. Cap. XXIX.

Proinde placuit atque ſtatutum eſt à ſacro conventu, ut raptor publicâ pænitentia multetur: Raptæ verò, ſi ſponſus recipere noluerit, & ipſa eidem criminis conſentiens non fuit, licentia nubendi alij non negetur. Quod ſi & ipſa conſenſit, ſimili ſententiæ ſubjacebit. Quod ſi & ipſi poſt hæc ſe conjungere præſumpſerint, utrique anathematizentur.

CLVI.

Ex Concilio Meldenſi. Cap. LXIX.

De his, qui ſponſas alienas rapiunt, antiqua & Synodalis ſententia

Digitized by Google

tentia obſervetur, quod etſi forte in eccleſia eventus talis reperiri dignoſcatur, ut pro ſalutis & religionis competentia humanius quiddam debeat tractari, Pontifices canonica, ut eiſdem verbis utamur, docet auctoritas, quia prior definitio durius; poſterior autem quiddam tractavit humanius, nullo modo ad maximam indulgentiam deſcendamus. Alterius ſponſæ acceptor ſine publica (*ne*) tranſeat pænitentia, & ſponſo legaliter mulctam componat: quod ſi obedire renuerit, ſine ulla refragatione anathematizetur. Fautores verò illius juxta modum culpæ capituli decreto pæniteant: Si verò quod non optamus de gradu eccleſiaſtico *aliquis* talibus nuptiis ſe conſenſorem vel interventorem manifeſtè prodiderit, à gradu proprio repellatur, & ſi veriſimilibus exinde ſuſpicionibus fuerit propulſatus, canonicè ſe purget.

De Raptu. Ex Capitulari Lib. I. C. XCIIX. CLVII.

De puellis raptis nec dum deſponſatis in Chalcedonenſi Concilio ſcriptum eſt: eos qui rapiunt puellas ſub nomine ſimul habitandi cooperantes & conſentientes raptoribus, decrevit Sancta Synodus, ſi quidem Clerici ſunt, decidant à gradu proprio. Si verò Laici, anathematizentur. Quibus verbis datur intelligi, qualiter hujus mali auctores damnandi ſunt, quando participes & conſentientes tanto anathemate feriuntur, & juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas ſibi jure vindicare nullatenus poſſunt.

Ex Concilio Meldenſi. CLIIX.

Raptores virginum vel viduarum, qui etiam poſteà voluntate Parentum etc. require retrò in primo libello de ordinatione Clericorum.

Ex eodem. Cap. LXV. CLIX.

Si autem qui necdum eas quas rapuerunt, cum voluntate parentum præfato deſponſionis vel dotalitii nomine *in* conjugium ſumptas habent, quando in omnium aures hæc fuerit conſtitutio promulgata, ab earum conjunctione ſeparentur, & publicæ pænitentiæ ſubigantur, raptæ autem parentibus legaliter reſtituantur. Poſt actam verò pænitentiam, ſi ætas & incontinentia exegerit, legitimo & utriſque partibus placito conjugio ſocientur: nam in his non regulam conſtituimus, ſed ut verbis Magni

Digitized by Google

Leonis utamur, quid ſit tolerabilius æſtimamus. Quod ſi unus ex conjugatis obierit, is qui publicam pænitentiam egerit, & ſuperſtes extiterit, iterare conjugium non præſumat, niſi fortè Epiſcopus præviderit aliquam concedere indulgentiam, ut graviorem poſſit amovere offenſam.

CLX. Ex eodem. Cap. LXVI.

Qui verò deinceps rapere virgines præſumpſerit vel viduas ſecundum ſynodalem Beati Gregorij Definitionem ipſi & complices eorum anathematizentur, & raptores ſine ſpe conjugij perpetuò maneant.

CLXI. Ex Epiſtola Symmachi Papæ.

Raptores viduarum vel virginum ob immanitatem tanti facinoris deteſtamur, illos vehementius proſequendo, qui ſacras virgines vel volentes vel invitas matrimonio ſuo ſociare tentaverint; Quos pro tam nefandiſſimi criminis atrocitate à communione ſuſpendi præcipimus.

CLXII. Ex eodem.

Qui ſanctimoniales, virgines vel viduas rapiunt & progreſſu etiam criminis in conjugium ſumunt, publicæ pænitentiæ tradantur & ad habitum religionis redire cogantur. Vterque autem ſine ulla ſpe uxoriæ copulationis perenniter maneant. Si verò, quod abſit, conjugia iterare præſumpſerint, acriori ſubdantur vindictæ & amplius propellantur. Quod ſi fortè obedire monitis ſalutaribus noluerint, anathematizentur.

CLXIII. De Monachis non continentibus Ex Epiſt. Siricij

Impudicas deteſtabileſque perſonas, Monachorum ſcilicet atque Monacharum, quæ abjecto propoſito ſanctitatis illicita ac ſacrilega contagione ſe miſcuerunt, à Monaſteriorum cætu eccleſiarumque conventibus eliminandas eſſe mandamus, quatenus retruſæ in ſuis ergaſtulis tantum facinus continuâ lamentatione deflentes purificatorio poſſint pænitudinis igne decoquere, ut eis vel ad mortem ſaltem ſolius miſericordiæ intuitu per communionis gratiam poſſit ſubveniri.

CLXIV. Ex Epiſtola Gregorij papæ.

Pervenit ad nos, quod quidam vir nequiſſimus diabolico inſtinctu

Digitized by Google

ſtinctu de monaſterio ſuaſerit exire quandam Deo ſacratam atque à quodam viro, unde exierat, ſit revocata rurſusque eam vir ille nequiſſimus iniquâ ſuaſione de Monaſterio ejiciens apud ſe nunc uſque retineat. Volumus autem, ut Epiſcopatus tui auctoritate in Monaſterium revocetur ac retrudatur.

De Virginibus ſacratis ſi mœchatæ fuerint. CLXV.

Ex Epiſtola Gelaſii.

Virginibus ſacratis ſe quoſdam ſociare cognovimus & poſt dicatum propoſitum inceſta fædera ſacrilegiaque miſcere. Quos protinus æquum eſt à ſacra communione detrudi, & niſi per publicam privatamque pænitentiam, non recipi. Viaticum verò de ſeculo exeuntibus, ſi tamen pænituerint, non negari.

Ex Concilio Rhotomagenſi. CLXVI.

Epiſcopus Monaſterium Monachorum & ſanctimonialium frequenter introeat, & cum gravibus & religioſis perſonis in eorum vel earum conventu reſidens, eorum vitam & converſationem diligenter diſcutiat & ſi quid reprehenſibile invenerit, corrigere ſatagat; ſanctimonialium etiam pudicitiam ſubtiliter inveſtiget, & ſi aliquam invenerit, quæ neglecto propoſito caſtitatis clerico aut Laico impudenter miſcetur, acriter verberibus coërceatur, & in privata cuſtodia retrudatur, ubi quod malè commiſit, dignè pæniteat. Interdicat etiam ex auctoritate ſanctorum Canonum, ut nullus Laicus aut Clericus in earum clauſtris & ſecretis habitationibus acceſſum habeat, neque Presbyteri, niſi tantum ad Miſſam. Expletâ Miſsâ ad cellulas ſuas redeant. Omnibus præterea publicè & privatim denunciet, quantum piaculum ſit, qui ſponſam alterius violat, quantò magis reus Majeſtatis efficitur, qui ſponſam omnipotentis Dei corrumpit.

Ex Concilio Moguncia cenſi Cap. XVI. CLXVII.

Abbatiſſa nequaquam de monaſterio egrediatur niſi per licentiam Epiſcopi ſui, niſi fortè regali juſſione cogatur. Et ſi quando foras pergit, de ſanctimonialibus, quas ſecum ducit, curam maximam habeat, ut nulla eis detur occaſio peccandi.

Monialium Studia. Ex eodem. CLXIIX.

Sanctimoniales in Monaſterio conſtitutæ habeant ſtudium

in legendo & in cantando, & horas canonicas ſimul ſolenniter celebrent, & omnes, exceptis quas infirmitas tenet in dormitorio dormiant, & in omnibus diebus ad Capitulum & collationes veniant, & regulam à ſanctis Patribus illis conſtitutam diligenter obſervent.

CLXIX. Ex Concilio Hiſpalenſi.

Hæc circa omnes cautela ſervetur, ut remoti à peculiaritate virginum, nec uſque ad veſtibulum habeant accedendi familiare permiſſum. Nec ipſe quisquis eſt cum ſolâ colloqui debet, ſed ſub teſtimonio duarum aut trium ſororum, ita ut rara ſit acceſſio, brevis locutio.

CLXX. Ex Concilio Carthaginenſi.

Clerici vel continentes ad viduas vel virgines, niſi ex juſſu aut permiſſu Epiſcoporum aut Presbyterorum non accedant, & hoc non ſoli, ſed nec ipſi Epiſcopi aut Presbyteri, ſed ubi Clerici præſentes ſunt, aut aliqui graves Chriſtiani.

CLXXI. Ex Epiſtola Innocentij.

Qui in Chriſto ſpiritualiter nubunt, ſi poſteà publicè nupſerint vel ſe clanculo corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pænitentiam, niſi is, cui ſe junxerat, de mundo receſſerit. Si enim de hominibus hæc oratio cuſtodietur, ut quæ vivente viro alteri nupſerit, adultera habeatur, nec ei agendæ pænitentiæ licentia concedatur, niſi unus ex his fuerit defunctus, quantomagis de illa tenendum eſt, quæ coram immortali ſponſo ſe conjunxerat, & poſteà ad humanos amplexus tranſmigravit?

CLXXII. De Secularibus viduis & ſanctimonialibus *vagantibus*. Ex Concilio Meldenſi LXXI.

Illæ, quæ quaſi Sanctimoniales ſub velamine religionis degere videntur, ſed potius in delitiis viventes mortuæ in divinis oculis computantur, provincias diſcurrentes curioſè & verboſè ſe libidinibus cæteriſque carnis voluptatibus inſervire accuſantur, ſi manifeſtè detegi potuerint, Epiſcopali autoritate & regiâ poteſtate in talibus locis reſidere ſub teſtimonio religioſo cogantur, ubi ſi pænitentiam fecerint, dignam aſſequantur, etiam ſuæ opinionis malam famam legaliter purgare cogantur, & ut religioſius de cætero vivant, & in monaſteriis converſentur Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopali decreto & regia poteſtate coërceantur. De his enim Apoſtolus dicit: cum fornicatæ fuerint, in Chriſto nuber evolunt.

De Viduis Apoſtolus ait. CLXXIII.

Præcipe, ut viduæ irreprehenſibiles ſint. Vidua eligatur non minus LX annorum in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, etc. Adoleſcentiores viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul & ocioſe diſcunt circumire domus non ſolum ocioſè, ſed & verboſè & curioſè loquentes, quæ non oportet. Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia; jam enim quædam converſa eſt retro poſt Satanam.

De Eadem re. Ex Lege Romana. CLXXIV.

Viduarum ſane obſtinationibus permovemur, quæ nulla prole ſuſcepta fœcunditatem ſuam reparatione familiæ, repudiata conjugij iteratione condemnant, & ſolitariam vitam, non ut colligitur, religionis ac pudicitiæ amore, ſed potentiæ laſciviæque vivendi eligunt libertatem. Quibus ad omnem licentiæ uſum aut ſolicitantium perſonarum ficta religione aut favore callidi captatores adplaudunt. Has ad honeſtioris vitæ tramitem revocantes ſancimus, ut maritali obitu deſtituta mulier quadragenaria, cum adhuc procreare liberos per ætatem poteſt, intra quinquennium nubat. Emenſo quinquennio ſi in viduitate perſiſtit, mox cum propinquis ſuas dividat facultates; aut ſi hi fortaſſe defuerint, cum fiſco matrimonium dividat.

Mulier taceat. Ex Concilio Nannotenſi. CLXXV.

Cum Apoſtolus dicat: Mulieres in eccleſiæ taceant; non enim permittitur colloqui. Turpe eſt enim mulieri loqui in eccleſia, mirum videtur, quod quædam mulierculæ contra divinas humanasque leges attrita fronte impudenter agentes placita generalia & publicos conventus indeſinenter adeunt; & negotia regni utilitateſque Reipublicæ magis perturbant, quam diſponunt, cùm indecens ſit, & etiam inter barbaras gentes reprehenſibile mulie-

mulieres virorum cauſas diſcutere; Et quæ de lanificiis ſuis & operibus textibilibus & muliebribus inter genitiarias ſuas reſidentes debuerant diſputare, in conventu publico ac ſi in curia reſidentes ſenatoriam ſibi uſurpare auctoritatem. Quæ ignominioſa præſumptio fautoribus magis imputanda videtur quàm fœminis: Vnde quia divinæ leges, ut ſupra monſtratum eſt, hoc contradicunt, & humanæ nihilominus idipſum prohibent, ut fœminæ nihil aliud proſequantur in publico quam ſuam cauſam. Ait enim Lex Theodoſiana. Nulla ratione fœminæ amplius, quam ſuas cauſas agendi habeant poteſtatem, nec alicujus cauſam à ſe noverint proſequendam. Idcirco ex auctoritate Canonica interdicimus, ut nulla ſanctimonialis virgo vel vidua conventus generales adeat, niſi à Principe fuerit evocata, aut ab Epiſcopo ſuo, niſi forte propriæ neceſſitatis ratio impulerit, & hoc ipſum cum licentia Epiſcopi ſui.

CLXXVI. De Velanda virgine Ex Concilio Africano.

Virgines non velentur ante XX annum ætatis, niſi forte neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis, & ut Gelaſius Papa dicit: Niſi in Epiphania & in Albis paſchalibus & in Apoſtolorum Natalitiis non ſunt conſecrandæ, niſi cauſa mortis urgente.

CLXXVII. Ex eodem.

Viduas autem velare Pontificum nullus attentet. Virgines quæ ante XII annos in ſuis (mundiburdis) ſacrum velamen capiti ſuo impoſuerint, & illi mundiburdi annum integrum & diem hoc tacendo conſenſerint, in ſancto propoſito permaneant; Et ſi in prædicto anno & die pro illis ſe proclamaverint, petitioni earum aſſenſus præbeatur, niſi forte Dei timore tacti cum eorum licentia in religionis habitu perſeverent.

CLXXIIX. Ex eodem Concilio.

Viduæ, quæ ſpontanea voluntate ab altari ſacræ converſationis velamen ſuſcipiunt, decrevit ſancta Synodus in eodem propoſito eas permanere. Non enim fas eſſe decernimus ut poſtquam ſe ſemel ſub velo conſecraverint & inter velatas oblationes fecerint, iterum eis concedi Spiritui Sancto mentiri.

CLXXIX. Zacharias Papa Cap. VII.

Virginem aut viduam, niſi is qui deſponſatam habuerit nullus

Digitized by Google

nullus audeat furari in uxorem; ſi quis hoc temerario auſu præſumpſerit, anathema ſit.

Sanctimonialis ſi pro lucro animæ ſuæ cum licentia abbatiſſæ ſuæ ad aliud monaſterium pergere diſpoſuerit ibidemque commanere, decrevit Synodus concedi; Si verò fugâ diſciplinæ alium locum quærit, redire cogatur. CXXC.

De Concubinis. Ex Epiſtola Leonis Papæ. CXXCI.

Non omnis mulier viro conjuncta uxor eſt viri, quia non omnis filius hæres eſt Patris. Itaque aliud eſt uxor, aliud cocubina. Sicut aliud ancilla, & aliud libera. Ancillam itaq; à thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere non duplicatio conjugij, ſed profectus honeſtatis eſt; Dubium enim non eſt, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe miniſterium, niſi forte illa mulier & ingenua facta & dotata legitimè & publicis nuptiis honeſtata videatur.

De Maritis captis. Ex Epiſtola Leonis. CXXCII

Fæminæ, quæ captis viris & in captivitate ductis aliis nupſerunt, putantes interemptos maritos reverſis de captivitate prioribus viris copulari debent, ut cuiq; id, quod legitimè habuit, reformetur, & recipiat unusquisque, quod ſuum eſt, & redintegrentur fœdera nuptiarum.

Ex eodem. CXXCIII.

Non probatur eſſe culpabilis, qui uxorem capti in matrimonio videtur eſſe ſortitus, & ſi viri de captivitate regreſſi intemperantia uxorum offenſi non fuerint, & voluerint eas in conjugium recipere, liberam habeant facultatem; Et ſi mulier ad priores maritos redire noluerit, poſteriorum virorum amore capta, eccleſiaſtica communione privetur.

De Inceſtuoſis. Ex Concilio Ilerdenſi Cap. IV. CXXCIV.

De his, qui ſe inceſta pollutione commaculant, placuit, ut quousque in ipſo deteſtando & illicito carnis contubernio perſeverant usque ad Miſſam tantùm catechumenorum in eccleſia admittantur, cum quibus etiam nec cibum ſumere ullum Chriſtianorum, ſicut Apoſtolus juſſit, oportet. Salubriter præcavendo ſancimus, ne quis fidelium propinquam ſanguinis ſui usque quo

Digitized by Google

affinitatis lineamenta ſucceſſione generis cognoſcit, in matrimonio ſibi deſideret copulari. Quia ſcriptum eſt: Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.

CXXCV. De Gradibus prohibitis. Ex Conc. Agathenſi.

De inceſtis conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint. Hos enim eſſe cenſemus: ſi quis relictam fratris, quæ pene prius ſoror extiterat, carnali conjunctione violaverit; ſi quis novercam, ſi quis conſobrinam. Si quis filiam avunculi, vel relictam ejus, ſi quis patrui filiam vel privignam ſuam duxerit. Sanè quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ſibi poſt actam pænitentiam ineundi

CXXCVI. melioris conjugij, id eſt, legitimi libertatem, id eſt, poteſtatem.

Ex Concilio Romano.

Gregorius Papa dixit: Si quis Dei ancillam, id eſt, Sanctimonialem in conjugio duxerit, anathema ſit; ſi quis commatrem ſpiritualem in conjugio duxerit, anathema ſit; Si quis neptem in conjugio duxerit, anathema ſit; ſi quis novercam aut nurum ſuam duxerit, anathema ſit; ſi quis conſobrinam duxerit, anathema ſit; ſi quis de propria cognatione vel quam cognatus habuit in conjugio duxerit, anathema ſit; ſi quis viduam furatus fuerit in uxorem vel conſentientibus ei anathema ſit; & in omnibus his tertiò omne concilium reſpondit: Amen.

CXXCVII. De Furto Viduæ. Ex Concilio ad Confluentes.

Filiam noſtram Iudith viduam ſecundum leges divinas & humanas ſub tuitione eccleſiaſtica & regio mundeburde conſtitutam Balduinus ſibi furatus eſt uxorem; Quem poſt legale judicium Epiſcopi noſtri regni excommunicaverunt ſecundum ſacros Canones & Definitionem Sancti Gregorij Papæ, qui dicit: ſi quis viduam furatus fuerit in uxorem etiam conſentientibus ei anathema ſit.

CXXCIIX. De Viduis velandis.

De fæminis, quæ viros amittunt, placet, ne ſe ſicut hactenus indiſcre-

Digitized by Google

indiſcretè velent: ſed triginta dies poſt diſceſſum viri ſui expectent; Et poſt tricesimum diem per conſilium Epiſcopi ſui vel ſi Epiſcopus abfuerit, conſilio aliorum religioſorum ſacerdotum ſuorumque amicorum id, quod eligere debent, eligant. Et quia à ſacro conventu rogati, ut hos, qui publicam gerunt pænitentiam, & fæminas, quæ viros amittunt, noſtra auctoritate donec deliberent, quid agant, tueremur, ſpecialiter pro his capitula fieri, & legis mundanæ capitulis inſerenda decrevimus.

Ex Capitul. Lib. III. Cap. XVI. CXXCIX.

Qui viduam intra primos xxx dies viduitatis vel invitam vel volentem ſibi copulaverit, LX ſolidos componat, & ſi invitam eam traxerit, legem ſuam ei componat, illam vero ulterius non attingat.

Ex eodem. Cap. XIIX. CXC.

Qui hominem publicam pænitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat & ejus VVeregeldum proximus ejus perſolvat.

De Inceſtis. Ex Concilio Aurelianenſi. CXCI.

Ne frater ſuper thorum defuncti fratris adſcendat, nec quisquam amiſſa uxore ſororem ejus ſibi audeat ſociare.

Ex Concilio Ancyrano. CXCII.

Quidam Sponſam habens ſororem ejus violavit, & gravidam reddidit. Poſtmodum deſponſatam ſibi duxit uxorem. Illa verò quæ corrupta eſt, laqueo ſe peremit; illi qui fuerunt conſcij, poſt decennem ſatisfactionem juſſi ſunt ſuſcipi ſecundum gradus pænitentiæ conſtitutos.

Ex Concilio Neoc. CXCIII.

Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur usque ad mortem, veruntamen in exitu propter miſericordiam communio ei concedatur. Quod ſi defecerit vir aut mulier in talibus nuptiis, difficilis erit pænitentia in vita permanenti.

Ex Concilio Helibertano. CXCIV.

Si quis poſt obitum uxoris ſuæ ſororem ejus duxerit, & ipſa fuerit fidelis, quinquennium à communione placuit abſtineri, niſi mors coëgerit.

Digitized by Google

CXCV. Ex Concilio Martini.

Si qua mulier duos fratres aut ſi quis Vir, duas ſorores duxerit à communione ſeparentur uſque ad mortem. In motte pro miſericordia viaticum accipiant.

CXCVI. Ex Epiſtola Rabani ad Heribaldum Epiſcopum Antiſiodorenſem.

De eo, quod interrogaſti, an ille qui filiolam ſuam, & de eo qui concubuit cum commatre ſua ſpirituali, & de illo, qui filium ſuum baptizavit, & cujus uxor eum de fonte ſuſcepit, an poſtea in tali copulatione permanere poſſent, omnino illicitum eſſe judicavimus. Nam in Concilio Moguncíacenſi ſcriptum eſt: Nullus proprium filium aut filiam à fonte baptismatis ſuſcipiat, nec filiolam nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium ad confirmationem ante Epiſcopum tenuerit, ubi autem factum fuerit, ſeparentur.

CXCVII Vnde ſupra.

Quam deteſtabile & execrabile ſcelus ſit unicuique Chriſtiano filiolam ſuam conſtuprare, teſtatur Sanctus Gregorius in dialogis ſuis, ubi refert, quendam hominem polluiſſe filiolam ſuam & quia neglexit pœnitentiam agere, ſubito miſerabili morbo correptus expiravit, & ſepultus non ſolum corpus, ſed etiam omne ſepulchrum ignis inviſibilis conſumpſit.

CXCIIX Item. Ex Concilio Moguncíacenſi.

Si quis fornicatus fuerit cum duabus ſororibus vel noverca ſua, vel cum ſorore ſua, vel cum amita ſua, vel cum matre ſua, vel cum filia patrui ſui, & avunculi ſui, vel cum filia amitæ ſuæ ſive materteræ ſuæ vel cum nepte ſua vel cum commatre, aut filiola ſua, ſive quam de fonte ſuſcepit, vel ante Epiſcopum tenuit, & ſi quà mulier ſimili modo fornicata fuerit, abſtineat ſe ab ingreſſu domus Dei annum I. & eodem anno, niſi dominicis & feſtis diebus ſolummodo pane & aquâ & ſale utatur, arma non ferat, oſculum nullum præbeat, ſacrificium, niſi pro viatico minimè ſumat: VI deinde annis ingrediatur quidem domum Dei, ſed carnibus & vino & ſicerâ minimè utatur, niſi feſtis diebus: de armis verò vel oſculo ſive ſacrificio ſicut ſupra dictum eſt Poſteà vero duobus annis quando carne veſcitur, â potu omni, qui inebriare

poteſt,

Digitized by Google

poteſt, ſe contineat, & ſi potum biberit, minimè carne veſcatur, abſque præcipuis feſtis diebus. De armis vel oſculo, aut ſacrificio modum teneat jam dictum. Inde uſque ad obitum ſuum, niſi prædictis feſtis diebus, à carne abſtineat, tres legitimas ferias omni hebdomade & tres quadrageſimas in anno legitimè cuſtodiat; de armis verò ut ſupra dictum eſt, & nunquam aliquando conjugio copuletur. Hæc eadem Pœnitentia imponenda eſt Patricidis, Fratricidis vel conſanguineis, & qui ſpontè per fraudem & avaritiam hominem innoxium occidunt, quod morchidum vocant.

Ex Epiſtola Rabani ad Humbertum Epiſcopum. CXCIX.

Igitur de nuptiis vel quomodo conſanguinitas honoranda ſit, Dominus loquitur in Levitico dicens: Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus. Cùm enim Dominus populum de contaminationibus gentium voluiſſet ſeparare, primùm generali vocabulo ad proximitatem ſanguinis prohibuit quenquam accedere, ne revelaret turpitudinem ejus, deinde ipſam generalitatem fermè in XII ſpecies diviſit, quæ tamen ultra tertiam vel quartam generationem non procedunt. Vnde accidit, ut reor, Dominum Gregorium Auguſtino interroganti tertiam vel quartam generationem jam licitè connubia jungere reſpondiſſe: Similiter & in Theodori Archi Epiſcopi gentis Anglorum Capitulis, quæ de neceſſariis conſcripſit rebus, invenimus, quod in tertia propinquitate carnis ſecundum Græcos liceat nubere; in quinta ſecundum Romanos; Qui tamen conjugia in tertia propinquitate facta non ſolverunt, ſi antea ab inſcientibus compacta fuiſſent æqualiterque conjungeretur vir in matrimonio his, qui ſibi conſanguinei ſunt, & uxoris ſuæ Conſanguineis poſt mortem uxoris. Hunc autem Theodorum Tharſociliciæ natum Vitellianus Papa Romæ Epiſcopum ordinans ad Britanniam miſit, unde tam orientalium, quàm etiam occidentalium eccleſiarum conſuetudinibus pleniter inſtitutus fuerat. Nec eum aliqua latere potuerunt, quæ in obſervationibus legitimis Græci vel Romani eo tempore habuerunt, maximè cum in utraque lingua perfectè inſtructus eſſet; Quod autem proximis temporibus Romanorum Pontificum ſcripta con-

Digitized by Google

ninentuſq; ad ſextam vel ſeptimam generationem conjugij uſum differendum, magis ex conſuetudine humanâ quàm ex lege divinâ hoc eos præcepiſſe credendum eſt. Nam quod Iſidorus in Etymologiis ſuis uſque ad ſextam generationem conſanguinitatis abſtinendum aſſeruit, inde reor eum feciſſe, quod Genealogiæ ſeriem retexens, quouſque ordinem numerandi perduxit, eò cognationem ſanguinis ſervandam æſtimavit; ſicque ad innovationem generis & amicitiæ jus confirmandum redire ad connubium ſancivit, quando jam cognationis ordo numerari deſiit. Cæterum ante omnia conſiderandum, ut ſic cenſura diſciplinæ temperetur, ne per immoderationem conceptionis peccati cumulus augeatur. Scimus enim quod qui in lege cognationis jus obſervare conſtituit, in Evangelio fædus conjugij non diſſolvendum præcepit. Si enim ubicunque aliquid proximitatis vel conſanguinitatis licet longinquum inter conjugatos inveniri poteſt, ſtatim matrimonium diſſolvatur, vereor ne adulterium & fornicationis ſcelus multiplicetur, quia cum conjugato adoleſcenti vel juveni ſocietas comparis ſuæ denegatur, nec aliquid ei ſolatij impenditur, unde continentiam ſalvare poſſit, libidine inflammatus per Diaboli inſtigationem multiplici fornicatione forſitan polluatur, ac ſic in præcipitium mortis æternæ anima demergatur; igitur quia à mea parvitate voluiſti, quid ſentirem de hac re, tibi reſcribi, propter fragilitatem præſentis temporis reor hoc, quod Theodorus Epiſcopus inter Gregorium & Iſidorum medius incedens in ſuis capitulis definivit, magis ſequendum, ut quintâ generatione jam licitum connubium fiat, quia non lex Divina huic contradicit, nec etiam ſanctorum patrum dicta hoc prohibent. Si autem & in quinta ab inſciis fuerit copula peracta, melius mihi videtur, ut cum pænitentiæ humiliatione, ſi ſe uxoratus continere non vult, Deo ſatisfaciat.

CC. Gregorius ad Auguſtinum.

Neceſſe eſt, ut etiam tertia vel quarta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat. Nam à ſecunda quam prædiximus ſe omninò debet abſtinere.

CCI. Ex Epiſtola Rabani ad Regibaldum Coepiſcopum.

De eo, quod interrogaſti, ſi pater & filius vel ſi duo fratres vel

vel ſi avunculus & nepos cum una muliere fornicati ſint, quid inde faciendum ſit? Manifeſtum eſt, quod gravi vindictâ plectendum eſt, quod grave facinus eſſe reperitur; Omnis enim mœchia interdicitur, ubi ſcriptum eſt: Non mœchaberis, quanto magis cum cognata vel cum conjuge, ſeu concubina cognati. Hinc in Levitico ſcriptum eſt: ſi mœchatus fuerit quis cum uxore alterius, morte moriatur, & mœcheus & adultera. Qui dormierit cum noverca ſua, & cum nuru ſua, & qui filiam & matrem duxerit, & qui acceperit ſororem ſuam, morte moriatur; ſi enim in lege turpitudinem inceſtus mortis ſententia vindicare juſſit, quomodo in Evangelio, ubi ſumma juſtitia eſt, inceſtuoſus pœnitentiam peccati evadet? Vnde Apoſtolus: Irritam qui fecerit legem Moyſis, ſine ulla miſeratione ſub duobus vel tribus teſtibus moritur, quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? igitur Theodorus judicavit eum, qui inceſtum fecerit, XII annos pœnitere debere. Alij XV, alij X, alij VII. Sed tu priſcorum Patrum veſtigia ſequens his ſolis pœnitentiæ ſpacium temperes, qui devotè & cum lachrymis pœnitentiam gerunt; cæteri definitum tempus ſervent.

Caſus Matrim. Ex Conc. Tiburienſi. C. XI. CCIII.

Perlatum eſt ad Sanctam Synodum quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem, & poſt filiorum procreationem occaſione divortij cujuſdam ſervum ſe fecerit; utrum neceſſariò mulierem tenere debeat; & ſi tenuerit, utrum illa quoque ſecundum ſecularem legem ſervituti ſubjici debeat? Iudicatum eſt uxorem minime deberè dimitti, non tamen ob Chriſti legem mulierem in ſervitutem redigi. Dum ille non ex conſenſu conjugis ſe ſervum fecit, quæ liberum maritum acceperat.

Ex eodem. CCIIII.

Item indicatum eſt, quendam ſtupraſſe quandam fœminam, quam poſteà frater ejus accepit uxorem; ſtatuerunt eum, qui ſtupravit, & à ſe ſtupratam fratri celavit, quia geminavit peccatum pœnitentia diſtrictiori caſtigandum & conjugium tale diſſolvi oportere, & mulieri quidem eis viventibus non fore poteſtatem nubendi; illis autem pro miſericordia conjugium indulgere.

Ex

CCIV. Ex eodem.

Item interrogatum fuit; ſi quis cum filia materteræ ſuæ vel avunculi, amitæ vel patrui concubuerit, ſi conjugatus fuerit, liceat ne illi ulterius uti conjugio, aut non conjugato uxorem accipere. Iuſtum eſſet, ſicut aliqua priorum ſtatuta habeantur, ut in perpetuum à conjugio tales abſtineant; Sed viſum eſt humanæ fragilitatis intuitu, ut poſt pænitentiam non quidem penitus priventur conjugio, duriſſimè tamen tàm immanis fornicatio vindicetur, ſicut Sanctus Papa Nicolaus, & alij Romani Pontifices ſtatuerunt, ne forte deſperata conſcientia multiplicius peccent;

CCV. Ex eodem.

In lectum mariti abſente uxore, Soror ivit uxoris, quam ille uxorem ſuam putans, dormivit cum ea. Super hoc viſum eſt, ſi ipſe per ſecuritatem veram non probaverit, quod inſcius fecerit hoc ſcelus, pænitentiam quidem quæ ſibi judicata fuerit, agat, & legitimum ſuum conjugium habere permittatur; illam dignâ vindictâ affligi, & in æternum conjugio privari.

CCVI. Ex eodem.

Quidam fornicatus eſt cum aliqua muliere, poſtea filius neſciens patris factum ſtupravit eandem. Quod cum pater reſciſſet de ſe filioque confeſſus eſt; ſtatuerunt meliùs eſſe, ut taliter lapſis cum digna pænitentia legitima permittantur conjugia, quam fortè deterius delnquant; cum fornicaria autem illa gravius agendum.

CCVII. Ex eodem.

Si quis cum duabus ſororibus fornicatus fuerit, & ſoror ſororem ab eodem antea ſtupratam neſcierit vel ſi ipſe ſororem ejus quam antea ſtupravit non intellexerit, ſi dignè pænituerint, & ſe continere non valuerint, poſt annos VII. conjugia illis non negentur. Si autem non ignoraverunt, uſque ad mortem à conjugio abſtineant.

CCIIX. Ex eodem.

Si quis cum duabus ſororibus fornicatus fuerit, vir diebus vitæ ſuæ pæniteat; ſoror autem quæ de alia ſorore neſcivit, licentiam habeat nubendi.

Ex

Digitized by Google

Ex eodem. CCIX.

Si homo fornicatus fuerit cum muliere, & frater ejus neſciens duxerit eam uxorem, frater eo quod fratri crimen celaverit, pæniteat, & poſt pænitentiam nubat. Mulier autem uſque ad mortem pæniteat.

Ex eodem. CCX.

Si frater cum muliere fornicatus fuerit, & frater neſciens cum eadem concubuerit, mulier diebus vitæ ſuæ pæniteat, poſt pænitentiam autem frater ignarus ſceleris conjugium accipiat, ſi vult.

Ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pipini. CCXI.

In tertio geniculo ſeparentur: In quarta autem conjugatione ſi inventi fuerint, non eos ſeparamus, ſed pænitentiam eis indicimus; Et tamen ſi factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in quarta generatione damus.

Ex eodem. CCXII.

Si aliquis cum filiaſtra ſua manet, nec matrem nec filiam ipſius poteſt habere, nec illa nec ille aliis ſe poterunt conjungere ullo unquam tempore; attamen uxor ejus, ſi ita voluerit, ſi ſe continere non poteſt, ſi poſtea quam cognovit, quòd cum filia ſua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habeat; ſi vult, poteſt alij nubere.

Ex eodem. CCXIII.

Si quis cum noverca ſua dormierit, neutiquam poſſunt ad conjugium pervenire, ſi vir ejus ſic vult, poteſt aliam accipere, ſi ſe continere non poteſt; ſimiliter qui cum filiaſtra ſua vel cum ſorore uxoris ſuæ dormierit, ſtare poteſt.

Ex eodem. CCXIV.

Qui dormierit cum duabus ſororibus, & una ex illis antea uxor fuerit, nullam ex ipſis habeat, nec ipſi adulteri unquam conjugio copulentur.

Ex eodem. CCXV.

Si quis cum uxore fratris ſui dormierit, adulter & mœcha

Digitized by Google

diebus vitæ ſuæ absque conjugio maneant. Ille verò, cui uxor fuit, ſi vult, aliam conjugem accipiat;

CCXVI. Ex eodem.

Si quis ſponſam filij ſui oppreſſerit, & poſteà filius ejus eam duxerit, pater poſtmodum non habeat uxorem, nec ipſa mulier virum; Filius, qui facinus Patris ignoravit, aliam accipiat.

CCXVII. Ex eodem.

Si quis filiaſtrum aut filiaſtram ſuam ante Epiſcopum ad confirmationem tenuerit, ſeparetur ab uxore ſua & aliam nunquam accipiat; ſimul & mulier.

CCXIIX. Ex eodem.

Si quis cum matre & filia fornicatus eſt ignorante matre de filia, & filia de matre, ille nunquam accipiat uxorem. Illæ verò ſi volunt, accipiant maritos; ſi autem hoc ſcierint ipſæ fæminæ, absque maritis in perpetuo maneant.

CCXIX. Ex eodem.

Similiter & de duabus ſororibus qui cum una in adulterio manſit; & aliam publicè accepit, non habeat mulierem uſque in diem mortis. & illa, quæ neſcivit, accipiat maritum.

CCXX. Ex eodem.

Si qui propter vindictam fugiunt in alias patrias & dimittunt uxores ſuas, nec illi nec illæ alteri copulentur.

CCXXI. Ex eodem.

Si quis inceſtum cum proxima ſua commiſerit, peculium ſuum perdat, ſi habet; & ſi ſe non emendare voluerit, nullus eum in domo recipiat neque ei cibum donet. Quod ſi fecerit, XL ſolidos regi componat; Et ſi pecuniam non habet, mittatur ſi liber eſt in carcerem. Si ſervus eſt, vapulet multis plagis.

CCXXII. Ex eodem.

Si homo liber patrem aut matrem, fratrem vel avunculum occiderit, hæreditatem propriam amittat; Et ſi quis mæchatus fuerit cum matre & ſorore, & amita, hæreditatem perdat.

CCXXIII. Ex eodem.

Epiſcopi inceſtuoſos inveſtigare ſtudeant, & ſi pænitere noluerint:

Digitized by Google

luerint, de eccleſia expellantur, donec ad pænitentiam revertantur, quod ſi obedire ſacerdotibus noluerint, oportet eos per ſecularem diſciplinam coërceri.

Ex Concilio Moguntiacenſi. Cap. XXIX. CCXXIV.

Si quis viduam uxorem duxerit, & poſtea cum filiaſtra fuerit fornicatus, ſeu cum duabus ſororibus nupſerit, aut ſi qua cum duobus fratribus ſive cum patre & filio, ſi quis relictam fratris, ſi quis neptem, aut novercam aut nurum aut conſobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam aut privignam polluerit, eos disjungi & ulterius nunquam conjugio copulari præcipimus.

Ex eodem. CCXXV.

Contradicimus quoque, ut quartâ generatione nullus amplius conjugio copuletur. Vbi autem poſt interdictum factum fuerit, ſeparentur.

Ex Concilio VVormacienſi. CCXXVI.

Si quis cum duabus ſororibus ſeu cum duobus fratribus, aut cum his perſonis, de quibus ſacra ſcriptura prohibet, fornicationem fecerit, ſi dignam egerit pænitentiam, & ſe continere non poteſt, liceat ei legitimam uxorem vel virum accipere.

Ex eodem. CCXXVII.

Si quis cum commatre ſpirituali fuerit fornicatus, uſque ad ignam pænitentiam anathemate percutiatur. Similiter *fiat* ſi cum ı, quam de fonte ſuſcepit, vel quam ante Epiſcopum tenuerit, ›rnicatus fuerit; legitimam autem, ſi habuerit, non dimittat ɩorem.

Ex eodem. CCXXVIII.

Si quis cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, poſt diſſolutum ɔjugium pænitentiam agat, Scilicet per triennij tempus à corre & ſanguine Domini ſuſpendatur. Carnem non manducet, um non bibat, & omnibus diebus jejunet exceptis feſtis & ninicis diebus. Similiter de mulieribus, quæ patri ſe clan›in concubitu proſtraverunt, & filio obſervandum eſt, & quibus ſe abſconſe ſororibus pollutos cognoſcunt.

uramentum Conjugum. Ex Conc. Tribulienſi. CCXXIX.

Quorum illicita conjugia ſcindenda ſunt, volumus, ut jura-

mento confirment, ne ad unam menſam, nec ſub uno tecto ſimul cohabitent, vel quolibet familiari colloquio perfruantur, niſi in publico aut in eccleſia. Res, quas communes habuerint, dividant, ne aliqua ſuſpicio poſſit naſci atque increſcere.

CCXXX. ## Iuramentum de Parentela

De illa parentela, quam dicunt eſſe inter illum & iſtam ejus conjugem, quicquid inde ſcis vel audiſti computare à tuis vicinis, aut tuis anteceſſoribus, quod tu per nullum ingenium nec propter timorem, aut præmium aut conſanguinitatem celabis Epiſcopo tuo, aut ejus miſſo, cui hoc inquirere juſſerit, quandocunque ex hoc te interrogaverit. Sic te Deus adjuvet.

CCXXXI. ## Item cæteri.

Iſtud juramentum, quod iſte juravit de illa parentela, quæ inter illum & ejus conjugem computatur, quod tu illud obſervabis in quantum ſapis, aut audiſti, ſic te Deus adjuvet.

CCXXXIII. ## Iuramentum de inceſtuoſo diſcidio.

Ab iſto die jurabis, quod tu per nullum ingenium te ſociabis huic tuæ conſanguineæ. Nominaliter quæ contra legem & rectam Chriſtianitatem uſque in hunc diem tua uxor fuit, nec in conjugio nec in adulterio vel fornicatione. Nec cum illa ad unam menſam manducabis & bibes, aut ſub uno tecto manebis, niſi fortè in eccleſia, aut in aliquo publico loco, ubi nulla mala ſuſpicio poſſit eſſe, ut ibi coram teſtibus pro certa neceſſitate pariter colloquamini. Nec aliam conjugem accipies, niſi forte poſt actam pænitentiam tibi licentia data fuerit ab Epiſcopo tuo, aut ejus miſſo. Sic te Deus adjuvet, & iſtæ ſanctorum reliquiæ.

CCXXXIV. ## Invocatio ad judicium.

De hoc, quod mihi reputatum eſt in hac Synodo, quod ſimul cum iſta fæmina adulterium vel fornicationem feciſſem, quod ego non ita feci. Nec inde me culpabilem recognoſco. Sic me Deus adjuvet ad iſtud judicium ſuum.

CCXXXV. ## Iuramentum poſt datam pœnitentiam de luxuria facta.

Ab iſto die cum fæmina, cum qua adulterium vel fornicationem

Digitized by Google

tionem feciſti, unde diſciplinam vel pænitentiam ſuſcepiſti, amplius non adulterabis, nec fornicaberis, nec eam in uxorem accipies, niſi forte poſt peractam pænitentiam tibi licentia data fuerit ab Epiſcopo aut ejus miſſo. Sic te Deus adjuvet.

De Occiſo Conjuge. Ex Synodo Meldenſi. CC XXXV.

Is qui vivente marito conjugem illius adulteraſſe accuſatur & eo in proximo defuncto eandem ſumpſiſſe dignoſcitur, omnimodè publicæ pænitentiæ ſubigatur, de quo etiam poſt pænitentiam, præfata ſi expedierit, ſervabitur regula. Niſi forte idem aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notentur, aut propinquitas vel alia quælibet actio criminalis impediat. Quod ſi probatum fuerit, ſine ulla ſpe conjugij cum pænitentia perpetuo maneant. Si autem negaverit ſe eandem fœminam vivente viro adulteraſſe, & præfati homicidij nemo eorum reus extiterit, & probatis teſtibus neutiquam convinci potuerit, purgent legaliter famam ſuæ opinionis, & ſumpto utantur conjugio, ſi alia, ut diximus, non impedierit ratio.

De Eadem re. Ex Concilio Triburienſi. CC XXXVI.

Relatum eſt auribus ſanctorum ſacerdotum quendam alterius uxorem ſtupro violaſſe. Inſuper & mœcham vivente viro ſuo juramentum dediſſe, ut poſt legitimi mariti mortem, ſi ſupervixiſſet, duceret in uxorem, quod & factum eſt. Tale igitur connubium prohibemus, & anathematizamus.

Invocatio de morte Viri vel uxoris. CCXXXVII.

De hoc, quod tu accuſata es in præſentia iſtius Epiſcopi in hac Synodo quod per tuum factum & per tuum conſilium tuus maritus illius vel tua conjux illius mortem recepiſſet, & vitam perdidiſſet, omninò non eſt ita; Nec tu in ejus vita aut membris quicquam feciſti, aut cum aliis conſiliatus es, unde meritò ſecundum eccleſiaſticum judicium pænitentiæ remedia ſuſcipias; aut ſecundum mundanam legem mortem aut aliquod damnum ſuſtineas. Sic te Deus adjuvet ad iſtud judicium.

Iuramentum vel invocatio de Homicidio imputato. CCXXXIIX.

De hoc, quod tibi imputatum eſt in præſentia tui Epiſcopi,

cujus

cujus Parochianus es, quod tu illum hominem cum aliis hominibus ſequacibus tuis occidiſſes, propter hanc cauſam ut bona illius diriperes & ejus uxorem tibi in matrimonium ſociares, in veritate non eſt ita: Nec tu ſolus nec cum aliis hominibus illum hominem occidiſti, nec ut ſuam vitam aut membra perderet, cum aliis conſiliatus es, nec in ejus morte quicquam habes factum, unde meritò aut pænitentiam ſuſcipias, aut vindictam ſuſcipias, aut pretium aliquod perſolvas. Sic te Deus adjuvet.

CCXXXIX

Iuramentum de Reconciliatione Conjugum.

Ab iſto die in antea iſtam tuam conjugem, nominatim illam, quam injuſtè dimiſeras, ita tenebis, ſicut per rectum maritus ſuam debet habere conjugem in dilectione & debitâ diſciplina, nec eam per ullum malum genium ſeparabis à te, nec ea vivente aliam accipies. Sic te Deus adjuvet.

CCXL.

Fœmina ſic juret:

A modo in antea iſtum tuum maritum, quem injuſtè dimiſeras, ita tenebis, & amplexaberis, & ei in ſervitio, in amore & in timore ita eris ſubjecta, & obediens, ſicut per rectum uxor debet ſubjecta eſſe marito, nec unquam ab eo te ſeparabis, nec illo vivente alteri viro te ſociabis in conjugio, aut adulterio. Sic te Deus adjuvet.

CCXLI.

De Impotentia Conjugum. Ex Epiſt. Rabani Cap. XXIX.

Quod autem interrogaſti de his, qui matrimonio juncti ſunt & coire non poſſunt, an ille aliam vel illa alium ducere poſſit; Quibus ſcriptum eſt: vir & mulier ſi ſe conjunxerint, & poſtea dixerit mulier de viro, quod non poſſit coire cum eo. Si poteſt probare per juſtum judicium, quod verum ſit, accipiat alium.

CCXLII.

Ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pipini Regis. Cap. XVII.

Si qua mulier ſe proclamaverit, quod vir ſuus nunquam cum ea coiſſet, exeant inde ad crucem, & ſi verum fuerit, ſeparentur, & illa faciat, quod vult.

CCXLIII. Si quis accepit uxorem & habuit ipſam aliquo tempore, & ipſa

ſa fæmina dicat, quod non coiſſet cum ea, & ille vir dicit, quod c fecit, in veritate viri conſiſtat, quia vir caput eſt mulieris.

Ex Concilio Triburienſi de eadem re. CCXXIV

Si duxerit vir uxorem, & concumbere cum ea non valens, ater ejus clanculo eam vitiaverit, & gravidam reddiderit, ſepantur. Conſiderata autem imbecillitate, miſericordia eis imperiatur ad conjugium tantum in Domino.

De Diverſarum perſonarum fornicatione ex Pœnitentiali Romano Theodori Epiſcopi & Bedæ Presbyteri. CCXLV.

Adoleſcens ſi cum virgine peccaverit, annum pæniteat.

Si ſemel & fortuito caſu, levigetur ei pænitentia, & tantum ſque ad annum plenum pæniteat.

Si infra XXX annos adoleſcens fornicationem faciat, tres uadrageſimas & legitimas ferias.

Si propter hoc peccatum ſervitio humano addicti ſunt, XL ies pæniteant.

Si uxoratus cum virgine fornicatus fuerit, II annos pæniteat, ita primùm omnium, ut à ſua ſe contineat; ſi ei conſenſerit, xori etiam addatur modus pænitentiæ.

Si laicus cum laica fornicatus fuerit, III annos pæniteat, & uanto ſæpius, tanto magis tempus addatur.

Laicus maculans ſe cum ancilla Dei, II annos pæniteat, ſi enuerit ex ea filium, III annos pæniteat.

Si ſine conjugio eſt: tres quadrageſimas & legitimas ferias.

Qui canonici ſunt & fornicantur, annum I; ſi frequenter, nos.

Qui in gradu eſt, annos III pæniteat. Monachus ſine gradu el canonicus gradum habens ſi cum puella Laica fornicati ſunt, nos III pæniteant. Si cum ſanctimoniali, annos VII pæniteant. Monachi cum gradu fornicationem facientes VII annos æniteant. Si Monachus laicam duxerit, III annos pæniteat, illa nos & legitimas ferias; ſi uſque ad generationem filij, IV annos eniteat.

Si occiderint, VII annos pæniteant.

Si Epiſcopus fornicatus fuerit, IIX annos pæniteat; alij judicare-

dicaverunt, XII annos. Poſt annum III leviùs pœniteat.

Presbyter cum puella fornicans, annos IV & III quadrageſimas in anno & ferias IV & VI in pane & aqua.

Si cum ancillâ Dei fornicatus fuerit, VII annos pœniteat.

Epiſcopus, Presbyter & Diaconus ſi in fornicatione, in perjurio vel furto captus eſt, deponatur, non tamen communione privetur, quia non vindicabit Dominus bis in idipſum.

CCXLVI. De Inceſtu.

Si adoleſcens ſororem ſuam duxerit, V. annos pœniteat, ſi matrem, VII annos, & quamdiù vixerit, nunquam ſit ſine continentia.

Item alij.

Qui cum matre fornicatus fuerit, XV annos pœniteat.

Qui cum filia vel ſorore fornicatus fuerit, ab omni carne ſe abſtineat, & XV annos pœniteat.

Si mater cum filio ſuo fornicata fuerit, III annos abſtineat ſe à carne, & diem in unaquaque hebdomade jejunet uſque ad veſperam.

Qui habet matrem & filiam, duas ſorores, uxorem Patris & fratris, patruelis aut avunculi, neptem aut conſobrinam aut qui in prima, ſecunda vel tertia generatione juncti ſunt, iſtis volumus indicare, ut ſeparentur. Et propter novellam plantationem eccleſiæ, ut VII annos agant pœnitentiam vel tres primos annos tres dies in hebdomade id eſt Feria II & IV & VI, XL dies ante Paſcha, XX ante Miſſam Sancti Iohannis, XIX ante natalem Domini. Quatuor verò reliquos annos feria IV & VI, & XIV noctes ante Miſſam Sancti Iohannis & alias ante natalem Domini. Si ſe redimere vult, donet unum denarium aut precium unius denarij pro uno die. Si pauper, donet dimidium denarium.

CCXLVII. De Sordidatione puerorum.

Pueri ſe manibus invicem coinquinantes, XL dies pœniteant; Majores verò C dies. Pueri ſe inter femora ſordidantes, C dies; Majores III quadrageſimas, & legitimas ferias. Parvulus à majore oppreſſus, VII dies pœniteat; ſi conſenſerit quis, XXX dies. Puer voluntariè ſe polluens XXX dies, Iuvenis verò XL dies pœniteat.

De

Digitized by Google

De Menſtruis abſtinendis. CCXLVIII.

Qui cum muliere menſtruata nupſerit, XL dies pæniteat. quis cum uxore ſua retrò nupſerit, XL dies pæniteat. Si in :rga nupſerit, III annos pæniteat, quia ſodomiticum eſt ſelus. iri inter ſemora fornicantes annum pæniteant. Si in terga, II annos pæniteant. Si pueri ſunt, duos annos pæniteant-

De Mulieribus. CCXLIX.

Mulier quocunque molimine aut in ſeipſa aut cum altera ornicans III annos pæniteat. Si ſanctimonialis cum alia ſantimoniali per aliquod machinamentum fornicatur, VII annos æniteat.

De Oſculo & amplexu. CCL.

Qui per illecebroſos amplexus fæminæ vel per oſculum polluitur, XXX dies pæniteat. Qui tetigerit inverecundè carnem juſdem fæminæ, III menſes pæniteat. Qui per turpiloquium olluitur, VII. dies pæniteat.

Presbyter ſi oſculatus fuerit fæminam per immundum deiderium XX dies pæniteat. Qui in ſomnis voluntate pollutus ſt, ſurgat & cantet VII Pſalmos pænitentiales & in die XXX. Qui peccare voluerit inſomnis, & non fuerit pollutus XXXIV ſalmos cantet.

De Clericis impuris. CCLI.

Clericus ſi ſemen fuderit non tangendo, VII dies pæniteat, i tangit cum manu, XX dies pæniteat. Si Diaconus, XXX dies, i Presbyter, hebdomadas IV. Presbyter ſi ſemen fuderit per ogitationem, VII dies pæniteat. Monachus ſimiliter. Qui voluntariè ſemen fundit in eccleſia, ſi Clericus eſt XIV dies, ſi Monachus aut Diaconus XXX dies, Presbyter XL. ſi Epiſcopus, L. dies pæniteat.

De Quadrupedum fornicatione. CCLII.

Qui cum pecude peccat, annum I: quidam judicant ann. X. quidam VII, quidam III; quidam C dies.

Item.

Si quis clericus cum quadrupede fornicatus fuerit, ann. II.

Digitized by Google

Subdiaconus III, Diaconus & Monachus V. Presbyter VII, Epiſcopus X pæniteat.

CCLIII. De Sodomitis.

Qui fornicatur ſicut Sodomitæ, quidam judicaverunt X annos, quidam VII, alij I. Puer i C. dies.

Item.

Alij judicaverunt, ſi in conſuetudine eſt Laicus, ann. V. Clericus VII. Subdiaconus & Monachus IIX. Diaconus X, Presbyter XII Epiſcopus XIII pæniteat.

CCLIV. De Eadem re. Ex Concilio Ancyrano.

De his, qui irrationabiliter verſati ſunt, ſive verſantur, quotquot ante XX annum tale crimen commiſerunt, XX annis exactis in pænitentia communionem mereantur orationum. Poſt quinquennium ijdem poſt XX annos oblationis ſacramenta conjungant. Quotquot autem poſt XX annos uxores habentes in hoc peccatum prolapſi ſunt, XXV annos pænitentiam agentes orationis communionem recipiant. Et poſt quinquennium ijdem poſt XXX annum communicent.

CCLV. Ex eodem Concilio.

Eos, qui irrationabiliter vixerunt, & lepra injuſti criminis alios polluerunt, præcepit Sancta Synodus inter eos orare, qui ſpiritu periclitantur immundo.

CCLVI. Ex Lib. I. Cap. XIIX.

Si inventi fuerint, qui cum quadrupedibus vel maſculis contra naturam peccant, durâ & diſtrictâ pænitentiâ coërcendi ſunt. Quapropter Epiſcopi vel Presbyteri, à quibus judicium pænitentiæ injungitur, conentur omnimodè hoc malum radicitus abſcidere.

CCLVII Ex dictis S. Baſilij.

Clericus vel Monachus adoleſcentium vel parvulorum inſectator, vel qui oſculo, vel aliqua occaſione turpi deprehenſus fuerit, publicè verberetur, & coronam amittat, decalvatusque turpiter ſputamentis obliniatur in facie vinculiſque arctatus ferreis, carcerali ſex menſibus anguſtia maceretur, & triduo per hebdomadas ſingulas pane hordeaceo ad veſperam reficiatur

poſt

Digitized by Google

oſt hæc aliis ſex menſibus ſub ſenioris ſpiritalis cuſtodia ſegregata in curticula degens operi manuum & orationi ſit intentus, igiliis & fletibus ſubjectus & ſub cuſtodia ſemper duorum frarum ſpiritalium ambulet, nulla privata locutione vel conſilio deinceps juvenibus conjungendus.

Ex dictis Iſidori. CCLIIX

Si quis ex juvenibus vel aliqua ſuſpicioſa perſona cum parulis jocatus ſit, diuturna pænitentia maceretur.

Vnde ſupra. CCLIX.

Si deprehenſus fuerit aliquis frater ludere cum pueris & habere amicitias ætatis infimæ, tertiò commoneatur, ut memor it honeſtatis atque timoris Dei, ſi non ceſſaverit, ſeveriſſimè corripiatur.

Ex Lege Theodoſiana Lib. IX. CCLX.

Omnibus flagitioſum eſt viri corpus muliebriter conſtituere & ad alieni ſexus damnare patientiam. Nihil enim diſcretum habere videntur cum fæminis. Hujuſmodi ſcelus ſpectante populo flammis vindicibus expiabunt.

Ex Concilio VVormacienſi. CCLXI.

In copulatione fidelium generationum numerum non definimus, ſed ſtatuimus, ut nulli liceat Chriſtiano de propria conſanguinitate ſeu cognatione uxorem accipere, uſque dum generatio recordatur, cognoſcitur, aut memoria retinetur.

Hæc de multimoda fornicatione ex diverſis opuſculis congeſſimus, ſacerdotum judicio reliquentes, quid ſalubrius & utilius eſſe in dandis pænitentiis decernant. CCLXII

Ex Concilio Meldenſi. CCLXIII.

Provideant viri potentes & fæminæ, ut in ſuis domibus adulteria & luxuriæ & concubinatus & inceſta adulteria non vigeant; & ſuos Presbyteros, qui cum eis in capellam vadunt, hujuſmodi virtutem habere faciant, ut in domibus ſuis omnia vitia reſecent, & orationem dominicam ac Symbolum cunctos tenere & frequentare compellant, quia Parochiani Presbyteri & Epiſcoporum miniſtri de minoribus & levioribus perſonis hoc providere ſtudebunt.

Digitized by Google

CCLXIV. Ex Capit. Lib. III.

Dictum eſt nobis, quod in quibuſdam locis Epiſcopi & Comites ab inceſtuoſis, & ab his qui Decimas non dant, vivadios accipiant, & à Presbyteris pro quibuſdam negligentiis; & inter ſe pecuniam dividunt, quod penitus abolendum decrevimus, ne forte avaritiæ locus detur.

CCLXV. Ab hinc de Furto & Rapina. Ex Pænitentiali.

Qui cupiditate captus furtum fecerit, quod abſtulerit, reddat & annos V pæniteat.

CCLXVI. Ex Lege Romana.

Pecunia eccleſiaſtica furata ſive rapta ſolvatur quadruplum, popularia dupliciter.

CCLXVII. Ex Pænitentiali.

Qui ſæpè furtum fecerit VII. annos pæniteat.

Si quis furtum capitale commiſerit, id eſt, quadrupedia tulerit, vel caſas effregerit, VII annos pæniteat, & quod furatum eſt reddat. Si quis verò de minoribus ſemel aut bis furtum fecerit, quod tulit reddat, & annum I. pæniteat in pane & aqua. Et ſi reddere non potuerit, annos III pæniteat. Si quis ſepulchrum violaverit, VII annos pæniteat, tres ex his in pane & aqua.

CCLXIIX. Ex Concilio Toletano.

Si quis Clericus in demoliendis ſepulchris fuerit deprehenſus, oportet in tali ſcelere proditum à Clericatus ordine ſubmoveri, & pænitentiæ triennio deputari.

CCLXIX. Ex Concilio Agathenſi.

Si quis Clericus furtum eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

CCLXX. Ex eodem.

Si quis Clericus aut Monachus furtum fecerit quod potius ſacrilegium dici poteſt, id cenſuimus ordinandum, ut junior virgis cæſus tanti criminis reus nunquam officium eccleſiaſticum accipiat; ſi jam ordinatus in hoc facinore fuerit deprehenſus nominis dignitate privetur; cui ſufficere poteſt pro actus ſui levitate impleta pænitentiæ ſatisfactione ſola communio.

Ex

Digitized by Google

Ex Dictis Hieronymi ad Titum. CC LXX.

Fur non ſolum in majoribus, ſed etiam in minoribus idicatur. Non enim quid furto ablatum eſt, ſed mens furantis :tenditur, quomodo in fornicatione non idcirco diverſa eſt forícatio, ſi mulier pulchra aut deformis ancilla aut ingenua, pauer aut opulenta, ſed qualiſcunque illa fuerit, una eſt fornicatio. a in furto quantumcunque quis abſtulerit, furti crimen inırrit.

S. Auguſtini Dicta. CC LXXI.

Dixit Dominus ad Moyſen: Accipiat unusquisque à proxi- 1o ſuo & proxima vaſa argentea & aurea, & veſtes &c. Non inc quisquam exemplum ſumendum putare debet ad expoliindum proximum. Hoc enim Dominus juſſit, qui noverat, uid quemquam pati oporteret, nec Iſraëlitæ fecerunt, ſed Deo ıbente miniſterium præbuerunt.

Quemadmodum cum Miniſter occidit eum, quem judex ıſſit occidi. Profectò ſi id ſponte faciat, homicida eſt non eſt ſi um occidat, qui ſic à judice occidi debuit.

Item Auguſtinus. CC LXXII.

Pænale eſt occulte auferre, multo majoris pænæ eſt viſibiter eripere. Auferre ergò nolenti ſive occultè ſive palam haet præceptum ſuum, furti enim nomine benè intelligitur omnis licita uſurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permiſit, qui ırtum prohibuit, ſed utique ſub furti nomine & rapinam intelgi voluit: à parte enim totum ſignificavit, quicquid proximo ufertur.

Ex Capit. CC LXXIII.

Si quis intra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam noſtro deli, aut ejus homini aliquid vi abſtulerit, in triplo, cui tulit, leibus componat, & inſuper bannum noſtrum perſolvat. Nam publicè actum fuerit, publicam inde agat pænitentiam juxta anctorum Canonum ſanctiones. Si verò occultè, ſacerdotum onſilio exindè agat pænitentiam, quia Raptores ut Apoſtolus it, niſi inde veram egerint pænitentiam, regnum Dei non poſdebunt. Qui verò de rebus eccleſiarum aliquid abſtulerint, graius inde vindicentur, quia ſacrarum rerum ablatio ſacrilegium

Digitized by Google

CCXCIII ## Item Lucius Papa.

Rerum eccleſiaſticarum & facultatum raptores à liminibus ſanctæ eccleſiæ anathematizantes Apoſtolica autoritate punimus & damnamus atque ſacrilegos eſſe judicamus, & non ſolùm eos, ſed etiam omnes conſentientes eis, quod non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt, rei judicentur.

CCXCIV. ## In Canonibus ſcriptum:

Auguſtinus dicit, qui aliquid de eccleſia furatur, & rapit, Iudæ Proditori comparatur.

CCXCV. Si quis oblationes eccleſiæ extra eccleſiam rapere vel dare voluerit præter conſcientiam Epiſcopi, vel ejus, cui hujuſmodi officia commiſſa ſunt, anathema ſit.

CCXCVI. ## Ex Concilio Meldenſi.

Pervaſores rerum eccleſiaſticarum, qui eas contra autoritatem non ſolùm retineri, verumetiam crudeliter depopulari noſcuntur, & qui facultates etiam eccleſiæ in diverſa collaboratione & reditibus expoliant; ſed & pauperes & vicinos & circummanentes immiſericorditer expoliant, devaſtant, & opprimunt ut rapaces, qui ſecundum Apoſtolum à regno Dei excluduntur de criminali & publico peccato publicâ pænitentiâ ſatisfaciant. Quod ſi hoc agere noluerint, & poteſtate regia ad hoc exhortati vel coacti non fuerint, proferatur contra eos Apoſtolica terribilis ſententia, quâ dicitur: Si quis frater nominatur, & eſt rapax, cum hujuſmodi nec cibum quiſquam ſumere præſumat, quia iniquum & ſacrilegium eſt, ut Symmachus Papa & per eum Beatus Gregorius Sabino Subdiacono ſcribit, & contra legem eſt, ſi quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis ſtudio ſuis compendiis tentaverit retinere, ſecundum ſtatuta Canonum ab omni eccleſiaſtica communione ut ſacrilegus debet arceri, donec ſtudeat digna ſatisfactione, quod amiſit, corrigere.

CCXCVII ## Ex eodem.

Hi qui Monaſteria & loca Deo ſacrata & eccleſias infringunt & depoſita in iis quælibet exinde abſtrahunt & ſacerdotes ac viros eccleſiaſticos non ſolum dehonorant, verum diverſis modis affligunt velut ſacrilegi Canonicæ ſententiæ ſubigantur, atque excommunicentur.

Digitized by Google

Vnde ſupra. ccxxciix

Epiſcopus, in cujus Parochia aliquis conſiſtens aliquid injuſtè fecerit, ſemel & bis atque tertiò, ſi neceſſe fuerit, vocabit illum ſuâ admonitione per ſuum nuncium canonicè ad emendationem ſive compoſitionem, & ad pænitentiam, ut Deo & eccleſiæ ſatisfaciat, quam læſit. Si autem contempſerit atque deſpexerit ejus admonitionem, & ſaluberrimam invitationem, feriat illum paſtorali virga, hoc eſt ſententia excommunicationis, ut à communione Sanctæ eccleſiæ omniumque Chriſtianorum ſit ſeparatus uſque ad congruam ſatisfactionem, & dignam emendationem, quam excommunicationem debet idem Epiſcopus Seniori illius notam facere, & omnibus coëpiſcopis, ne eum uſque ad dignam ſatisfactionem recipiant.

Ex eodem. ccxxcix

De illis, qui intra Parochiam beneficium aut hæreditatem habent, & alterius Epiſcopi Parochiani ſunt, & dum de loco ad locum iter faciunt, rapinas & deprædationes peragunt, placuit nobis & fidelibus noſtris, ut excommunicentur, nec ante ex Parochia exeant, quam quæ perpetrarunt dignè emendent. Quorum excommunicatio ſeniori eorum & proprio Epiſcopo ſignificanda eſt, ne eos recipiant ante, quàm illuc redeant, ubi rapinam fecerunt, & omnia pleniter emendent.

Vnde ſupra. c c x c.

Placuit nobis & fidelibus noſtris pro communi utilitate & inſtanti neceſſitate, ut nullus Epiſcoporum graviter ferat, ſi ejus Parochianum pro hujuſmodi deprædationis cauſa alter Epiſcopus excommunicaverit.

Ex eodem. c c x c i.

Si aliquis autem regiam poteſtatem & Epiſcopalem auctoritatem pro nihilo duxerit, & rebellis exiſtens in rapina occiſus fuerit, nemo fidelium noſtrorum, qui eum occiderit, faidam (*pœnam*) portet, neque pro ejus morte aliquid componat.

Ex Concilio. c c x c i i.

Epiſcopus ſecundum Toletani Concilii capitulum

 ſepti-

ſeptimum, ad quem pertinere noſcuntur illi, qui talia contra Deum & eccleſiæ pacem faciunt, ſi eos quolibet munere vel favore aut negligentia admonere aut excommunicare diſtulerit, ut aut revertentes ſuſcipiat aut contemnentes de eccleſia *(non)* ejiciat, excommunicatus à collegio cæterorum habebitur, quouſque emendationis vel damnationis eorum ab eo ſententia promulgetur, quam niſi communiter certaverimus, ut in omnibus juſtitia conſervetur nec Rex, Pater Patriæ nec Epiſcopi, propitiatores & reconciliatores populi, nec qui participatione nominis Chriſtiani vocamur, hoc quod humano ore dicimur, in divinis oculis eſſe valemus.

CCXCIII. Ex Concilio Moguntiacenſi.

Quisquis faſtu ſuperbiæ elatus domum Dei ducit contemptibilem & poſſeſſiones Deo ſacratas, atque ad honorem Dei ſub regia immunitatis defenſione conſtitutas inhoneſtè tractaverit, vel infringere præſumpſerit, aut incendia vel vaſtationes auſu temerario perpetraverit, quaſi invaſor & violator eccleſiæ Dei, quæ eſt Domus Dei Vivi à communione omnium fidelium abſcindatur. Decet etiam, ut indignationem Domini Regis ſentiat, cujus benevolentiæ contemptor & conſtitutionis prævaricator extitit.

CCXCIV. Ex Concilio Tolerano.

Epiſcopi in protegendis populis ac defendendis impoſitam ſibi curam non ambigant, ideoque dum conſpiciunt judices ac potentes pauperum oppreſſores exiſtere, priùs eos ſacerdotali communione redarguant & ſi contempſerint emendari, eorum inſolentiam Regis auribus intiment, ut quos ſacerdotalis admonitio non flectit ad juſtitiam, regalis poteſtas ab improbitate coërceat.

CCXCV. Ex Concilio Triburienſi.

Conqueſti ſunt quidam de quibuſdam malefactoribus, quorum tàm nimia improbitas eſt, ut admonitionem ſacerdotum non curent, bannum Epiſcoporum contemnant, ad Synodum ter quaterque vocati venire deſpiciant, ad extremum excommunicari pro nihilo ducant. De talibus etiam in Capitulari ſtatutum eſt, regiæ cognitioni ſuaderi debere, & devoto Regi Arnolpho cum

ſancta,

ſancta Synodo placuit, ut quicunque poſt excommunicationem debitam ſic parvi æſtimant Dominum & Chriſtianitatem ſeculari poteſtate proſequendos, & ſi interficiantur, jaceant absque compoſitione.

Ex Concilio Apud Sueſiones. CCXCVI.

Obtentum eſt etiam à devotiſſimo Principe Carolo, ut inceſti quilibet aliique perditi examen Epiſcoporum refugientes per judices publicos ad eorum præſentiam deducantur, ne ulterius illecebras peccandi nutriat impunitas vitiorum.

x Concilio apud Laureacum, in pago Andegavenſi Anno DCCCXLIII vel indictione V. Cap. I. Menſe Octobri. CCXCVII.

Si quis publicus divinæ legis prævaricator, vel pro manifeſtis criminibus eccleſiaſtica juſta, & rationabilia judicia contemnens repertus fuerit, ſanctorumque Patrum conſtitutionibus contradictor, ſi monitionibus Epiſcopalibus obtemperare diſtulerit, anathematizetur.

Ex eodem. Cap. II. CCXCIIX.

Si quis contra regiam dignitatem doloſè ac callidè & pernitioſe agere comprobatus fuerit, niſi digniſſimè ſatisfecerit, anathematizetur.

Ex eodem. Cap. III. CCXCIX.

Si quis poteſtati regiæ quæ non eſt juxta Apoſtolum niſi à Domino, contumaci & inflato ſpiritu contradicere vel reſiſtere præſumpſerit, & ejus juſtis & rationabilibus imperiis ſecundum Deum & autoritatem eccleſiæ ac juris civilis obtemperare noluerit, anathematizetur.

Vnde ſupra. CCC.

Quicunque ſuperbiæ facibus accenſi, vel protervia ſtomachati hæc, quæ pro ſanctæ matris eccleſiæ tranquillitate, ſacerdotalique rigore à nobis unanimiter definita, manibusque propriis roborata violaverint, placet eos omnes anathematizari.

CCCI. Ex Concilio Triburienſi.

Nobilis homo vel ingenuus ſi in Synodo accuſetur & negaverit, ſi eum fidelem eſſe ſciunt, juramento ſe purget. Si autem deprehenſus fuerit in furto atque perjurio ad juramentum non admittatur. Sed ſicut qui ingenuus non eſt, ferventi aqua & candenti ferro ſe purget.

CCCII. Ex Epiſtola Zephyrini Papæ.

Nemo abſens judicetur, quia humanæ & divinæ hoc prohibent leges. Neminem quoque accuſatorum ſententia non à ſuo judice dicta conſtringat, quia & ſeculi leges idipſum fieri præcipiunt.

CCCIII. In Lege Theodoſiana.

In Cauſis privatorum talis ratio obſervetur, ut nullus alterius judicis, niſi ſui ſententia teneatur.

CCCIV. Ex eadem.

Nullus penitus audiatur, qui unius cauſæ propoſitionem apud duos judices partiri voluerit.

Ex Capitul.

Nemo Epiſcoporum hominem peccantem ab eccleſia & Chriſtiana Religione vel communione alienet, donec illum, ut ſecundum Evangelicum præceptum ad emendationem & pænitentiam redeat, commonitum habeat. Quod ſi incorrigibilis permanſerit, regiæ poteſtati Epiſcopus notum faciat, ut confringatur. Quod ſi nec ſic correxerit, tunc ſecundum Leges Canonicas à communione eccleſiaſtica ſegregetur.

CCCV. In Synodo Meldenſi.

Nemo Epiſcoporum quemlibet ſine certa & manifeſta peccati cauſa communione privet eccleſiaſtica. Anathema autem ſine conſenſu Archiepiſcopi aut coëpiſcoporum præmiſſa etiam Evangelica admonitione nulli ponat, niſi unde canonica docet autoritas, quia anathema eſt æternæ mortis damnatio, & nonniſi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.

CCCVI. Ex Epiſtola Evariſti Papæ.

Deus omnipotens ut nos à præcipiti prolatione ſententiæ com-

compeſceret, cum omnia nuda & aperta ſint oculis ejus, mala tamen ſodomæ audita noluit judicare priuſquam manifeſtè agnoſceret, quæ dicebantur; unde ait: Deſcendam & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, annon eſt ita, ut ſciam? Cujus exemplo monemur, ne ad proferendam ſententiam unquam præcipites ſimus, aut temere indiligenterque indiſcuſſa quoquo modo judicemus. Beatus Iob dicit: cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam. Summoperè præcavere debent rectores eccleſiarum, & qui publica judicia exercent, ut in dictandis ſententiis nullatenus levitate aut furore ducti ſint præcipites, ſed cauſis priùs diligenter ventilatis, cum res quæ ignorabatur pleniter ad notitiam venerit; Tunc divina & humana lex revolvatur, & ſecundum quod ibi conſtitutum eſt, remota perſonarum acceptione definitiva proferatur ſententia. Hinc eſt, quod Moyſes querelas populi ſemper ad Dominum tabernaculum ingreſſus referebat, & juxta quod Dominus imperabat, judicia proponebat, nimirum nos inſtituens, ut non ex corde noſtro, ſed ex oraculo divino condemnationis vel juſtificationis ſententiam proferamus.

Ex Lege Theodoſiana Lib. II. Cap. XIIX. CCCVII.

Iudex cum cauſam audire ceperit, litigatorum aſſertiones vel reſponſiones patienter accipiat, & omnia plena diſcuſſione perquirat, nec priùs litigantibus ſua ſententia debet obviare, niſi quando ipſi peractis omnibus jam in contentione vel concione non habuerint, quod proponant. Frequenter interrogari oportet ne aliquid prætermiſſum fortaſſe remaneat.

Ex Dictis S. Hieronymi. CCCIIX.

Attendendum eſt, quid Dominus dicat: Si peccaverit in te frater tuus, aliud eſt peccare in nos, aliud peccare in Dominum. Si in nos aliquis peccaverit, habemus poteſtatem dimittere ei, ſi autem in Dominum quis peccaverit non eſt noſtri arbitrij. Scriptum quippe eſt: Si peccaverit vir in virum, placari poteſt ei Dominus, ſi autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo. Nos econtra in Dei injuria benigni & miſericordes ſumus, & Dei offenſam quaſi in noſtra poteſtate ſit ejus velle & ejus nolle, impunè abſque congruenti pænitentiæ vindicta donamus, cùm tamen quod in nos commiſſum eſt, nec ſaltem verbum contumeliosum

lioſum leviter prolatum ſine vindicta pertranſire patiamur. Dimittamus ergò propter Deum, quod in nos perpetratum eſt, ſed quod in Deum commiſſum eſt, quia dimittere non poſſumus juxta conſuetudinem ſanctorum Patrum, ſecundum canonicam autoritatem vindicemus.

CCCIX. Ab hinc De PERIVRIO. Ex Cap.

Habemus in lege Domini ſcriptum: Non pejerabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui, nec aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum; ideò admonendi ſunt omnes, ut diligenter caveant perjurium non ſolùm in altari ſeu ſanctorum reliquiis, ſed & in communi loquela. Item cavendum eſt, ne aliquis plus aurum honoret, quàm altare, ne ei Dominus dicat: Sulte quid eſt magis, aurum an altare, quod ſanctificat aurum.

CCCX. Item.

Sed & nobis honeſtum videtur, ut qui in Sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honeſtate & timore Dei, & ut parvuli, qui ſine rationabili ætate ſunt, non cogantur jurare.

CCCXI. Item.

Qui ſemel pejeraverit, nec teſtis ſit poſthæc nec ad ſacramentum accedat, nec in ſua cauſa vel alterius jurator exiſtat.

CCCXII Ex Concilio Ad Piſtas.

Nulli per ſacramentum alteri permittatur fidelitas, niſi nobis, & unicuique proprio ſeniori ad noſtram utilitatem & ſui ſenioris, exceptis ſacramentis, quæ juſtè ſecundum legem alteri ab altero debentur, ut à perjuriis caveatur, & non admittantur teſtes ad juramentum antequam diſcutiantur, & ſi aliter diſcuti non poſſint, ſeparentur abinvicem & ſingulariter inquirantur, & non ſoli accuſatori liceat teſtes eligere abſente ſuo cauſatore; & omnino nullus, niſi jejunus ad ſacramentum vel teſtimonium admittatur; & de ipſo pago & devicinis centeni ſeligantur, & ſi quis convictus fuerit perjurij, perdat manum, aut redimat.

CCCXIII. Ex eodem. Cap. LIIX.

Sacramenta, quæ ad palatium fuerint delata, in palatio perficiantur, & ſi ſacramentales homines venire renuerint, juſſione Dominica aut indiculo aut ſigillo venire cogantur.

Ex

Digitized by Google

Ex Lib. IV. Cap. XXVI. cccxiv.

Vbi antiquitus conſuetudo fuerit, & ubi mallum habetur, ii ſacramenta jurentur.

Ex Concilio Meldenſi. Cap. XXXVII.

Nullus deinceps Epiſcopus ſuper ſacra jurare præſumat, quod yſterij cauſa ſancti quæſierint Patriarchæ & fecerint: non enim hæſitatione & malitia exigentis, ſed in caritate non ficta fides rvatur. Quod qui tranſgredi auſu temerario præſumpſerit, quo-)et modo illectus gradus ſui periculo ſubjacebit.

Ex eodem. Cap. XXXIIX. cccxv.

Multiplex juramentorum & perjuriorum confuſio, per ıam multæ fidelium animæ in toto hoc regno perditæ eſſe no-ıntur, quam ſit deteſtanda, & Deo odibilis attentius omnibus ınuncietur. Tantum namque hoc malum eſt, ut ad ſanctuaria artyrum, ubi diverſorum ægritudines ſanantur, ibi perjuri li-t manifeſtè interdum vexari non videantur, juſto Dei judicio)æmonibus arripiantur, & ſicut Sanctus dicit Gregorius: Ad rum corpora ægri veniunt & curantur, perjuri à Dæmonio xantur.

Ex Concilio Ad Piſtas. cccxvi.

Conſtituimus unâ cum conſenſu, & cum conſilio fidelium no-orum, ut ab ipſo die, quo ſacramentum accipitur, poſt XL dies XL noctes, item quadrageſimæ ſecundo die de VII ſeptimanis a feria qui illud ſacramentum accepit, legaliter in locis conſti-is juret. Et ſi ipſa dies intra quadrageſimam evenerit, nemo are præſumat. Et ſi quis præſumpſerit bannum noſtrum com-nat, & inde pænitentiam Epiſcopali judicio faciat. Ipſam au-ı quadrageſimam à capite jejunij cum ipſa feria IV uſque per avum Paſchæ obſervari præcipimus.

Ex Concilio Apud Medardum. cccxvii.

Miſſi noſtri comitibus & omnibus Reipublicæ miniſtris ıiter ex verbo noſtro denuncient, ut à feria IV ante initium adrageſimæ uſque per octavum Paſchæ mallum publicum de concordia & pacificatione, tenere (ne) præſumant, neque uis juret.

Item

ʼliosum leviter prolatum ſine vindicta pertranſire patiamur. Dimittamus ergò propter Deum, quod in nos perpetratum eſt, ſed quod in Deum commiſſum eſt, quia dimittere non poſſumus juxta conſuetudinem ſanctorum Patrum, ſecundum canonicam autoritatem vindicemus.

CCCIX. Abhinc De PERIVRIO. Ex Cap.

Habemus in lege Domini ſcriptum: Non pejerabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui, nec aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum; ideò admonendi ſunt omnes, ut diligenter caveant perjurium non ſolùm in altari ſeu ſanctorum reliquiis, ſed & in communi loquela. Item cavendum eſt, ne aliquis plus aurum honoret, quàm altare, ne ei Dominus dicat: Sulte quid eſt magis, aurum an altare, quod ſanctificat aurum.

CCCX. Item.

Sed & nobis honeſtum videtur, ut qui in Sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honeſtate & timore Dei, & ut parvuli, qui ſine rationabili ætate ſunt, non cogantur jurare.

CCCXI. Item.

Qui ſemel pejeraverit, nec teſtis ſit poſthæc nec ad ſacramentum accedat, nec in ſua cauſa vel alterius jurator exiſtat.

CCCXII Ex Concilio Ad Piſtas.

Nulli per ſacramentum alteri permittatur fidelitas, niſi nobis, & unicuique proprio ſeniori ad noſtram utilitatem & ſui ſenioris, exceptis ſacramentis, quæ juſtè ſecundum legem alteri ab altero debentur, ut à perjuriis caveatur, & non admittantur teſtes ad juramentum antequam diſcutiantur, & ſi aliter diſcuti non poſſint, ſeparentur abinvicem & ſingulariter inquirantur, & non ſoli accuſatori liceat teſtes eligere abſente ſuo cauſatore; & omnino nullus, niſi jejunus ad ſacramentum vel teſtimonium admittatur; & de ipſo pago & devicinis centeni ſeligantur, & ſi quis convictus fuerit perjurij, perdat manum, aut redimat.

CCCXIII. Ex eodem. Cap. LIIX.

Sacramenta, quæ ad palatium fuerint delata, in palatio perficiantur, & ſi ſacramentales homines venire renuerint, juſſione Dominica aut indiculo aut ſigillo venire cogantur.

Ex

Ex Lib. IV. Cap. XXVI. cccxiv.

Vbi antiquitus conſuetudo fuerit, & ubi mallum habetur, ii ſacramenta jurentur.

Ex Concilio Meldenſi. Cap. XXXVII.

Nullus deinceps Epiſcopus ſuper ſacra jurare præſumat, quod yſterij cauſa ſancti quæſierint Patriarchæ & fecerint: non enim hæſitatione & malitia exigentis, ſed in caritate non ficta fides rvatur. Quod qui tranſgredi auſu temerario præſumpſerit, quo-bet modo illectus gradus ſui periculo ſubjacebit.

Ex eodem. Cap. XXXIIX. cccxv.

Multiplex juramentorum & perjuriorum confuſio, per uam multæ fidelium animæ in toto hoc regno perditæ eſſe no-untur, quam ſit deteſtanda, & Deo odibilis attentius omnibus nuncietur. Tantum namque hoc malum eſt, ut ad ſanctuaria artyrum, ubi diverſorum ægritudines ſanantur, ibi perjuri li-t manifeſtè interdum vexari non videantur, juſto Dei judicio Dæmonibus arripiantur, & ſicut Sanctus dicit Gregorius: Ad orum corpora ægri veniunt & curantur, perjuri à Dæmonio xantur.

Ex Concilio Ad Piſtas. cccxvi.

Conſtituimus unà cum conſenſu, & cum conſilio fidelium no-orum, ut ab ipſo die, quo ſacramentum accipitur, poſt XL dies XL noctes, item quadrageſimæ ſecundo die de VII ſeptimanis ſa feria qui illud ſacramentum accepit, legaliter in locis conſti-tis juret. Et ſi ipſa dies intra quadrageſimam evenerit, nemo rare præſumat. Et ſi quis præſumpſerit bannum noſtrum com-nat, & inde pænitentiam Epiſcopali judicio faciat. Ipſam au-n quadrageſimam à capite jejunij cum ipſa feria IV uſque per tavum Paſchæ obſervari præcipimus.

Ex Concilio Apud Medardum. cccxvii.

Miſſi noſtri comitibus & omnibus Reipublicæ miniſtris niter ex verbo noſtro denuncient, ut à feria IV ante initium adrageſimæ uſque per octavum Paſchæ mallum publicum i de concordia & pacificatione, tenere (ne) præſumant, neque-quis juret.

Item

Digitized by Google

cccxviii. **Item.**

Idem etiam à IV Feria ante Nativitatem uſque poſt conſecratos dies obſervent, nec non in jejuniis Quatuor Temporum & in Rogationibus, nullus etiam Dominico Die placitum teneat, aut ſacramentum juret.

cccxix. **Ex Concilio Aurelianenſi.**

Si quis Clericus præbuerit juramentum, & poſt rebus evidentibus detegitur pejeraſſe, biennij temporis excommuuicatione plectatur.

cccxx. **Ex Concilio Ilerdenſi.**

Qui ſacramento ſe obligaverit, ad pacem nullo modo redeat ſed pro perjurio uno anno à corpore & ſanguine Domini ſegregetur, & reatum ſuum jejuniis & eleemoſynis abſolvat. Ad charitatem verò, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter veniat.

cccxxi. **Ex Dictis S. Hieronymi.**

Cum juramento pollicitus eſt Herodes Saltatrici dare, quodcunque poſtulaſſet ab eo, ſi ob jusjurandum feciſſe ſe dicit, quid ſi patris matrisque poſtulaſſet interitum, facturus eſſet annon? quod in ſuis ergò repudiaturus fuit, contemnere debuit etiam in propheta.

cccxxii. **Ex Dictis Bedæ Presbyteri.**

Si aliquid forte nos incautius juraſſe contigerit, quod obſervatum pejorem vergat in exitum, illud conſilio ſalubriori mutandum noverimus, ac magis inſtante neceſſitate pejerandum nobis, quàm perfecto juramento in aliud crimen majus eſſe divertendum.

cccxxiii Quicunque ſciens pejeraverit, VII annos pæniteat, & poſt hæc communionem accipiat.

cccxxiv **Ex Pænitentiali ut ſupra.**

Si quis pejoraverit, ultra ad ſacramentum non admittatur.

cccxxv. **Ex eodem.**

Si quis ſuſpicatur, quod ad perjurium inducitur, & tamen ex conſenſu jurat, II annos pæniteat.

Ex

Ex eodem. cccxxvi.

Si quis per cupiditatem pejeraverit, omnes res ſuas venlat, & pauperibus diſtribuat, & monaſterium ingreſſus, jugi pæıitentiæ ſe ſubdat.

Vnde ſupra. cccxxvii.

Si quis pejurium fecerit, laici annos III, Clerici annos V, ıubdiaconus VI, Diaconus IIX, Presbyteri X. Epiſcopi XII anıos pæniteant.

Ex eodem Capit. Titulo XIV. cccxxiix.

Quicunque comprobatus fuerit, quod ſcienter teſtes in ɪerjurium induxerit, ſub fidejuſſoribus ad palatium adducatur, ıbi cum fidelibus noſtris conſideremus, quid de talibus facienlum ſit; Epiſcoporum autem erit, de pænitentia cogitare.

Ex eodem. cccxxix.

Qui compulſus à Domino pejerat, ſi ſciens, III quadrageſinas, & legitimas ferias pæniteat.

Ex eodem. cccxxx.

Qui pejerat in manu Epiſcopi vel Presbyteri aut in cruce onſecrata, III annos pæniteat.

Ex eodem. ccc xxxi.

Si verò in cruce non conſecrata, annum unum pæniteat, ſi ıtem in manu hominis, apud Græcos nihil eſt. Qui autem ſeuctus fuerit, & ignorans juravit, & poſtea cognoſcit, tres quarageſimas pæniteat.

Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet cauſa, cccxxxii. :l neceſſitate pejerat, III quadrageſimas, alij judicant III annos num ex his in pane & aqua pæniteat.

De Falſo Teſtimonio. Ex Concilio Aurelianenſi. cccxxxiii

Si quis Clericus furtum fecerit, aut falſum teſtimonium ıxerit, quia capitalia crimina ſunt, ab ordine degradetur.

Si quis cum altero de qualibet cauſa contentionem habue- cccxxxiv t, & teſtes contra eum per judicium producti fuerint, ſi ille fal-

ſos eſſe ſuſpicatur, liceat ei alios teſtes, quos meliores potuerit, contra eos opponere. Quod ſi ambæ partes ita inter ſe diſſentiunt, ut nullatenus ulla pars alteri cedere velit, eligantur duo ex ipſis, qui cum ſcutis & fuſtibus in campo decertent, & campioni, qui victus fuerit, dextra manus amputetur. Cæteri verò falſi teſtes manus ſuas redimant. Duæ partes ex hoc perſolvantur, qui calumniatus eſt, tertia pro fredo. Et hoc in ſeculari cauſa. In eccleſiaſticis verò, ubi de una parte ſeculare, de altera eccleſiaſticum negotium eſt, idem modus ſervetur. Vbi autem ex utraque parte eccleſiaſticum, ſi ſe rectores pacificare non poſſunt, advocati eorum in mallo coram comite cauſas ſuas proſequantur. Teſtes autem de ipſo comitatu eſſe debent.

cccxxxv. Vnde ſupra. Cap. XXXII.

Optimus quiſque in pago vel civitate in teſtimonium aſſumatur, & cujus, quum teſtimoniare debet, nullum crimen poſſit inferri.

cccxxxvi Ex eodem. Cap. LII.

Teſtes ad teſtimonium præmio ne conducantur. Et nullus teſtimonium dicat, niſi jejunus, & teſtes priusquam jurent ſeparatim diſcutiantur, quid dicere velint de illa re, unde teſtimonium reddere debent.

cccxxxvii Ex Concilio Agathenſi.

Eos, qui fuſè fratribus ſuis capitalia crimina objeciſſe convicti fuerint, placuit eos uſque ad exitum non communicare, niſi digna ſatisfactione pænituerint.

cccxxxviii Ex Concilio Heliberitano.

Si quis Epiſcopum aut Presbyterum vel Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine ei danda eſt communio.

cccxxxix Ex Conc. Hiſpalenſi.

Si quis Clericus de falſo teſtimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis cenſeatur.

cccxl. Ex Concilio Agathenſi.

Epiſcopus accuſatores fratrum excommunicet, & ſi emendaverint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad Clericatum.

Ex

Digitized by Google

Ex Concilio Helliberitano. CCCXLI.

Falſus teſtis prout crimen eſt, abſtinebitur, ſi tamen non fuerit mortis, quod abjecit, & probaverit, quod diu tacuit, bien-nij tempore abſtinebitur. Si autem non probaverit, in conventu Clericorum placuit, per quinquennium abſtineri.

Ex Concilio Agathenſi. CCC XLII.

Falſi, teſtes à communione eccleſiaſtica ſunt ſubmovendi, niſi pænitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.

Vnde ſupra. CCCXLIII.

Noverint falſi teſtes, quod ſi falſum teſtimonium capitale crimen non eſt, nequaquam Dominus in Evangelio inter principalia crimina enumeraſſet. Ait enim: De corde exeunt Homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia. Et ideò ſimiliter debet pænitere, & excommunicari falſus teſtis, ſicut adulter & fur, & homicida.

De Eo, qui hominem furatus fuerit. Ex Epiſtola Rabani Epiſcopi ad Reginbaldum Chorepiſcopum. CCC XLIV

Primò interrogaſti quid de eo faciendum ſit, qui hominem Chriſtianum ſollicitando fuerit furatus, & ad paganam gentem tradendo vendiderit. Ad quod tum reſpondi, Homicidij reatum ipſum hominem ſibi contrahere mihi videri. Quod & poſteà legens divinam legem in Deuteronomio ita reperi, animam pro anima Homicidam reddere debere, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c. Et rurſum: ſi quis deprehenſus fuerit ſollicitaſſe fratrem ſuum de filiis Iſraël, & vendidiſſe, accipiendo pretium, interficiatur; unde ut mihi videtur, par ſententia in lege divina eſt conſtituta de Homicida, & de fure hominem vendente. Sed & Canonica auctoritate pari modo plectendus eſt, qui fratrem ſuum furando atque ſollicitando vendiderit, & illum, qui proximum ſuum hoc eſt Chriſtianum hominem injuſtè peremerit.

De Eadem re. Ex Lege Theodoſiana. Cap. IX. Ex eodem. CCCXLV.

Hi, qui filios alienos furto abſtulerint, & ubicunque

Digitized by Google

tranſduxerint, ſive ingenuus ſive ſervus ſit, morte puniatur.

CCCXLVI. Convenit diligenter obſervare, ut nulli Iudæo ſervum Chriſtianum habere liceat, nec ad ſuam legem transferre præſumat.

CCCLVII. De Incantatoribus maleficis & ſortilegis.

Ex Conc. Ancyrano.

Qui divinationes expetunt, & more gentilium ſubſequuntur, aut in domos ſuas hujuſmodi homines introducunt exquirendi aliquid arte maleficâ, aut expiandi cauſa, ſub regula quinquennij jaceant, ſecundum gradus pænitentiæ definitos.

CCCXLIIX. Ex Concilio Braccarenſi.

Si quis Ariolos, aruſpices vel incantatores obſervaverit, aut filacteriis uſus fuerit anathema ſit.

CCCXLIX. Ex Decretis Gregorij Papæ.

Si quis Paganorum conſuetudinem ſequens divinos & ſortilegos in domum ſuam introduxerit, quaſi ut malum forâs mittant, aut maleficia inveniant, V annos pænitentiam agat.

CCCL. Ex Concilio Carthaginenſi.

Auguriis vel incantationibus ſervientem à conventu eccleſiæ ſeparandum ducimus. Similiter judaicis ſuperſtitionibus inhærentem.

CCCLI. Gregor. Papa.

Pervenit ad nos, quod quoſdam incantatores atque ſortilegos fueris ſectatus, cum omni ſollicitudine. Et zelum tuum gratum nobis fuiſſe cognoſcas: ſtudij enim tui eſt ſollicitè quærere, & quoſcunque hujuſmodi Chriſti inimicos inveneris, diſtrictâ ultione corrigere.

CCCLII. Ex Concilio Toletano.

Si quis Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus, vel quilibet ex ordine clericorum, magos, aruſpices, aut ariolos, aut certè augures, vel ſortilegos, vel eos qui profitentur ſortem aliquam, conſulere fuerit deprehenſus, ab honore dignitatis ſuæ depoſitus, monaſterij cenſuram excipiat, ibique perpetua pænitentia ſcelus admiſſi ſacrilegij luat.

CCCLIII Ex Lege Romana.

Malefici vel incantatores, vel immiſſores tempeſtatum, vel qui

Digitized by Google

ui per invocationem dæmonum mentes hominum turbant,
mni pænarum genere puniantur.

Ex eodem. CCCLIV

Quicunque pro curioſitate futurorum vel invocatorem
ɔæmonum, vel divinos, quos ariolos appellant, vel aruſpicem qui
uguria colligit, conſuluerit, capite puniatur.

Item. Ex Pænitentiali. CCCLV.

Quicunque nocturna ſacrificia dæmonum celebraverint,
el Incantationibus dæmones invocaverint, capite puniantur.

Qui auguriis vel divinationibus inſerviunt, V. annos pæni- CCCLVI
ɔant. Immiſſores tempeſtatum VII annos pæniteant.

Mulier ſi divinationes vel incantationes diabolicas fecerit, CCCLVII
ɔnum unum pæniteat, vel III quadrageſimas, vel XL dies ſecun-
ɔm qualitatem delicti.

Ex eodem. CCC LIIX.

Auguria vel ſortes, quæ falsò dicuntur ſanctorum vel divina-
ones qui eas obſervaverit, vel quarumcunque ſcripturarum,
l vota voverit, vel perſolverit, ad arborem, vel ad lapidem, vel
quamlibet rem, excepto ad eccleſiam, omnes excommunicen-
r. Si ad pænitentiam venerint, clerici annos III, Laici unum
num & dimidium pæniteant.

Ex Concilio Nannetenſi. CCCLIX.

Summo decertare debent ſtudio Epiſcopi, & eorum mini-
i, ut arbores Dæmonibus conſecratæ, quas vulgus colit, & in
nta veneratione habet, ut nec ramum, vel ſurculum inde
deat amputare, radicitus excindantur, atque comburantur. La-
des quoque, quos in ruinoſis locis & ſylveſtribus Dœmonum
lificationibus decepti venerantur, ubi & vota voventur & de-
untur, funditus effodiantur atq; in talem locum projiciantur,
i nunquam à cultoribus ſuis honorari poſſint. Et omnibus ad-
ncietur, quantum ſcelus ſit idolatria; & qui hæc veneratur, &
lit, eſt quaſi Deum ſuum neget, & Chriſtianitati abrenunciet, &
em pænitentiam inde debet ſuſcipere, quaſi idola adoraſſet,
nibusque interdicatur, ut nullus votum faciat, aut candelam
aliquod munus pro ſalute ſua rogaturus alibi deferat, niſi ad
leſiam Domino Deo ſuo. Scriptum eſt enim: Vovete & red-

dite Domino Deo veſtro. Novimus ſiquidem quanta Dominus antiquo populo per prophetas ſuos interminatus eſt, qui in lucis ſacrificabant, & in excelſis immolabant. Si quis hæc tranſgreſſus fuerit, fidem perdidit, & eſt infideli deterior. Et idcirco omnimodè ſanctæ eccleſiæ conſortio abſcindatur, & niſi dignè pænituerit, *non* recipiatur.

CCCLX. Rabanus.

De his, qui Dæmonibus immolant, Theodori Epiſcopi conſtitutiones habemus, in quibus ſcriptum eſt: Qui immolant Dæmoniis in minimis, annum pæniteant. Qui verò in magnis X annos pæniteant.

Ex eodem.

CCCLXI. Mulier ſi qua filium ſuum ponit ſupra tectum, aut in fornacem pro ſanitate febris, VII annos pæniteat. Qui ardere facit grana, ubi mortuus eſt homo pro ſanitate viventium & domus, V annos pæniteat.

CCCLXII. Rabanus ad Heribaldum.

De his etiam, ſuper quibus interrogaſti, hoc eſt de illa fæmina, quæ menſtruum ſuum ſanguinem immiſcuit cibo & potu, & dedit viro ſuo, ut comederet; & de illa, quæ ſemen viri ſui in potum bibit; & de ea, quæ teſtam hominis combuſſit, & viro ſuo dedit pro infirmitate vitanda, quali pænitentiâ ſint plectendæ, ut nobis videtur tali ſententia feriendi ſunt, ſicut magi & harioli, quia magicam artem exercuiſſe noſcuntur.

CCCLXIII. Ex Concilio Anquirenſi.

Mulier ſi cum Muliere fornicata fuerit, annos III pæniteat. Sic & illa, quæ ſemen viri ſui cibo miſcens, ut inde plus ejus accipiat amorem, pæniteat.

Vnde ſupra.

CCCLXIV. Epiſcopi Epiſcoporumque miniſtri omnibus viribus elaborare ſtudeant, ut pernicioſam, & à Diabolo inventam ſortilegam & maleficam artem penitus ex parochiis ſuis eradant, & ſi aliquem virum aut fœminam hujuſcemodi ſceleris ſectatorem invenerint turpiter dehoneſtatum de parochiis ſuis ejiciant. Ait enim Apoſtolus: Hæreticum poſt unam & ſecundam admonitionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt. Subverſi ſunt & à Diabolo capti tenentur, qui derelicto creatore ſuo, à Diabolo ſuffragia quærunt. Et ideò à tali peſte mundari debet Sancta eccleſia

Digitized by Google

eccleſiæ. Illud etiam non omittendum, quod quædam ſceleratæ mulieres retro poſt Satanam converſæ Dæmonum illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ credunt & profitentur ſe nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea & innumera multitudine mulierum equitare ſuper quaſdam beſtias, & multa terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire, ejusque juſſionibus velut Dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus ſervitium evocari. Sed utinam hæ ſolæ in perfidia ſua periſſent, & non multos ſecum in infidelitatis interitum pertraxiſſent. Nam innumera multitudo hâc falsâ opinione decepta hæc vera eſſe credit, & credendo à recta fide deviat, & in errorem paganorum revolvitur, cum aliquid divinitatis aut numinis extra unum Deum eſſe arbitratur. cccxxcvi

Ex eodem.

Sacerdotes per eccleſias populo prædicare debent, ut noverint hæc omnimodè falſa eſſe, & non à Divino, ſed à maligno Spiritu talia phantaſmata mentibus infidelium irrogari. Siquidem ipſe Satanas, qui transfigurat ſe in angelum lucis, cum mentem cujuſcunque mulierculæ ceperit, & hanc ſibi per infidelitatem & incredulitatem ſubjugaverit, illicò transformat ſe in diverſarum perſonarum ſpecies atque ſimilitudines, & mentem quam captivam tenet, inſomnis deludit modò læta, modo triſtia modo cognitas perſonas, modò incognitas oſtendens, per devia quæq; deducit, & cùm ſolus ejus ſpiritus patitur, infidelis mens hæc non in animo, ſed in corpore evenire opinatur. Quis enim non inſomnis, & nocturnis viſionibus extra ſeipſum educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis verò tàm ſtultus, & hebes ſit, qui hæc omnia, quæ in ſolo Spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? Cum Ezechiel Propheta viſiones Domini in Spiritu non in corpore viderit; & Iohannes Apoſtolus Apocalypſis ſacramenta in ſpiritu, non in corpore vidit & audivit, ſicut ipſe dicit: Statim fui in ſpiritu. Paulus non audet ſe dicere raptum in corpore. Omnibus itaque publice annunciandum eſt, quod qui talia & his ſimilia credit, fidem perdidit, & qui fidem rectam in Domino non habet, hic non eſt ejus, ſed illius, in quem credit, id eſt Diaboli. ... de Domino noſtro ſcriptum eſt, omnia per ipſum facta ſunt. Quis-

Digitized by Google

Quiſquis ergò aliquid credit poſſe fieri, aut aliquam creaturam in melius aut deterius immutari aut transformari in aliam ſpeciem vel ſimilitudinem, niſi ab ipſo creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta ſunt, proculdubio infidelis eſt.

CCCLXVI. Ex Dictis S. Ambroſii.

Apoſtolus dicit: Dies obſervatis & menſes & tempora, & annos, timeo, ne ſine cauſa laboraverim vobis. Dies obſervant, qui dicunt, die craſtino proficiſcendum non eſt, poſt craſtinum non debet aliquid inchoari, & ſic ſolent magis decipi. Hi autem colunt menſes, qui curſum Lunæ perſcrutantur dicentes: Septimâ Lunâ ſtrumenta confici non debent. Nonâ iterum Lunâ emptum ſervum domum duci non oportet; & per hæc faciliùs ſolent adverſa provenire. Tempora verò obſervant, qui dicunt, hodie veris initium eſt, & ideò feſtivitas eſt; poſt cras Vulcanaria ſunt. Et rurſum: Poſterius domum ingredi non licet. Annos ſic colunt, cùm dicunt: Kal: Ianuariis novus eſt annus, quaſi non quotidiè anni impleantur. Hæc ſuperſtitio longe debet abeſſe à ſervis Dei.

CCCLXVII. Ex Concilio Bracarenſi.

Non licet Chriſtianis traditionem gentilium obſervare vel colere elementa aut Lunam aut ſtellarum curſus & inanem ſignorum fallaciam conſiderare pro domo facienda vel *ob* ſegetes vel arbores plantandas, aut conjugia ſocianda. Scriptum enim eſt: Omnia, quæcunque facitis in verbo, aut in opere, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite, gratias agentes Deo.

CCCLXIIX. Ex eodem.

Non licet in collectione herbarum medicinalium aliquas obſervationes vel incantationes attendere, niſi tantum cum ſymbolo divino, & oratione Dominica, ut Deus & Dominus noſter honoretur.

CCCLXIX. Ex eodem.

Mulieres Chriſtianæ vanitatem in ſuis lanificiis ne obſervent, ſed Deum invocent adjutorem, qui eis ſapientiam extendi donavit.

CCCLXX. Ex Pænitentiali.

Qui manducat carnem immundam, aut morticinum aut dilaceratum à beſtia, XL dies pæniteat.

Si

Si quis neceſſitate famis cogente manducavit, multo levius pæniteat. CCCLXXI.

Qui fraudatum, raptum, vel furatum ſciens manducat, ſi pauper eſt, VII dies, ſi potens XL dies. Infirmi verò, ſi ſciunt, XV dies pæniteat. CCCLXXII.

Qui comedit & bibit contaminatum a beſtia domeſtica id eſt à cane vel catto, II. dies pæniteat.* CCCLXXIII.

De LIQVORE. Ex eodem. CCCLXXIV.

Si quis dederit alicui liquorem aliquem, in quo mus vel muſtela mortui ſunt, ſi Laicus eſt VII dies pæniteat. Si autem in cœnobio ſunt, CC Pſalmos cantent. Qui poſtea noverit, quod talem potum bibit------pſalterium cantet; ſi quis ſanguinem alicujus animalis manducaverit XL dies pæniteat.

DE SANGVINE. CCCLXXV.

Admonendi ſunt fideles, ut nullus præſumat ſanguinem manducare. Nam in principio, quando homini licentia data eſt à Deo carnem manducandi, ſanguinem interdictum legimus. Ait enim Dominus ad Noë & filios ejus: Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum, & de manu hominis. Quod non ſolùm in lege veteri ſæpiſſimè inhibetur, verum etiam in novo Teſtamento Apoſtoli primitiis ex gentibus ſub magna deliberatione ſcribunt, ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum, & fornicatione, & ſuffocato & ſanguine. Quod exponens Hieronymus dicit: Iuxta literam, inquit, hæc præcepta conveniunt omni Chriſtiano, ut morticinum non comedat tam de avibus, quàm de pecoribus, quorum nequaquam ſanguis effuſus eſt. Quæ neceſſariò obſervanda Apoſtolorum de Hieruſalem miſſa Epiſtola monet, & captum à beſtia, quia & ipſum ſimiliter ſuffocatum eſt. Et ſanguine, id eſt non manducando cum ſanguine. Si ergo de gentili vita venientibus pro ipſis fidei rudimentis & inveteratâ conſuetudine gentilitatis hæc quaſi ad ſalutem ſibi ſufficerent ſcripta ſunt quis tranſgreſſor hæc parvi pendat. Simul & hoc conſiderandum, quod idololatriæ & fornicationi ſuffocatum & ſanguis æquiparatur. Vnde omnibus annunciatur, quantum piaculum ſit ſanguinem comedere, quod idolis

& fornicationi comparatur. Si quis hæc Dominica & Apoſtolica præcepta violaverit, à communione eccleſiaſtica ſuſpendatur, uſque digne pæniteat.

CCCLXXVI. Ex Concilio Carthaginenſi.

Oblationes diſſidentium fratrum neque in ſacrario neque in Gazophylazio recipiantur.

CCCLXXVII. Ex Concilio Agathenſi.

Placuit etiam ut ſicut plerumque fit, ut quicunque odio aut longinqua inter ſe litè diſceſſerunt, & ad pacem revocari diuturna intentione nequiverunt, de eccleſiæ cætu juſtiſſima excommunicatione pellantur.

CCCLXXIIX. Ex dictis Iſidori.

Si quis diſcors & litigans, & per odium diſſidens extiterit, quouſque ad concordiam redeat à conventu & ſocietate eccleſiæ, ut canones jubent, alienus exiſtat.

CCCLXXIX. De Eadem re.

Si quis odio habens aliquem, ad pacem non revertitur, ſicut Sancti Patres ſtatuerunt, in pane & aqua excommunicetur, & ab eccleſia ſeparetur.

CCCLXXX. Ex Concilio Carthaginenſi.

Diſſidentes Epiſcopos ſi non timor Dei, Synodus reconciliet.

CCCXXCI. DE *Forenſi* IVDICIO.

Studendum eſt Epiſcopo, ut diſſidentes fratres ſive Clericos ſive Laicos ad pacem magis quàm ad judicium hortetur.

CCCXXCII. DE DEI IVDICIO.

Si aliquis manducat & bibit, aut portat ſuper ſe, unde exiſtimat Dei judicium pervertere poſſe, & exinde comprobatus fuerit, eadem ſententia feriatur, quâ magi & arioli, & incantatores feriuntur, ſcilicet VII aut V annorum pænitentia plectatur.

CCCXXCIII. De Oblationibus defunctorum. Ex Concilio Vaſenſi.

Hi qui oblationes defunctorum retinent, & eccleſiis tradere remorantur, ut infideles ab eccleſia ejiciantur.

Ex

Digitized by Google

Ex eodem. cccxxciv

Si qui oblationes aliorum fraudant, admonendi ſunt, ut reddant, quod fraudulenter abſtulerunt, ſi verò reddere noluerint uſque quo reddant, ſicut Sancta Synodus conſtituit, ab eccleſiæ ſeparentur conſortio.

Ex Concilio Agathenſi. cccxxcv.

Clerici etiam vel ſeculares, qui oblationes parentum aut donatas, aut teſtamento relictas retinere præſumpſerint, aut id, quod ipſi donaverint, eccleſiis aut monaſteriis crediderint, auferendum, velut necatores pauperum quouſque reddant ab eccleſiis excludantur.

Ex eodem. cccxxcvi.

Si quis Clericus damnum eccleſiæ voluntariè fecerit, de propriis facultatibus reddat.

Ex Concilio Agathenſi. cccxxcvii

Si aliquis ſuper mortuum nocturnis horis &c. Require in primo libro.

Seculares verò qui natali Domini, paſcha & pentecoſte non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Require in 1 lib. cccxxcviii

Ex Concilio Aurelianenſi. cccxxcix

Nulli civium Paſchæ, Natalis Domini vel Pentecoſtes ſolemnitates in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.

Ex Concilio Rotomagenſi. cccxc.

Cives, qui Paſchæ, Natalis Domini, vel Pentecoſtes feſtivitatibus Epiſcopis intereſſe neglexerint triennio communione priventur.

Populus admoneatur, ut in Dominicis, & feſtis diebus omnes ad veſperas & nocturnas vigilias & ad miſſam omnimode occurrant, & ut decani in civitatibus & vicis publicis viri veraces & Deum timentes conſtituantur, qui deſides & negligentes commoneant, ut ad Dei ſervitium abſq; occaſione properent, & ut ipſi decani ſacramento adſtringantur, ut nulla interveniente cauſa ſcilicet aut amoris aut timoris aut propinquitatis negligen- cccxci.

gligentes, & tranſgreſſores reticeant, quin in ſacerdotibus proprias eorum culpas manifeſtent. Sacerdotum autem erit ita eorum vitia Zelo & amore divino cum debita diſciplina corrigere, ſicut ipſi nolunt pro aliorum erratis ſententiam juſtæ damnationis ſuſcipere. & ut dies feſti à veſpera uſque ad veſperam abſque opere ſervili cum debito honore celebrentur.

cccxcii. Si quis autem pro culpa ſua fuerit ab oratione ſuſpenſus, nullus cum eo orandi aut loquendi habent licentiam antequam reconcilietur. Nam qui ſe orationi, vel confabulationi ejus antequam à Priore recipiatur, inconſiderata pietate ſociare præſumpſerit, ſimiliter damnatus efficitur.

cccxciii.

Item Iſidorus.

Cum excommunicato neque orare, neque loqui, neque veſci cuiquam licet.

cccxciv. Si quis frater aut palam aut abſcondite cum excommunicato fuerit locutus, communem cum eo excommunicationis contrahat pænam.

cccxcv.

Ex dictis Fructuoſi Epiſcopi.

Cum excommunicato nullus loquatur, neque qualibet eum compaſſione vel miſeratione refoveat, neque ad contradictionem vel ſuperbiam confortare præſumat.

cccxcvi.

Ex regula Sancti Benedicti.

Si quis fratri excommunicato quolibet modo ſe junxerit, aut mandatum ei direxerit, ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.

cccxcvii

Item.

Is autem frater, qui gravioris culpæ noxa tenetur, ſuſpendatur à menſa, ſimul & ab oratorio; nullus ei jungatur in conſortio, neque in colloquio.

cccxciix

Ex Concilio Antiocheno.

Cum excommunicatis non licet communicare, nec cum his qui per domos conveniunt, devitantes orationes eccleſiæ, ſimul orandum eſt. Si quilibet autem ex Clero deprehenſus fuerit, cum excommunicatis communicare, etiam iſte privetur communione.

Ex

Digitized by Google

Ex Canonibus Apoſtolorum. ccccxix.

Si quis cum excommunicato ſaltem in domo oraverit, iſte communione privetur.

Ex Concilio Niceno. CCCC.

De his, qui communione privantur, ſeu ex Clero ſive ex Laico ordine ab Epiſcopis, ſententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne puſillanimitate aut contentione vel alio vitio Epiſcopi videatur à communione ſecluſus.

Ex Concilio Antiocheno. CCCCI.

Si quis à proprio Epiſcopo communione privatus eſt, non ante ſuſcipiatur ab aliis Epiſcopis, quàm ſuo reconcilietur Epiſcopo.

Ex Canone Apoſtolorum. CCCCII.

Si quis cum damnato Clerico veluti cum Clerico ſimul oraverit, iſte damnetur.

Si quis Epiſcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter aut Diaconus à ſuo Epiſcopo auſi fuerint aliquid de miniſterio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis. CCCCIII.

Item placuit univerſo Concilio, ut qui excommunicatus fuerit pro ſuo neglectu, ſive Epiſcopus, ſive quilibet Clericus & tempore excommunicationis ſuæ ante audientiam communionem præſumpſerit, ipſe in ſe damnationis judicetur ſententiam promiſiſſe. CCCCIV.

Ex Concilio Sardicenſi. CCCCV.

Si Epiſcopus exterminare voluerit clericum ſuum de eccleſia providendum eſt, ne innocens damnetur, & ideò habeat poteſtatem, ut Epiſcopos finitimos interpellet & cauſa ejus audiatur, ac diligentiùs tractetur quia non oportet negari audientiam roganti, & Epiſcopus patienter accipiat, ut aut probetur ſententia ejus, aut emendetur.

Ex Canonibus Apoſtolorum. ccccvi.

Si quis Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus juſtè ſuper certis criminibus depoſitus auſus fuerit attrectare miniſterium ſibi dudum commiſſum, hic ab eccleſia penitus abſcindatur.

cccc vii. **Ex Concilio Rotomagenſi.**

Nullus Epiſcopus Presbyterum accuſatum ab officio miſſæ removeat, niſi ad cauſam ſuam dicendam die ſtatuta literis evocatus minimè occurrerit. Idem infra ſpacium menſis, & ſi poſt menſem ſecundùm non occurrerit, tunc ab officio ſuſpendatur, quouſque pro ſe rationem reddat. Si enim Laici non canonicè excommunicantur, niſi tertio fuerint vocati atque commoniti, indignum videtur, ut ſacerdotibus denegetur, qui majoris ordinis & dignitatis ſunt, quod laicis regula eccleſiaſtica indulgenter permittit, pro tanto enim habetur ſacerdotem ab officio removere, pro quanto Laicum à communione eccleſiæ ceſſare. Nam unde Laici excommunicantur, inde Presbyteri ab officio altaris ſubmoventur.

cccciix. **Qualiter Epiſcopus excommunicare debet require. Vnde ſupra Lib. I. Ca. CCXCI.**

Epiſcopus cum excommunicare vel anathematizare aliquem infidelem pro certis & manifeſtis ſceleribus diſpoſitum habet, poſt Lectionem Evangelij clerum & plebem ita debet alloqui;

ccccix. **Allocutio.**

Noverit Charitas veſtra, fratres mei, quod quidam vir nomine N. N. Diabolo ſuadente poſtponens Chriſtianam promiſſionem, quam in Baptiſmo profeſſus eſt per Apoſtaſiam converſus poſt Satanam, cui abrenunciavit & omnibus operibus ejus, vineam Chriſti, id eſt, eccleſiam ejus devaſtare, & deprædare non pertimeſcit, pauperes Chriſti, quos precioſo ſanguine ſuo redemit violenter opprimens, & interficiens, & bona eorum diripiens. Vnde quia filius hujus noſtræ eccleſiæ, cui Deo autore præſidemus, debuerat eſſe, quia in ea per aquam & Spiritum Sanctum renatus eſt, & inter adoptivos filios Dei adnumeratus eſt, quamvis modo filius Diaboli ſit imitando Diabolum, ſolliciti, ne per negligentiam paſtoralem aliqua de ovibus nobis creditis depereat, proqua in tremendo judicio ante principem Paſtorum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum rationem reddere compelleremur, juxta quod ipſe terribiliter nobis comminatur dicens: Si non adnunciaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguis ejus de manu tua requiratur; miſimus

Digitized by Google

miſimus ad eum Presbyterum noſtrum, & literas commonito-
rias ſemel & iterum atque tertio invitantes eum Canonicè ad
mendationem, & ſatisfactionem, & pænitentiam, corripentes
um paterno affectu. Sed ipſe proh dolor Diabolo cor ejus indu-
ante monita ſalutaria ſprevit & in cæpta malitia perſeverans ec-
leſiæ Dei, quam læſit, ſuperbiæ ſpiritu inflatus ſatisfacere dedi-
natur. De talibus itaque tranſgreſſoribus, & ſanctæ religionis
acisque, quam Chriſtus ipſe ſuis diſcipulis dedit atque reliquit,
iolatoribus præcepta dominica & Apoſtolica habemus, quibus
nformamur, quid de hujuſmodi prævaricatoribus agere nos
porteat; Ait enim Dominus in Evangelio: Si peccaverit in te
rater tuus, corripe eum. Fratres, in unoquoque noſtrum peccat,
ui in ſanctam eccleſiam peccat. Si enim ſancta eccleſia unum
orpus eſt, cujus corporis caput Chriſtus eſt, ſinguli autem ſumus
lter alterius membra, & dum patitur unum membrum, com-
atiuntur omnia membra, procul dubio in nos peccat, qui mem-
ra noſtra lædit. Iubet ergò Dominus, ut frater, id eſt, Chriſtia-
ius in nos peccans primò ſecretè corripiatur, deinde cum
eſtibus redarguatur, noviſſimè in conventu eccleſiæ publicè
onveniatur. Quod ſi has tres admonitiones, & pias cor-
eptiones contemnit & ſatisfacere deſpicit, poſt hæc ſit
ibi, inquit, ſicut Ethnicus, id eſt, gentilis, atque paganus,
it non jam pro Chriſtiano ſed pro pagano habeatur, & in alio lo-
o: membrum, quod à ſua compage reſolvitur, & à junctura cari-
atis diſſociatur, & omne quod ſcandalizat, Dominus abſcindi &
rojici jubet, dicens: Si oculus vel manus vel pes tuus ſcandali-
at te, erue eum & projice à te. Et Apoſtolus: Auferte, inquit,
nalum ex vobis. Item: Infidelis ſi diſcedat, diſcedat. Et in alio
oco rapaces à regno Dei excludit, dicens: Neq; rapaces regnum
Dei poſſidebunt. Et alibi: Si quis frater nominatur, & eſt forni-
ator, aut adulter aut homicida, aut rapax, cum hujuſmodi nec
ibum ſumere licet. Et Iohannes dilectus præ cæteris Chriſti di-
cipulus talem nefarium hominem ſalutare prohibet dicens:
Nec ei ave dixeris, neque eum in domum recipias: Qui enim ei
ve dicit, communicat operibus ejus malignis. Dominica ita-
ue atque Apoſtolica præcepta adimplentes membrum putridum,
 inſanabile, quod Medicinam non recipit, ferro excommunica-
tionis

Digitized by Google

tionis à corpore eccleſiæ abſcindamus, ne tam peſtifero morbo reliqua membra corporis veluti veneno inficiantur.

CCCCX. Excommunicatio.

Igitur quia monita noſtra & crebras exhortationes contemnit, quia tertiò ſecundum Dominicum præceptum vocatus ad emendationem, & pænitentiam venire deſpexit, quia culpam ſuam necdum cognovit, nec confeſſus eſt, nec miſſa nobis legatione, qui cauſam ipſius exequimur (quia noſter Parochianus eſt) veniam poſtulavit, quia in cæpta malitia, Diabolo cor ejus indurante perſeverat, & juxta quod Apoſtolus dicit, ſecundum duritiam ſuam & cor in pænitens theſaurizat ſibi iram in die iræ, idcirco nos eum cum univerſis complicibus & communicatoribus fautoribusque ſuis judicio Dei omnipotentis Patris, Filij & Spiritus Sancti & Beati Petri Principis Apoſtolorum, & omnium ſanctorum, necnon & noſtræ mediocritatis auctoritate & poteſtate nobis divinitus collata ligandi & ſolvendi in cælo & in terra à precioſi corporis & ſanguinis Domini perceptione, & à ſocietate omnium Chriſtianorum ſeparamus, & à liminibus ſanctæ matris eccleſiæ in cælo & in terra excludimus, & excommunicatum & anathematizatum eſſe decernimus, & damnatum cum Diabolo & Angelis ejus, & omnibus reprobis in igne æterno judicamus, niſi fortè à Diaboli laqueis reſipiſcat, & ad emendationem & pænitentiam redeat, & eccleſiæ Dei, quam læſit, ſatisfaciat. Et reſpondeant omnes tertiò Amen. Aut: Fiat, Fiat! Aut Anathema ſit! Debent autem XXII ſacerdotes Epiſcopum circumſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram, & pedibus conculcare. Poſt hæc Epiſcopus plebi ipſam excommunicationem communibus verbis debet explanare ut omnes intelligant quàm terribiliter damnatus ſit, & ut noverint, quod ab illa hora in reliquum non pro Chriſtiano, ſed pro pagano habendus ſit. Et qui illi quaſi Chriſtiano communicaverit, aut cum eo manducaverit, aut biberit, aut eum oſculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit, niſi fortè ad ſatisfactionem & pænitentiam eum provocare ſtuduerit, proculdubio ſimiliter ſit excommunicatus. Deinde Epiſtolæ Presbyteris per Parochiam mittantur, continentes modum excommunicationis, in quibus jubea-

Digitized by Google

ubeatur, ut omnibus Dominicis diebus poſt lectionem Evangeij plebibus ſibi commiſſis publicè annuncient ipſam excommunicationem, ne quis per ignorantiam communicet excommuniato. Oportet, etiam, ut aliis Epiſcopis ipſa excommunicatio nanifeſtetur. Præcipit enim Toletanum Concilium, ut invicem nox ſcripta percurrant per omnes Provinciæ Epiſcopos, quoſunque adire potuerint, ut excommunicatus audiatur. Seniori tiam ejus ipſa excommunicatio debet nota fieri.

Alia excommunicationis Allocutio. CCCCXI.

Audiſti dilectiſſime, quanta & quam horrenda pravitatis ac niquitatis opera N. N. à Diabolo inſtigatus perpetrare non timuerit, & quomodo per Apoſtaſiam à Chriſtianæ religionis cultu profana mente receſſerit; Audiſti, quemadmodum canonicè id ſatisfaciendum evocatus ſit, ſed venire diſtulerit, quomodo requenter admonitus, ut reſipiſceret à Diaboli laqueis, quibus enebatur adſtrictus ſaluberrimas admonitiones obduratis auribus cordis audire contempſerit. Dominus dicit in Evangeliis, de tali contumaci fratre, qui eccleſiaſticam renuit ſuſcipere correptionem, ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi, inquit, ſicut ethnicus & publicanus, id eſt, jam non eſt computandus inter Chriſtianos, ſed inter paganos. Hinc Paulus Domini & Magiſtri doctrinam ſequens Corinthios redarguit, quare cum criminoſis ac ſceeratis communionem haberent, dicens: Vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrum, id eſt, eparetur à veſtro conſortio, qui tale ſcelus operatus eſt. Et adungit; Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu jam udicavi, ut præſens, eum, qui ſic operatus eſt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini mei Ieſu tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis. Et poſt pauca: Scripſi vobis, ne commiſceamini fornicariis. Et latim infert: Si quis frater appellatur, id eſt Chriſtianus, & fornicaor eſt aut rapax, cum hujuſmodi nec cibum ſumite. Et alibi: Auferte malum ex vobis, & infidelis ſi diſcedat, diſcedat: una enim ovis morbida omnem gregem contaminat, & modicum fermenum totam maſſam corrumpit, & plerumque unum membrum puridum totum corpus inficit, & ideò tàm pernicioſa peſtis à corpore eccleſiæ radicitus evellatur.

cccc xii

Excommunicandi Formula.

Dominicis igitur atque Apoſtolicis informati præceptis, judicio Patris, & Filij ejus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti & auctoritate & poteſtate, Apoſtolis Apoſtolorumque ſucceſſoribus à Deo conceſſa una vobiſcum prædictum peſſimum virum a liminibus ſanctæ matris eccleſiæ excludimus, & ab omni ſocietate, & communione Chriſtiana ſeparamus, ſeparatumque eſſe in æternum decernimus, id eſt, in præſenti ſeculo & futuro. Nullus Chriſtianus ei ave dicat, aut eum oſculari præſumat, Nullus presbyter miſſam celebrare cum eo audeat, vel ſacroſanctum corpus & ſanguinem Domini tradere. Nemo ei jungatur in conſortio, neque in aliquo negotio. Et ſi quis ei ſe ſociaverit, & communicaverit ejus operibus malignis, noverit ſe ſimili percuſſum *iri* anathemate; his exceptis, qui ob hanc cauſam ei junguntur, ut eum revocent ab errore, ac provocent ad ſatisfactionem, niſi forte reſipuerit, & Dei gratia inſpirante ad pænitentiæ remedium converſus fuerit, & digna emendatione eccleſiæ Dei, quam læſit, humiliter ſatisfecerit.

cccc xiii.

Terribilior Excommunicatio.

Canonica inſtituta & ſanctorum Patrum exempla ſequentes eccleſiarum Dei violatores, videlicet raptores, deprædatores & Homicidas N. N. in nomine Patris & Filij & in virtute Spiritus Sancti, nec non auctoritate Epiſcopis per Petrum Principem Apoſtolorum divinitus collata à ſanctæ matris eccleſiæ gremio ſegregamus, ac perpetuæ maledictionis anathemate condemnamus, ſintque maledicti in civitate, maledicti in agro, maledictum horreum eorum, & maledictæ reliquiæ illorum, maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ illorum, Maledicti ſint ingredientes, & maledicti egredientes, ſintque in domo maledicti, in agro profugi, veniantque ſuper eos omnes illæ maledictiones, quas Dominus per Moyſen in populum divinæ legis prævaricatorem ſe eſſe miſſurum intentavit, ſintque anathema maranatha id eſt pereant in ſecundo adventu Domini. Nullus eis Chriſtianus ave dicat, nullus Presbyter miſſam celebrare præſumat, vel ſanctam communionem dare. Sepulturâ aſini ſepeliantur & in ſterquilinum ſint ſuper faciem terræ. Et ſicut hæ lucernæ de manibus noſtris projectæ hodiè extinguuntur, ſic eorum lucerna in æternum.

Digitized by Google

æternùm extinguatur, niſi forte reſipuerint, & eccleſiæ Dei, quam læſerunt per emendationem & condignam pænitentiam ſatisfecerint.

Excommunicatio Brevis. CCCCXIV.

Canonica inſtituta & ſanctorum Patrum exempla ſequentes eccleſiarum Dei violatores N. N. auctoritate Dei & judicio Sancti Spiritus à gremio Sanctæ matris eccleſiæ & conſortio totius Chriſtianitatis eliminamus, quouſque reſipiſcant, & eccleſiæ Dei ſatisfaciant.

Reconciliatio vel Receptio Excommunicati. CCCCXV.

Cum aliquis excommunicatus vel anathematizatus pænitentia ductus veniam poſtulat, & emendationem promittit, Epiſcopus, qui eum excommunicavit, ante jannas eccleſiæ venire debet, & XII Presbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumſtare debent, ubi etiam adeſſe debent illi, quibus injuria vel damnum illatum eſt, & ibi ſecundum leges divinas & humanas oportet damnum commiſſum emendari, aut ſi jam emendatum eſt, eorum teſtimonio comprobari. Deinde interroget Epiſcopus, an pænitentiam juxta quod canones præcipiunt pro perpetratis ſceleribus ſuſcipere velit, & cum ille terræ proſtratus veniam poſtulat, culpam confitetur, pænitentiam implorat, de futuris cautelam ſpondet, tunc Epiſcopus apprehensâ manu ejus dextrâ eum in eccleſiam introducat, & ei communionem & ſocietatem Chriſtianam reddat. Poſt hæc ſecundum modum culpæ pænitentiam ei injungat, & literas per parochiam dirigat, ut omnes noverint, eum in ſocietate Chriſtiana receptum. Aliis etiam Epiſcopis hoc notum faciat. Nullus autem Epiſcopus alterius Parochianum excommunicare, vel reconciliare præſumat, ſine conſcientia vel conſenſu proprij Epiſcopi.

De Maledictoribus Parentum. Ex Concilio Rhotomagenſi. CCCCXVI.

Si quis Patrem aut matrem percutit, vel maledicit quia capitalia crimina commiſit, publicam agat pænitentiam, ſicuti de gravioribus peccatis. Ait enim Dominus: Qui maledixerit Patri, aut matri, morte moriatur; quem enim Dominus dignum morte judicat, proculdubio pro homicida tenetur, & ſicut homicida pæniteat.

Digitized by Google

CCCCXVII. De Paſtotibus pecorum. Vnde ſupra.

Admonere debent ſacerdotes plebes ſibi ſubditas, ut bubulcos, atque porcarios vel alios paſtores, qui in agris aſſiduè commorantur vel in ſylvis, & ideò more pecudum vivunt, in Dominicis & aliis feſtis diebus ſaltem ad miſſam faciant, vel permittant venire. Nam & hos Chriſtus precioſo ſanguine ſuo redemit. Quod ſi neglexerint, pro animabus eorum absque dubio rationem ſe reddituros ſciant. Siquidem Dominus veniens in hunc mundum non elegit oratores atque nobiliores quosque ſed piſcatores atque idiotas ſibi diſcipulos aſcivit, ut oſtenderet in facto, quod ipſe verbo in evangelio affirmat dicens: Quod hominibus altum eſt, abominabile eſt apud Deum. Et ſalva altiore intelligentia, nativitas noſtri redemptoris primo omnium paſtoribus ab Angelo nunciatur.

CCCCXIIX. De Confeſſione, de pænitentia, de decimis, & de ebrietate, & de vomitu poſt Euchariſtiam in primo libello ſupra actum eſt.

De Mendicis. Ex Concilio Turonenſi.

Vnaquæque civitas pauperes & egenos alimentis congruentibus paſcat ſecundum vires, & tàm vicini Presbyteri, quàm cives unusquisque ſuum pauperem nutriat, quo fiat, ut ipſi pauperes per alias civitates non vagentur.

CCCCXIX. Ex Capitulari Lib. I. Cap. CXVI.

De mendicis, qui per patrias diſcurrunt, volumus, ut unuſquiſque fidelium noſtrorum ſuum pauperem de beneficio aut de propria familia nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando. Et ubi tales inventi fuerint, qui laborare manibus poſſunt, & non faciunt, nullus eis quicquam tribuere præſumat.

CCCCXX. De Contemtoribus Cleri. Vnde ſupra.

Quisquis bannum vel excommunicationem Epiſcopi vel Presbyteri ſui ſuperbiendo parvipenderit, hic talis ab eccleſia penitus evellatur. Ait enim Dominus ad Moyſen, Anima, quæ ſuperbiendo mandatum Domini tranſgreſſa fuerit, peribit de populo ſuo. Hinc Dominus in Evangelio: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Et

Digitized by Google

nit. Et Moyſes contumacibus dicit: Non contra me eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. Et Dathan & Abiram vivi abſorpti ſunt, quia inſurrexerunt adverſus eundem Moyſen, & ejus mandatum ſpreverunt, & ideò tale ſcelus graviſſimè vindicandum eſt.

De Contumacia. Ex Capit. Titulo X. ccccxxi.

Si quis Presbyter ab Epiſcopo ſuo fuerit degradatus, aut ab officio pro certis criminibus ſuſpenſus, & ipſe per contemtum & ſuperbiam aliquid de Miniſterio ſibi interdicto agere præſumpſerit, & poſtea ab Epiſcopo ſuo correptus in cæpta præſumptione perduraverit, hic omnimodè excommunicetur, & ab eccleſia expellatur. Et quicunque cum eo communicaverit ſcienter, ſimiliter ſciat ſe excommunicatum. Similiter de clericis, Laicis, vel fæminis excommunicatis obſervandum eſt. Quod ſi aliquis iſta omnia contempſerit, & Epiſcopus emendare minimè potuerit, Regis judicio exilio damnetur.

De Hoſpitalitate. Ex Conc. ad Palatium Vernis. ccccxxii.

Placuit nobis & noſtris fidelibus, ut Presbyteri ſuos Parochianos admoneant, ut & ipſi hoſpitales *ſint* & nulli iter facienti manſionem denegent, & ut omnis occaſio rapinæ tollatur, nihil carius vendant tranſeuntibus, niſi quantum in mercato vendere poſſunt. Quod ſi carius vendere voluerint, ad Presbyterum tranſeuntes referant, & illius juſſu cum humanitate eis vendant.

De Honorandis Presb. Vnde ſupra. ccccxxiii.

Si quis Presbyterum proprium inhonorat aut verbo aut facto contumeliam facit, tamdiu à liminibus eccleſiæ arceatur, quouſque per condignam pænitentiam ſatisfaciat. Ait enim Apoſtolus: Presbyteri qui præſunt duplici honore digni habeantur. Item alibi dicit: Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjicite *vos* eis &c.

Ex Concilio ad Sanctum Medardum. ccccxxiv.

Miſſi noſtri omnibus per ſingulas Parochias denuncient, ſi Epiſcopus aut Miniſtri Epiſcoporum colonos flagellaverint cum virgis propter metum aliorum, ut criminoſi corrigantur cum tali diſcretione ſine ulla occaſione indebita, ſicut in Synodo

 collo-

Digitized by Google

collocatum eſt, ut vel inviti pænitentiam agant, ne æternaliter pereant, ſi ſeniores ipſorum Colonorum indignè tulerint, & aliquam vindictam exercere voluerint, aut eoſdem colonos ne diſtringantur, contendere præſumpſerint, ſciant, quia & bannum noſtrum componant, & ſimul cum excommunicatione eccleſiaſtica noſtram harmſcaram duriſſimam ſuſtinebunt.

CCCCXXV

De Profugis.

De advenis, qui oppreſſione Nortmannorum vel Britannorum in partes iſtorum regnorum confugerunt, ſtatuerunt ſeniores veſtri, ut à nullo Reipublicæ miniſtro quamcunque violentiam vel oppreſſionem aut exactionem patiantur, ſed liceat eis conductum ſuum quærere, donec pace reddita aut ipſi redeant ad loca ſua, aut ſeniores illorum eos recipiant. Nullus autem eos inſervire præſumat, eo quod loco mercenarij apud aliquem manſerint, nec cenſum aut tributum *ab eis* exigere. Quod ſi inventus fuerit ex Reipublicæ miniſtris aut alius quilibet contra hoc pietatis præceptum facere aut feciſſe, bannum noſtrum exinde componat.

CCCCXXVI

De Advenis. Vnde ſupra.

Pervenit ad aures ſacerdotum quod profugi, qui paganorum manus omnibus bonis amiſſis vix evaſerunt, in regionibus noſtris à quibuſdam injuſte opprimantur, & in ſervitutem redigantur contra divinas humanasque leges, cum Dominus per Prophetam dicat: Advenæ ne feceritis calumniam in loco hoc & habitabo vobiſcum. Et iterum: Advenam non contriſtabitis, & multa his ſimilia. Tales igitur ſeveriter corripiendi ſunt, & de manibus eorum advenæ eruendi, juxta quod ſcriptum eſt: Eripiens inopem de manu fortioris ejus &c. Nam advenæ apud fratres ſuos, id eſt, Chriſtianos mercenarij debent eſſe, non ſervi. Si autem in ſervitutem redigantur, quid illis profuit paganorum manus effugiſſe, cum captivitatis jugum & duræ ſervitutis non effugerint? Et ideò contra hanc credulitatem ſacerdotum debet pietas decertare, ne pro tam immani malitia ira divina populum Chriſtianum conſumat.

CCCCXXVII

De Menſuris. Ex Cap. Ad Piſtas.

Comites & omnes Reipublicæ miniſtri ſeu cæteri fideles noſtri provideant, quatenus juſtus modius, & æquus ſextarius ſecundum ſacram ſcripturam & capitula prædeceſſorum noſtrorum

rum

rum in civitatibus, & in vicis vel in villis ad vendendum & emendum fiat, & menſuram ſecundum antiquam conſuetudinem de palatio noſtro accipiant. Et ſi cui reputatum fuerit, menſuram adulteraſſe, ſi liber homo eſt, aut ſacramento ſecundum ſuam legem ſe expurget, aut ſi culpabilis invenitur, bannum noſtrum perſolvat, & à miniſtris Reipublicæ tollatur, quod cum injuſta menſura vendere voluit. Si autem colono, aut ſervo hoc reputatum fuerit, judicio Dei ſe inde examinet, & ſi convictus fuerit, perdat rem, id eſt, hoc unde menſuram adulteratus eſt. Inſuper & nudo corio virgis cædatur & ſive ſervus ſive liber, poſt legalem emendationem Epiſcopale judicium ſuſcipiat, quia contra interdictum Dei fecit. Ait enim: Aequus tibi ſit modius, & ſextarius æquus, Et alibi: Menſuram & menſuram odit Dominus. Et item: Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. Quod peccatum inter illa capitalia peccata computatur, de quibus Apoſtolus dicit, quod qui ea fecerit, cum hujusmodi nec cibum ſumere Chriſtiano licet. Similiter per civitates & vicos atque mercatus miniſtri Reipublicæ provideant, ne illi, qui panem & carnem per deneradas, & vinum per ſextarios vendunt menſuram adulterent, ſed quantos menſurabiles panes de juſto modio in unaquaque civitate Epiſcopi vel Abbates à ſuis piſtoribus recipiunt, tantos menſurabiles panes de eodem modio à piſtoribus, qui panem vendunt, fieri faciant. Quod ſi inventi fuerint, menſuram adulterare vel minuere, damnum ſuſtineant, & virgis cædantur. Homines etiam, quibus hoc commiſſum eſt, provideant, ne menſuræ minorentur, ſi de perjurio, quod juraverunt, quod hoc conſentire non debuiſſent, fuerint convicti, ſecundum legem puniantur, aut perdant manum, aut redimant, aut grave damnum ſuſtineant, & poſtea ab Epiſcopo de perjurio publicam pænitentiam accipiant.

Ex Capitulari Lib. III. Cap. XC. CCCCXXIII.

Æquales menſuras & pondera æqualia omnes habeant, ſive in civitatibus ſive in monaſteriis ad dandum invicem, ſive accipiendum, ſicut in lege Domini præceptum habemus.

De Conſpirationibus. Ex Conc. Chalcedonenſi. CCCCXXIV.

Conjurationis vel conſpirationis crimen etiam ab exteris legibus eſt

bus eſt omnino prohibitum, multò magis hoc in Dei eccleſia ne fiat, admonere convenit. Si qui ergò Clerici vel Monachi reperti fuerint conjurantes aut conſpirantes, aut inſidias ponentes Epiſcopis aut Clericis, gradu proprio penitus abſcindantur.

CCCCXXX. Ex Cap. Lib. I. Hitulo XXIIX.

Nec clerici nec Monachi conſpirationem vel inſidias contra paſtorem ſuum faciant.

CCCCXXXI. Ex Concilio Ad piſtas.

Nos Epiſcopi autoritate Dei & ſacrorum Canonum, ſicut ſancti Pontifices DCXXX Chalcedonenſis Concilij conjurationem fieri prohibuerunt, & ſicut cætera Epiſcoporum Concilia hujuſmodi pernicioſa facta vetuerunt, & nos prohibemus, quia facientes illa per eorum judicium, qui cum Deo jam in cælo regnant, & à cæleſti eccleſia & Chriſtianorum ſocietate ſeparati ſint, niſi per dignos pænitentiæ fructus ad hoc redeant, ut ſanctæ eccleſiæ poſſint readunari.

CCCCXXXII Ex Cap. Lib. III. Cap. IX.

Conſpirationes verò quicunque facere præſumpſerint, & ſacramento quocunque conſpirationem firmaverint, triplici ratione judicentur, Primò ut ubicunque aliquod malum per hoc perpetratum fuit, auctores facti interficiantur. Adjutores verò illorum ſinguli alter ab altero flagellentur, & nares ſibi invicem præcidant. Vbi verò nihil mali perpetratum eſt, ſimiliter quidem inter ſe flagellentur. & capillos ſibi viciſſim detondeant. Si verò per dextras conſpiratio facta fuerit, ſi liberi ſunt, aut jurent cum idoneis juratoribus, aut ſi hoc facere non poſſunt, ſuam legem componant; ſi verò ſervi ſunt, flagellentur.

CCCCXXXIII. De Confratriis. Ex Concilio Nannetenſi.

De collectis vel confratriis, quas conſortia vocant, ſicut verbo monuimus, & nunc ſcriptis expreſsè præcipimus, ut tantum fiat, quantum rectum ad autoritatem & utilitatem atque ad ſalutem animæ pertinet. Vltra autem nemo nec ſacerdos neque fidelis quiſquam in parochia noſtra progredi audeat id eſt, ut in omni obſequio religionis, videlicet in oblatione, in luminaribus, in orationibus mutuis, in exequiis defunctorum, in eleemoſynis & cæteris pietatis officiis. Paſtos autem & commeſſationes, quas divina

Digitized by Google

divina auctoritas vetat, ubi & gravedines & indebitæ exactiones & turpes ac inanes lætitiæ & rixæ, ſæpè etiam ſicut experti ſumus uſq; ad homicidia & odia & diſſenſiones accidere ſolent, adeò penitus interdicimus, ut qui contra hoc decretum agere præſumpſerit, ſi Presbyter fuerit, vel quilibet Clericus, gradu privetur; ſi Laicus eſt, aut fæmina ab eccleſia uſque ad ſatisfactionem ſeparetur. Conventus autem talium confratrum neceſſe ſi fuerit, ut ſimul conveniant, aut forte aliquis contra parem ſuum diſcordiam habuerit, quem reconciliari neceſſe ſit, & ſine conventu Presbyterorum & cæterorum eſſe non poſſit, poſt peracta illa, quæ Dei ſunt & Chriſtianæ religioni conveniunt, & poſt debitas admonitiones, ſi contigerit ut veræ caritatis & fraternæ invicem conſolationis *ergo* omnes ad refectionem conveniant, ſic talia fieri permittimus, ut ſervata modeſtia & temperantia & ſobrietate paciſque concordia, ſicut decet fratres, omnia in ædificationem fraternitatis & laudem & gloriam Dei & gratiarum actiones fiant, & hoc omnino caveatur quod Salvator ait: Videte, ne graventur corda veſtra in crapula & ebrietate. Qui voluerint, eulogias à Presbytero accipiant, & panem tantum frangentes ſinguli ſingulos accipiant biberes, & nihil amplius contingere præſumant, & ſic unusquiſque ad ſua cum benedictione Domini redeat.

De Ambitu Clericorum. Ex eodem.

Si quis Presbyterorum defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud ſecularem ſeniorem nulla precatione vel aliquo Xenio eccleſiam illam obtineat, quia titulus per ſe conſtans antea extitit, ſed neque capellam ſine conſultu Epiſcopi. Quod ſi fecerit, definitam ſententiam ſibi prolatam ſuſcipiat, ſicuti de Epiſcopo Canonica decrevit autoritas, ut *qui* per ambitionem majorem civitatem appetierit, & illam perdat, quam tenuit & illam nequaquam obtineat, quam uſurpare tentavit. cccc xxxiv.

De Mure in potum lapſo. Ex Pænitentiali.

cccc xxxv. Mus ſi ceciderit in liquorem, tollatur inde, & *liquor* aſpergatur aqua benedicta & ſumatur. Si vero mortua fuerit inventa, abjiciatur totus ille liquor. Quod ſi multum eſt de liquore, purgetur ille liquor & aſpergatur aqua ſancta & ſumatur, ſi neceſſe eſt. Si in farina aut in lacte coagulato aut in melle mus mortua invenitur, quod in circuitu ejus eſt foras projiciatur, reliquum verò ſumatur.

Digitized by Google

cccxxxvi. De Variis Criminibus Pænitentia Canon.

Si quis ſepulchrum violaverit, VII annos pæniteat, III in pane & aqua. Si quis ligaturas fecerit, quod deteſtabile eſt, III annos pæniteat I ex his in pane & aqua. Si quis manducaverit morticinum, aut idolis immolatum, jejunet hebdomadas XII. Si quis quodlibet membrum ſibi voluntariè truncaverit, III annos pæniteat, I in pane & aqua. Si quis uſuras undecunque exegerit, ſimiliter pæniteat. Si quis per violentiam aut quolibet ingenio malo ordine res alienas invaſerit, aut tulerit, ſimiliter pæniteat. Si quis aliquem hominem malo ordine vendiderit, ſimiliter. Si quis aream aut domum alterius voluntariè igne cremaverit, ſimiliter pæniteat. Si quis per iram aliquem percuſſerit, & ſanguinem fuderit, aut debilem fecerit, XI dies pæniteat in pane & aqua.

cccxxxvii. De Oblatione pro Excommunicato.

Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam eſt confeſſus, & non occurrit venire ad ſacerdotem, quod præoccupavit eum mors in domo aut in via, faciant pro eo parentes ejus oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captivis.

cccxxxiix. De Eo quem neceſſitas facit furem.

Si quis per neceſſitatem furatus fuerit cibaria vel veſtem vel pecus per famem aut per nuditatem, pæniteat hebdomadas III, ſi reddiderit, non cogatur jejunare.

cccxxxix. De Redemptione impoſitæ Pænit.

Si quis forte non potuerit jejunare, & habuerit, unde poſſit redimere, ſi dives fuerit, per ſeptem hebdomadas det ſolidos XX. Si non habuerit tantum, unde dare poſſit, det ſolidos X. Si autem multum pauper fuerit, det ſolidos III. Neminem vero conturbet, quia juſſimus dare ſolidos XX, aut minus, quia ſi dives fuerit, facilius eſt illi dare ſolidos XX, quàm pauperi ſolidos III. Sed attendat unusquisque, cui dare debeat, ſive pro redemptione captivorum, ſive ſuper ſanctum altare, ſive Dei ſervis, ſeu pauperibus in eleemoſynam.

cccxl. Vnde ſupra.

Pro uno menſe, quod in pane & in aqua pænitere debet aliquis pſalmos decantet mille CC genu flexo, & ſi non genuflexo,

mille

mille DCLXXX. Et omni die ſi vult & abſtinere non poteſt, reficiat ad ſextam, niſi Feria IV & VI jejunet uſque ad nonam, carnem & vinum non ſumat, reliqua percipiat.

Pro una hebdomade pſalmos CCC genua flectendo decantet & in uno loco per ordinem pſallat. CCCCXLI.

Item. CCCCXLII.

Qui vero pſalmos non novit, & jejunare non poteſt pro uno anno, quod jejunare debet in pane & aqua, det in eleemoſynam ſolidos XXVII, & in unaquaque hebdomade diem I jejunet, uſque ad nonam, id eſt feriam IV, & alium id eſt feriam VI uſque ad veſperam, & in tres quadrageſimas quantum ſumit penſet, & medietatem tribuat in eleemoſynam.

De Pretio unius anni redimendo. CCCCXLIII.

Primo anno quidam permiſerunt triduanas IV, alij XII triduanas, id eſt ſemel in menſe uno, quidam dixerunt triduanas agere in verberibus & vigiliis inſiſtendo triduum.

De Pretio unius diei redimendo. CCCCXLIV.

Pretium autem unius diei id eſt agapen duorum vel trium pauperum ſive I denarium. Alij totum pſalterium in æſtate, in hyeme verò & in verno vel in autumno L pſalmos, quidam judicaverunt XII plagas vel percuſſiones.

Item de redemptione unius diei. CCCCXLV.

Qui itaque hoc quod in pænitentiali ſcriptum implere potuerit, agat Deo gratias, qui autem non potuerit adimplere, conſilium damus per miſericordiam Dei. Imprimis pro uno die in pane & aqua L pſalmos cantet genu flexo aut ſtando in uno loco LXX decantet, aut denarium det, aut tres pauperes paſcat, quidam dicunt L percuſſiones vel L pſalmos pro uno die in autumno, hieme, vel verno C. percuſſiones vel pſalmos L, in æſtate pſalterium, vel percuſſiones.

Item de uno anno. CCCCXLVI.

Qui non poteſt ſic agere pænitentiam, ut ſuperius diximus, in primo anno eroget in eleemoſynam ſolidos XXVI, in ſecundo XX, in tertio XIIX hoc eſt ſolidos LXIV. Potentes homines faciant pro culpis ſuis, quod Zachæus fecit. Ait enim ad Ieſum: Domine omnium bonorum meorum dimidium do pauperibus,

& ſi aliquid injuſtè abſtuli, in quadruplum reſtituo; & de mancipiis ſuis aliquos dimittant liberos, & captivos redimant, & in ſe peccantibus ex corde dimittant, & qui illicita commiſit, etiam à licitis abſtineant, & corpus affligant jejuniis, vigiliis, & crebris orationibus, caro enim læta nos ad culpam traxit, afflictareducit adveniam.

ccccxlvii De Pænitentia VII annorum uno anno implenda. Ex dictis ſancti Bonifacij Epiſcopi.

Triduana una pro XXX diebus & Cantatio pſalmorum CXX pro uno die, pſalmi L & V Pater noſter pro tribus diebus pſalterium I & XV Pater noſter. Item pro uno die tribus vicibus Beati immaculati, & VI miſerere mei Deus, & LXX vices proſternat ſe in terram, & ſingulas Pater noſter dicat. Item ſi neſcit pſalmos pro uno die proſternat ſe centum vicibus in terram, & per ſingulas dicat miſerere mei Deus, & dimitte Domine peccata mea Cantatio unius Miſſæ poteſt redimere XII dies; X miſſæ IV menſes, XX Miſſæ IIX menſes, XXX miſſæ XII menſes. Poſt I hebdomada CCC pſalmi genuflexo decantentur. Qui pſalmos neſcit, & jejunare non poteſt, quantum quotidie ſumit penſet, & medietatem tribuat in eleemoſynam. Ecce diverſorum patrum diverſas opiniones de remediis peccatorum, vel de leviganda pænitentia in ordine poſuimus, in arbitrio prudentis ſacerdotis relinquentes quid ſalubrius & utilius animæ pænitenti eſſe decernat.

Huc uſq; in Exemplari MScripto Capita fuere numerata. Iis, quæ jam ſequuntur, Capitibus per ſatyram collectis numerum & titulum nos addidimus.

VARIA.

ccccxliix De Scriptis contra fidem. Ex Cap. Lib. I.

Pheudographiæ & dubiæ narrationes vel quæ omnino contra fidem catholicam ſunt, ut epiſtola peſſima & falſiſſima, quam dicunt in Hieruſalem cecidiſſe, nec credantur, nec legantur ſed comburantur.

ccccxlix. Vt fæminæ dent lintea. Ex eodem.

Presbyteri per parochias ſuas fæminis prædicent, ut linteamina ad altaria cooperienda præparent. De

Digitized by Google

De Concupiſcentia mulieris. Ex Concilio Neocæſarienſi. ccccL.

Si quis mulierem concupiſcens propoſuerit cum ea concumbere, & cogitatio ejus non pervenit ad effectum, apparet, quod gratia Dei liberatus ſit.

De non dimittenda uxore. Ex Canon Apoſtolorum. ccccLI.

Si quis Laicus uxorem propriam pellens alteram vel ab alio dimiſſam duxerit, communione privetur.

De non dimittendo marito. Ex Concilio Gangrenſi. ccccLII.

Si qua mulier virum proprium deſerere voluerit, nuptias execrata, anathema ſit.

De Permutatione veſtium. ccccLIII.

Si qua mulier pro ſolito muliebri amictu virilem ſumit, anathema ſit.

De Αςοργία. ccccLIV.

Si quis filios ſuos relinquens, non eos enutrit, ſed negligit occaſione convenienti anathematizetur.

De Iejunio die domin. ccccLV.

Si quis per continentiam in die Dominico jejunat, anathematizetur.

De Feſtis Quadrag. Ex Concilio Laodicenſi. ccccLVI.

Non oportet in quadrageſima Martyrum natalitia celebrari, & eorum ſancta commemoratio diebus ſabbathorum & dominicorum fieri conveniat.

De Eccleſiis ſervorum. Ex Concilio Toletano. ccccLVII.

Si qui ex servis fiſcalibus fortaſſe eccleſias conſtruxerint easque de ſua paupertate ditaverint, hoc procuret Epiſcopus prece ſua auctoritate regia confirmari.

CCCCLIIX **De Exorciſtis. Ex Concilio Carthaginenſi.**

Omni die exorciſtæ energumenis manum imponant.

De Energumenis. Ex eodem.

Energumenis in domo Dei ſedentibus victus quotidianus per exorciſtas miniſtretur.

CCCCLIX. **De Servo fugiente ad Eccleſiam.**

Servus, qui ad eccleſiam pro qualibet culpa confugerit, ſi à Domino pro admiſſa culpa ſacramentum ſuſceperit, ſtatim ad ſervitium Domini ſui redire cogatur. Et ſi poſteaquam dato ſacramento Domino ſuo fuerit conſignatus, ſi aliquam pœnam pro eadem culpa pertulerit, pro contemptu eccleſiæ & prævaricatione fidei dominus à communione Catholicorum habeatur extraneus.

CCCCLX. **De Oblationibus. Ex Epiſtola Innocentij.**

De nominibus recitandis hoc obſervetur, ut prius oblationes offerentium, & tunc eorum nomina, quorum oblationes ſunt, inter ſacra miſſarum myſteria nominentur.

CCCCLXI. **De Iejunio Sabbati.**

Sabbatho jejunandum eſſe ratio evidentiſſima demonſtrat. Nam ſi diem Dominicum ob venerabilem reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti non ſolum in paſcha, celebramus, verum etiam per ſingulos circulos hebdomadum ipſius diei imaginem frequentamus, ac VI Feria propter paſſionem Domini jejunamus, an Sabbathum prætermittere debemus, qui inter triſtitiam & lætitiam temporis illius videtur eſſe incluſus? Nam conſtat Apoſtolos biduo *iſto* in mærore fuiſſe, & propter metum judæorum ſe occultaſſe. Quapropter ſicut VI Feria jejunandum eſt, ita & ſabbatho agendum, quorum ambo dies triſtitiam offendunt, ſicut dies Dominica lætitiam.

CCCCLXII **De Diebus Iejuniorum. Vnde ſupra.**

Iejunia ſane legitima, id eſt IV vel VI feria non ſunt ſolvenda, niſi pro grandi neceſſitate, quod Feria IV Iudas de traditione Domini cogitavit, & VI feria crucifixus eſt Dominus. Videbitur ergò qui in his diebus non jejunat vel cum tradente tradere ſalvatorem, vel cum Crucifigentibus crucifigere.

De

Digitized by Google

De Captivis alendis. Ex Concilio Aurelianenſi. CCCCLXIII

Miſerationis intuitu æquum duximus cuſtodire, ut pro quibuscunque culpis in carceribus deputantur rei, à præpoſito eccleſiæ diebus Dominicis requirantur, ut neceſſitas vinctorum ſecundum præceptum Domini miſericorditer ſublevetur & competens victus de domo eccleſiæ tribuatur.

De Silentio mulierum. CCCCLXIV.

Mulier quamvis docta & ſancta ſit, viros in conventu docere non præſumat. Similiter nec baptizare.

De Servis ad Templa fugientibus. Ex Concilio Aurelianenſi. CCCCLXV.

Eos, qui ad eccleſiam confugerint, trahi non oportet, ſed domini ſui, permiſſa venia, exire perſuadeant. Quod ſi ab eccleſia exeuntibus pœnale aliquid intulerint, ut eccleſiæ inimici habeantur excommunicati.

De Accuſantibus in Synodo. CCCCLXVI.

Illud præterea omni eccleſiaſtico ordini omnimodè obſervandum eſt, ut nullatenus aliquis præſumat in Concilio vel Synodali conventu aliquem confratrum accuſatione pulſare, niſi prius ipſum accuſationis crimen & litigationis cauſas literis per ordinem comprehenſas manu propria ſubſcripſerit, & Epiſcopo vel ſacræ Synodo porrexerit, ut juſtè & canonicè litigantium controverſiæ finiantur. Non enim licet, ut auctoritas Romana teſtatur, niſi inſcriptione celebrata reum quenquam fieri, nec ad judicium exhiberi, quia ſicut convictum de crimine pœna conſtringit, ita accuſatorem, ſi non probaverit, quod objecit.

Accuſationes per literas fieri debere. Ex Concilio ad Medardum de eadem re. CCCCLXVII.

Hincmarus Archiepiſcopus Rhemorum ſuis accuſatoribus dixit. Quæ eſt petitio veſtra fratres? Miſericordiam, inquiunt petimus à veſtra paternitate impendi de miniſtratione ordinum eccleſiaſticorum, ad quos à Domino Ebbone quondam provecti ſumus, ſed veſtra auctoritate ſuſpenſi ſumus. Hincmarus Epiſco-

pus

pus dixit: Habetis libellum reclamationis aut poſtulationis, ſicut eccleſiaſtica ſe habet traditio, illi autem reſponderunt ſe præmanibus nullum habere libellum. Hincmarus Epiſcopus dixit: Legum eccleſiaſticarum auctoritas talis eſt, ut in cauſis geſtorum ſemper ſcriptum requirant, adeo, ut qui ad ſacrum fontem accedit, ſuum dare nomen præcipiatur; qui ad ſummum ſacerdotium provehitur, decreto manibus omnium roborato eligatur. Ordinatus autem à ſuis ordinatoribus literas accipere jubetur; qui etiam ab eccleſiaſtica ſocietate quolibet exceſſu diſcinditur libellari ſcriptione aut recipitur aut dejicitur. Sed qui accuſatur, vel qui excommunicatur ſeu reconciliatur, per ſcripturam accuſari vel reconciliari jubetur, & ſic in cæteris hujuſmodi in tantum ſcriptura depoſcitur, ut ſicut Beatus Gregorius in commentario ad Iohannem defenſorem ex Romanis legibus ſumens ſcribit, ſententia quæ ſine ſcriptura profertur, nec nomen ſententiæ habere meretur. Quapropter fratres & filij oportet vos ſecundum eccleſiaſticam auctoritatem reclamationem veſtram libelli ſerie alligare, eumque manibus noſtris roboratum Synodo ſacræ porrigere, ut convenienter & canonicè vobis valeat reſponderi. Et tunc ipſi fratres libellum conſcribentes, eique ſua nomina ſubſcribentes porrexerunt Hincmaro Epiſcopo, qui tunc VVenilone Senenſi Archiepiſcopo, & cum Amalrico Turonenſi æque Archiepiſcopo ſub præſentia glorioſi Regis Caroli Synodo præſidebat.

De Eadem re.

Tàm civile negotium, quam criminale accuſationum profeſſio manu accuſatoris conſcripta præcedat.

Quicunque alium de aliqua criminis capitalis objectione pulſaverit, non plus à judicibus audiatur, quam ſe ſimilem pœnam, quam reo intendit, ſubſcripſerit, ſubiturum.

In Criminalibus cauſis vel actionibus per mandatum nullus accuſet, ſed ipſe, qui crimen intendit, per ſe accuſet inſcriptione præmiſſa. Iudices autem puniendi ſunt, damnandumque officium, ſi aliquem niſi præmiſſa inſcriptione ſubdendum crediderint quæſtioni. Ante inſcriptionem nemo efficitur criminoſus. Nam inſcriptione per ordinem facta tunc a judice ſuſcipiendus eſt reus, & cuſtodiæ cum accuſatore tradendus.

De

Digitized by Google

De Injuria Sacerdotibus illata. Ex Capitulari Lib. VI Caroli Regis Cap. XCIX. cccclxviii

Si quis Epiſcopo aliquam injuriam, aut injuſtam dehonorationem fecerit, de vita componat & omnia, quæ habere viſus fuerit, eccleſiæ, cui præeſſe dignoſcitur, ſocientur, & nobis in triplo bannus noſter id eſt LX ſolidi perſolvantur, aut ipſe in ſervitio fiſco noſtro ſerviturus ſemper ſocietur, uſque ſe redimere in triplo juxta VVergildum ſuum potuerit. Sancta vero eccleſia in ſacerdotibus dehonorata conſtat, idcirco magnâ pænâ plectendi ſunt, qui Epiſcopis vel reliquis ſacerdotibus injuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio ſacerdotum ad Chriſtum pertinet, cujus vice & legatione in eccleſia funguntur. cccc lxix

De Occiſo Fure vel Latrone.

Si fur aut latro captus in præda abſque occaſione poteſt comprehendi, & tamen interficitur, qui ad imaginem Dei creatus, & in nomine ejus baptizatus eſt interfectores eorum XL diebus non intrent in eccleſiam, lanea veſte induti, ab eſcis & potibus, qui interdicti ſunt cum thoro, gladiis & equitatu ſe abſtineant, in tertia, quinta Feria & ſabbato aliquo genere legumenti vel oleribus & pomis, parvis piſciculis cum mediocri cereviſia viciſſim utantur, ſed temperanter. Sin autem à veridicis comprobatur teſtibus, quod ſine odij meditatione ſe ſuaque liberando, Diaboli membra interficiunt, ſecundum indulgentiam XL diebus ab eccleſia, carne, vino, & conjugio eleemoſynam largiter faciendo abſtineant. Et ſi Presbyter eſt, non deponatur, cunctis tamen vitæ ſuæ diebus pænitentiam agat.

Ne Sacerdos vexetur. Ex Concilio Aurelianenſi Cap. IIX. cccc lxx,

Relatum eſt ſanctæ Synodo, quod à malis Chriſtianis plurimæ vexationes Sacerdotibus Chriſti ſeu cæteris Clericis inferioris gradus ſæpiſſimè inferantur. Vnde viſum eſt Sancto Concilio, ne poſtea talia exiſtant, jaculo ſpiritali percutere, ut ſi quis Clerico aliquam injuriam ſeu calumniam ingeſſerit, à liminibus ſanctæ eccleſiæ arceatur, uſque ad condignam ſatisfactionem.

CCCCLXXI. Ex Concilio Rotomagenſi.

Capitulum Manuſcripto noſtro deeſt.

De Demigrantia Clericorum.

CCCCLXXII. Cum fraternitatem tuam confidamus Canonum ſtatuta & vigorem dirigere diſciplinæ, hoc tibi indagandum mandare curavimus, ne ingenui Clerici, qui capacioris, & argutioris ſunt ingenij, ad loca quæ ſcientia & doctrina excellentiora conſpiciuntur, diſcendi (*diteſcendi*) gratiâ præ (*niſi habita*) utilitate eccleſiæ ſuique neceſſarij petendi *cauſa* tranſcendant.

Invidia Pontificum ſæpè prohibentur, *dum* c. xx. Chalcedonenſis Concilij eis opponunt, ubi dicitur Clericos in eccleſia adminiſtrantes in alterius civitatis eccleſia ſtatutos fieri non oportet, & ſequentia invida obfuſcatione abolent, ubi illi excipiuntur, qui ex neceſſitate ad aliam eccleſiam tranſierint. Magna ſanè neceſſitate premitur, qui fame conſtringitur, & qui injuria arctatur inſipientiæ, opus habet refici doctrinâ ſcientiæ, inter fugitivum denique & ſtudioſum cautè ab Epiſcopo diſcretio proſpici debet, ut ille locum delitеſcendi non inveniat; Iſti verò locum in melius mutare & ire de virtute in virtutem offendiculum non opponatur, ſed charitatis adjutorio, quæ nunquam excidit, ſublevetur. Igitur ſi piè & juſtè recto currebant hactenus viam tramite vitæ, pro religione perfectiora expetere loca licentiam eis non denegandam eſſe cenſuimus.

CCCCLXXIII.

De Odio in fratres.

Si quis odium contra fratrem ſuum injuſtè habuerit, hunc Deus à ſuo ſeparat regno & à cælo ſubtrahit, quia odium nec paſſione ei adimitur, nec Martyrio expiatur, nec ſanguine fuſo deletur. Detrahere autem alteri per odium ſui commodi cauſa magis eſt contra naturam, quàm mors, quam dolor, vel cætera hujuſmodi mala.

CCCCLXXIV.

Sanctus Gregorius dicit, item Auguſtinus de Odio.

Magna & mira ſententia quemadmodum ſit hominis in animam ſuam amor, ut pereat, odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odiſti, ſi benè oderis, tunc amaſti. Felices, qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.

Grego-

De lapſis Sacerdotibus, vel quolibet ex clero, id obſervari volumus, ut in rebus eorum nulla contaminatione miſcearis, ſed pauperrima regularia monaſteria require, quæ ſecundum Deum vivere ſciunt, & in eiſdem monaſteriis lapſos ad pænitentiam trade, ut res lapſorum in eo loco perficiant, in quo agere pænitentiam traduntur, quatenus ipſi ex rebus eorum ſubſidium habeant, qui de correctione eorum ſollicitudinem gerunt. Si verò parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur, ita autem ut eorum ſtipendum, qui in pænitentiam dati fuerint, ſufficienter debeat procurari.

Si qui verò ex familia eccleſiaſtica ſacerdotes vel Laici, vel Monachi, vel Clerici, vel quilibet alij lapſi fuerint, dari eos in pænitentiam volumus, ſed res eorum ut eccleſiaſticæ non ſubtrahi. Ad uſum tamen ſuum accipiant, unde ad pænitendum ſubſiſtant, ne ſi nudentur, locis, in quibus dati fuerint, oneroſi ſint. Si qui parentes in poſſeſſione habent, ipſis res eorum tradendæ ſunt, ut in ipſis eccleſiæ conſerventur.

Sacerdotibus autem externa poteſtate nullus Dominus violentiam inferat, ſed excellenti conſideratione propter eum, cujus ſervi ſunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis ſacerdotes aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur. Et per Moyſen de eo, qui ad juramentum deducendus eſt, dicitur: Applica illum ad Deos, videlicet ad ſacerdotes. Et rurſum: Diis non detrahes, ſcilicet ſacerdotibus. Et propheta ait: Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, ut legem requirant ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt. Quid ergò mirum, ſi illos veſtra pietas dignetur honorare, quibus in ſuo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos aut Deos, ipſe etiam appellat Deus. Eccleſiaſtica teſtatur Hiſtoria, quod cum piæ memoriæ Conſtantino Principi oblatæ accuſationes contra Epiſcopos fuiſſent, libellos quidem accuſationes accepit, & eoſdem, qui accuſati fuerant Epiſcopos convocans in eorum conſpectu libellos, quos acceperat incendit, dicens: Vos Dij eſtis à vero Deo conſtituti, ite & inter vos cauſas veſtras diſponite, quia dignum non eſt, ut nos judicemus Deos. Antiquitus in Republica Principes fuerunt, qui verum Deum neſcientes deos li-

Digitized by Google

gneos & lapideos colebant, & tamen eorum ſacerdotibus honorem maximum tribuerunt.

Hinc eſt ergò, quod exceptis criminibus neminem Sacerdotum Gregorius deponebat, immò pro qualitatibus delictorum venialiter communione privabat.

Si quando igitur ſuper ſacerdotum criminibus erat aliquid ventilandum cum ſumma diſtrictione, grandique cautela Gregorius uniuscujusque capituli modulos quærens ſententiam ſuam magis difficulter, quàm faciliter promulgabat dicens: Dum cuncta negotia indagandæ ſolicitudine veritatis indigeant, tùm quæ ad dejectionem ſacerdotalium graduum ſunt diſtrictius trutinanda, in quibus non tàm de humilibus conſtitutis, quàm de divinæ quodammodo benedictionis refragatione tentatur. Nam grave ſatis eſt, & indecens, ut in re dubia certa dicatur ſententia.

CCCLXXVI.

Ne Sacerdotes domini, ſicut vulgus ſolet, jurare compellantur. Cornelius Papa Rufo orientali Epiſcopo.

Sacramentum hactenus à ſummis ſacerdotibus vel reliquis exigi pro fide recta cognovimus, nec ſponte eos juraſſe reperimus. Summoperè ergo Sanctus Iacob Apoſtolus prohibens ſacramentum loquitur dicens: Ante omnia autem fratres mei --- nolite jurare. Hæc fratres cariſſimi ipſe Dominus prohibet, id eſt, non debere jurare. Sacramenta non exigi, niſi pro fide recta. Hæc Apoſtoli maximè omnes. Hæc Sancti viri prædeceſſores noſtri, qui huic ſanctæ univerſali & Apoſtolicæ eccleſiæ præfuerunt ante nos. Hæc prophetæ & reliqui ſancti doctores per univerſum mundum diſperſi ad prædicandum juramenta vetant.

CCCLXXVII.

De Eccleſiaſtica controverſia teſtes.

Omnis controverſia, quæ de eccleſiaſticis rebus fit ſecundum divinam legem ſub duobus vel tribus teſtibus terminetur, dicente Domino: Non unus ſtet contra alium, ſed in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Similiter & de ſeparatione conjugatorum, ut tres veraces homines hoc teſtificentur, ſi VII inveniri non valeant.

De

Digitized by Google

De Medico malè curante. ccccl[illegible]

Medicus infantem incautius curans claudicantem efficit, quæſitum eſt, an gradum in clero talis mereri poſſit & viſum eſt, quod hujuſmodi debilitas, ſi alios bonos profectus oſtenderit, eum à gradu non debeat prohibere.

De Clericorum tonſura. cccc lxx[illegible]

Clericus ſi tonſuram dimiſſa uxore acceperit, qui quidem ſit ſine gradu, nec ad monaſterium quodlibet à parentibus traditus, ſi uxorem habere permittitur, iterum tonderi cogatur, nec in vita ſua tonſuram negligere audeat. Quem autem progenitores tradiderunt & in eccleſia legit nec uxorem ducere nec monaſterium deſerere poterit. Sed ſi diſceſſerit, reducatur, ſi tonſuram dimiſerit, rurſus tondeatur. Vxorem ſi uſurpaverit, dimittere compellatur.

De Puellis, Monialibus factis. ccccxxc.

Puella ſi ante XII annos ætatis ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumit, poſſunt ſtatim parentes vel tutores ejus id factum irritum facere, ſi volunt. At ſi annum & diem diſſimulando contenderint ulterius nec illi nec ipſa mutare hoc poterunt. Porrò ſi in fortiori ætate adoleſcentula vel adoleſcens ſervire Deo elegerint, non eſt poteſtas parentibus hoc prohibendi.

De Laicis morientium presbyterorum ſubſtantiam diripientibus. ccccxxci.

Perlatum eſt quoque ad ſanctam Synodum, quod quidam Laici improbè agant contra Presbyteros ſuos, ita ut de morientium Presbyterorum ſubſtantia partes ſibi vindicent, ſicuti de ſubſtantia ruſticorum ſuorum. Interdicimus itaque, ne hoc ulterius fiat, ſed ſicut liberi facti ſunt ad ſuſcipiendum gradum, & agendum divinum officium, ita ab eis nihil exigatur præter Dei officium. De peculio verò ſacerdotum nihil ſibi uſurpent, ſed ex duabus partibus faciant presbyteri, quod ſibi placuerit. Tertiam ſecundum canonum juſſa, quibus ſerviunt, relinquant eccleſiis.

De Manſo & decimis. ccccxxcii.

Item ſancitum eſt in capitulari, ne de manſo eccleſiæ neque

de decimis neque de oblationibus nec de domibus vel atriis juxta eccleſiam poſitis aliquod ſervitium faciant præter eccleſiaſticum, ſi aliquid verò amplius habuerint, inde faciant ſervitium ſenioribus ſuis.

ccccxxciii. Ne quis de ſervili conditione promoveatur ad Clerum.

Nulli de ſervili conditione ad ſacros gradus promoveantur, niſi prius à Dominis propriis legitimam libertatem conſecuti fuerint, cujus libertatis charta ante ordinandum in ambone publicè legatur, & ſi nullus contradixerit rite conſecrabitur, porrò ſi poſtea de gradu deciderint, ejus ſint conditionis cujus fuerant ante gradum.

ccccxxciv. De Bonis eccleſiaſticis. Ex Epiſtola Canonica.

Nullus Epiſcoporum, Presbyterorum ſeu Diaconorum vel etiam Clericorum prædia eccleſiæ in poteſtate habeat venundare, ſed nec cuiquam parentum ſuorum donare, & qui hoc egerit ſub omni celeritate reddito precio ad loca ſacra, in quæ competunt revertatur, ſi autem hac obſervatione contempta aliquis hoc præſumpſerit, res proprias in ipſa eccleſia relinquat, & ipſe foris ejiciatur, eò quod divina congruat ratione, ut qui eccleſias accipiunt ad regendum, non ad diſpergendum accipiant. Simili modo nullam habeant poteſtatem quolibet modo alienandum, neque venum dandum. Sed nec ſine voluntate Pontificis ſui vicarios dandum, aut liberis dimittendum. Qui hoc præſumpſerit, ut ſuperius cenſuimus, ſi habet proprietatem ſuam, aliud tantum reſtituat, ſi non habuerit expoliatus omnibus foras ejiciatur. Ipſæ tamen res ad eccleſiam, cujus res ſunt, revertantur.

ccccxxcv. De Patrimonio Clericorum. Ex Conc. Meldenſi. Cap. XXI.

Inveſtigandum an nihil patrimonij habens Presbyter, quando provectus eſt ad ordinem eccleſiaſticum, poſtea emerit prædia cujus juris ſint, annon eccleſiæ eſſe debent. Vnusquisque enim Presbyter proprias res quas poſt diem conſecrationis acquiſiverit, eccleſiæ relinquat. Si autem alieno nomine res comparaverit &

rit &

Digitized by Google

rit & ibi ſtructuras fecerit, vel quæ ad eccleſiam ibi Deo collocaverit, contra decreta canonum hoc malum agitur, quia ſacrilegium eſt, & par crimen --- furis eſſe dignoſcitur qui ſacras oblationes furabatur.

De Fœminis quæ religionis veſtem domibus propriis mutaverint, ſi poſtea concubitum elegerint, quid agendum ſit. c ccc xxcvii.

De viduis & puellis, quæ habitum religionis in domibus propriis tàm à parentibus quàm per ſe mutaverint, & ſi poſtea contra inſtituta Patrum vel præcepta Canonum Conjugia crediderint copulanda, tamdiu utrique habeantur à communione ſuſpenſi, quouſque quod illicitè perpetraverunt, emendent. Quod ſi emendare neglexerint, à communione vel omnium Chriſtianorum convivio in perpetuo ſint ſequeſtrati.

DE VIDVIS cccc xxcviii.

Epiſtola Beati Gregorij Papæ Bonifacio Archiepiſcopo miſſa, in qua inter cœtera ita legitur decretum:

Viduas à propoſito diſcedentes viduitatis, ſuper quibus nos conſulere voluit dilectio tua, frater cariſſime, credo te noſſe à ſancto Apoſtolo & à multis ſanctis Patribus, niſi convertantur, olim eſſe damnatas, quas & nos Apoſtolica auctoritate damnandas & communione fidelium atque à liminibus eccleſiæ arcendas fore cenſemus uſque quo obediant Epiſcopis ſuis, & ad bonum, quod cæperunt invitè aut voluntariè, revertantur.

De Virginibus non velatis. cc cc xxcix.

A Sanctæ memoriæ prædeceſſore noſtro Papa Innocentio taliter decretum habemus: Hæ verò quæ nec dum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito Virginali ſemper ſe ſimulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, ſi nupſerint, his agenda pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolvi, quanto magis pollicitatio, quam cum Deo pepigit, ſolvi ſine

vi ndicta

vindicta non poterit, & contra. Nam ſi virgines nondum velatæ taliter pœnitentia publica puniantur, & à cœtu fidelium uſque ad ſatisfactionem excluduntur, quanto potius viduæ, quæ perfectioris ætatis & maturioris ſapientiæ atque conſilij exiſtunt virorumque conſortio multoties uſæ ſunt, & velari ſe permiſerunt, habitumque religionis aſſumpſerunt, & tamen apoſtataverunt, atque ad peius votum ſunt reverſæ, à nobis & ab omnibus fidelibus, à liminibus eccleſiæ & cœtu fidelium uſque ad ſatisfactionem ſunt eliminandæ & carceribus tradendæ, qualiter juxta Beatum Apoſtolum Paulum tradentes hujuſmodi hominem Satanæ, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. De talibus enim & Dominus per Moyſen loquitur dicens: Auferte malum de medio veſtri. De quibus & per Prophetam ait: Lætabitur juſtus, cùm viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris. De talibus namque & eorum ſimilibus atque eiſdem conſentientibus (quia non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt, rei ſnnt) Dominus per eundem Prophetam David loquitur dicens: Videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas, & multa talia eorumque ſimilia. Tales verò perſonæ indubitanter adulteræ eſſe manifeſtantur, quum relicto immortali ſponſo ad anteriorem, ut canes ad proprium ſunt reverſæ vomitum & Apoſtatæ factæ illicita ac ſacrilegia ſe contagione polluentes viris mortalibus ſe conglutinantes. Quæ etiam juxta eundem Apoſtolum Paulum, eo quod viduitatis propoſitum dimiſerunt, & fidem quam cum Deo pepigerunt, frangere præſumpſerunt, atque primam fidem prævaricaverunt, ſunt damnandæ à nobis. Quæ & à vobis & à reliquis noſtri ordinis viris à ſingulis videlicet ſua in diœceſi à liminibus eccleſiæ & cœtu fidelium uſque ad ſatisfactionem, ut prædictum eſt, ſunt eliminandæ.

CCCCXXCI. **Ne Clerici Viduarum familiaritati aſſocientur.**
Ex Conc. Carthaginenſi. Cap. CII.

Ad reatum Epiſcopi pertinet vel presbyteri, qui Parochiæ præeſt, ſi ſuſtentandæ vitæ præſentis cauſa adoleſcentiores viduæ vel ſanctimoniales Clericorum familiaritati ſubjiciantur.

De

Digitized by Google

De Viduis, quæ Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentantur. Cap. CIII. cccccxc

Viduæ, quæ ſtipendio eccleſiæ ſuſtentantur, aſſiduè in opere Dei eſſe debent, ut & meritis & orationibus ſuis eccleſiam adjuvent.

De Viduis, quæ profeſſa continentia prævaricantur. Cap. CIV. ccccxci.

Sicut bonum eſt caſtitatis præmium, ita majori obſervantia & præceptione cuſtodiendum eſt, ut ſi quæ viduæ quamvis adhuc in minoribus annis poſitæ, & in matura ætate à viro relictæ ſe devoverint Deo & veſtes laicales abjecerint ſub teſtimonio Epiſcopi & poſt ad ſeculum redierint, damnentur, quia fidem caſtitatis, quam Deo voverunt, irritam facere auſæ ſunt. Tales ergo perſonæ ſint à Chriſtianorum communione alienæ, quæ etiam nec in convivio cum Chriſtianis communicent. Nam ſi adulteræ conjuges reatu ſunt ſuis viris obnoxiæ, quantomagis viduæ, quæ Deo religioſitatem voverunt, crimine adulterij notabuntur, ſi devotionem, quam ſponte Deo obtulerunt, libidinoſa voluntate corruperint, atque ad ſecundas nuptias tranſitum fecerint, quæ etſi violentia irruente ab aliquo prærептæ fuerint, ac poſtea delectatione libidinis permanere in conjugio raptoris vel violento viro conſenſerint, damnatione ſuperius comprehenſa teneantur obnoxiæ. De talibus enim dicit Apoſtolus: Cùm luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

De Fœminis, quæ viduitatem profeſſæ ſunt coram Epiſcopo. Ex Concilio Arauſicano. Cap. IX. ccccxcii

Viduitatis ſervandæ profeſſionem coram Epiſcopo faciendam

& habitum impoſitum minimè violandum; ejus vero raptorem vel ipſam talis profeſſionis deſertricem merito damnandam *decernimus*.

CCCCXCIII

De Virginibus, quæ infra XXV annos neceſſitate cogente velantur. Ex Concilio Carthaginis Africæ IIX. Cap. XXVI.

Placuit, ut quicunque Epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitiæ *virginem velaverit* cum vel petitor vel raptor formidatur, vel ſi etiam aliquo in mortis periculo ſcrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus eccleſia aut hi, ad quos cura pertinet, velaverint virginem infra XXV annos ætatis, ei non obſit Concilium, quod de ipſo numero annorum conſtitutum eſt.

CCCCXCIV

Non liceat mulieri ſanctum velum acceptum dimittere.

Qualicunque modo mulier permittente canonice viro ſuo aut eo defuncto velum ſanctum acceperit in caput, aut ſponte aut invitè, in eo permaneat omnino nec dimittat.

CCCCXCV.

De Communicantibus.

Quicunque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, vel immoderatè vel inordinatè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Reus, id eſt, dignus, ut damnetur ab ipſo ſacrificio, qui tantum myſterium ut vile deſpexerit. Scriptum eſt: Omnis mundus manducabit ea. Anima, quæ peccaverit, ut immunda exterminabitur de populo ſuo. Indignè, ut Dominus ait: Si ante altare ſteteris, & ibi recordatus fueris &c. Prius perſcrutanda eſt conſcientia, ſi in ullo nos reprehendit, & poſt offerre aut communicare debemus. Quidam dicunt: Dominus non indignum, ſed indignè accipientem revocat à ſancto: *ſed* ſi dignus indignè accedens retrahitur, quanto magis qui non poteſt accipere digne. Unde oportet ceſſare à vitiis, ut ſanctum

Digitized by Google

ſtum Domini corpus ſanctè percipias. Probet autem, id eſt, quærat, an dignus ſit. Qui enim manducat, dupliciter reus effectus eſt, præſumptionis ſcilicet & peccati. Non dijudicans, id eſt, non diſcernens à cæteris cibis. Ergò cum tanta ſit plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta corporis & ſanguinis Domini differenda ſint, auctoritate Antiſtitis debet quiſque ab altari removeri ad agendam pænitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere corpus & ſanguinem Domini, ſi *quis* eo tempore accipiat, quo debet agere pænitentiam. Sancti namque ac religioſi & Deo acceptabiles Antiſtites *cum* ſub tectum Dei intrant, ibidem Dominus per eos ingreditur tanquam Deum ſuſcipiant; Et quando pane vitæ & poculo frueris, quando manducas *corpus*, & bibis ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Vbi verò indignè ingreditur, ibi ad judicium ingreditur illi accipienti.

Cum Sacerdos moritur, quid de rebus ejus obſervetur. Ex Concil. Ilerdenſi. CCCCXCVI

Licet de re hujuſcemodi, quam conſtituere ſalubri ordinatione decernimus, priſca autoritas Canonum nequaquam ſiluerit, ſed evidenti ſanctione præceperit, ut cujuſcunque eccleſiæ Pontifice defuncto non paſſim pro libitu ſuo in earum rerum direptionem, quas obiens dereliquit, quiſquis irruat, domumque ſubvertat, ſed ſacerdos, qui exequiarum tempore adeſt, omnia, quæ ad utilitatem & conſervationem pertinent, debet diligenti circumſpectione munire. Tamen quia hæc ipſa ſanctio, quod pejus eſt, à multis Clericis cognoſcitur violari, ita ut occumbente ſacerdote expectato affectu, totaque diſciplinæ ſeveritate poſthabitâ, immaniter, quæ in domo Pontificali reperiuntur, invadant & abſtrahant, id nunc omne hujus placiti vel conſtituti inter nos cenſura placuit cuſtodire, ut defuncto antiſtite vel etiam adhuc in ſupremis agente, nullus Clericorum cujuslibet ordinis, officij aut gradus quicquam de domo auferre præſumat, vel de utilitate, quæ inſtrumentum domus eſſe dignoſcitur, de mobilibus

 & im-

& immobilibus rei eccleſiaſticæ conetur invadere, nihil furto, nihil vi, nihil dolo ſupprimens, auferens, atque abſcondens. Sed is, cui domus commiſſa eſt, ſubjunctis ſibi cum conſilio Clerico uno vel duobus fideliſſimis omnia uſque ad tempus Pontificis ſubſtituendi debet conſervare, & his, qui in domo inveniuntur, clericis conſueta alimenta adminiſtrare. Subditus autem antiſtes ſuſcepta ea prout diſceſſor ſuus ordinavit, vel huic Deus inſpiraverit uti his debet, quos cognoverit diſciplinæ & caritati deceſſoris ſui fideliter paruiſſe. Quod ſi quiſquam poſt hæc cujuslibet ordinis, ut ſuperius dictum eſt, clericus quacunque occaſione de domo eccleſiæ vel de omni facultate quippiam probatus fuerit abſtuliſſe, vel forſitan dolo aliquo ſuppreſſiſſe, reus ſacrilegij prolixiori anathemate condemnetur, ut vix peregrina ei communio concedatur, quia durum eſt, ut hi, quos conſtat in ſervitio Domini cum primæ ſedis antiſtite deſudaſſe, illorum, qui ſuarum rerum incubatores vel utilitatibus ſervientes atq; vacantes fuiſſe noſcuntur, deſpectibus aliquatenus crucientur.

ccxcvii.

Ex Concilio Toletano de accuſatis Sacerdotibus ſive etiam de Optimatibus Palatij atque Gardingis.

Sed & collationis objectu res noſtro cætui lacrymanda occurrit, quæ tanto magis eſt Synodalis judicij pondere abigenda, quanto majorem ſtragem populis affert pariter & ruinam. Etenim decurſis retro temporibus vidimus multos & flevimus ex palatini ordinis officio cecidiſſe, quos & violenta profeſſio ab honore dejecit & trabale regum factione judicium aut morti aut ignominiæ perpetuæ ſubjugavit; quod importabile malum & impietatis facinus exhorrendum religioſi principis noſtri animus abolere intendens generali omnium Pontificum arbitrio retractandum invexit, & ultrici Synodalis pænitentiæ auctoritate cohibendum ſtatuit. Vnde congruam devotioni ejus ſententiam decernentes, hoc in commune decrevimus, ut nullus deinceps ex Palatini Ordinis gradu vel Religionis ſanctæ conventu regiæ [illegible] ſubti-

ſubtilitatis aſtutia vel profanæ poteſtatis inſtinctu ſive quorumlibet hominum malitioſæ voluntatis obniſu citra manifeſtum & evidens culpæ ſuæ indicium ab honore ſui ordinis vel ſervitio domus regiæ arceatur, non vinculorum nexibus alligetur, non quæſtioni aptetur, non quibuslibet tormentorum vel flagellorum generibus maceretur, non rebus privetur, non etiam carceralibus cuſtodiis mancipetur, neque adhibitis hinc inde injuſtis occaſionibus abdicetur, per quod illi uiolenta aut occulta vel fraudulenta profeſſio extrahatur. Sed is, qui accuſatur, gradum ſui ordinis tenens & nihil de ſupradictorum capitulorum nocibilitate perſentiens in publica ſacerdotum ſeniorumque atque etiam Gardingorum diſcuſſione deductus & juſtiſſimè perquiſitus aut obnoxius reatui detectæ culpæ legum pœnas excipiat, aut innoxius judicio omnium comprobatus appareat. Illos tamen, quos in locis talibus manere conſtiterit, unde nocibilis perfugij ſuſpicio ſit, aut eos, quos pro conturbatione terræ diligentius oportet cuſtodire, hos ſine aliquo vinculorum vel injuriæ damno ſub libera cuſtodia conſiſtere oportebit: Sic tamen repulſo omni terrore ſub circumſpecta & diligenti cuſtodia habeantur, ut tempus, quo judicari eos oportet, nullo modo ſub fraudulentia dilatetur, quo ab uxoribus vel propinquis atque etiam rebus ſuis diutiſſimè ſeparati profeſſionem ſuam videantur dediſſe inviti, quæ tamen etſi data fuerit, modis omnibus non valebit, ſed juxta ſuperiorem ordinem illud pro vero accipietur, quod ex ore ejus agnitum generali fuerit judicio comprobatum. Nam & de cæterorum ingenuorum perſonis, qui palatinis officiis non conferunt, & tamen ingenuæ dignitatis titulum reportare videntur, ſimilis ordo ſervabitur, qui etiamſi pro culpis minimis, ut adſolet, flagellorum ictibus à Principe verberentur, non tamen ex hoc aut teſtimonium amiſſuri ſunt, aut rebus ſibi debitis privabuntur. Quod ſi de infidelitatis crimine quicquam eis objicitur, ſimili, ut ſuperius præmiſſum eſt, ordine judicandi ſunt, quod ſynodale decretum divino, ut confidimus, ſpiritu promulgatum, ſi quis regum deinceps aut temeranter cuſtodire neglexerit, aut malitioſè præterire prælegerit, quo quiſque de perſonis taxatis aliter quàm præmiſ-

Digitized by Google

ſum eſt, prædamnetur, aut ex factione conjectæ in eum malitiæ perimatur vel dejectus ſui ordinis loco privetur, & cum omnibus, qui ei ex delectatione conſenſerint, in conſpectu altiſſimi Dei Patris & unigeniti filij ejus atque ſpiritus ſancti perenni anathemate ultus, & divinis vel æternis abdicetur ardoribus concremandus. Et inſuper quicquid contra hanc regulam ſententiæ noſtræ aut in perſona cujuſquam fuerit actum aut de rebus accuſatæ perſonæ extiterit judicatum, nullo vigore ſubſiſtat, quo perſona ipſa aliter, quàm decernimus, judicata aut teſtimonij ſui dignitatem amittat, aut quæſtu rei propriæ careat. Nec tamen per hæc & hujuſmodi ſtatuta principibus domeſticæ correptionis poteſtas adimitur. Nam ſpecialiter de Laicis illis, quos non culpa infidelitatis adſtringit, ſed aut ſervitij ſui officio torpentes, aut in commiſſis ſibi actibus reperiuntur eſſe mordaces vel potius negligentes erit Principi licitum hujuſmodi perſonas abſque aliqua eorum infamia, vel rei propriæ damno & ſervitij mutatione corrigere, & in locum talium alios, qui placeant, tranſmutare.

CCCC XCIIX. Ne quis ſine Actore condemnetur. Ex Concilio Toletano VI Tit. XL.

Dignum eſt, ut vita innocentum non maculetur pernicie accuſantium, adeò ut quisquis à quolibet criminatur, non ante accuſatus ſupplicio dedicetur, quam accuſator præſentetur atque legum & Canonum ſententiæ exquirantur, ut ſi indigna ad accuſandum perſona inveniatur, ad ejus accuſationem non judicetur, niſi ubi pro capite regiæ majeſtatis cauſa verſatur: Remotis igitur ab inimicitiis, ab inſidiis, à mendaciis, remotis ab omni genere flagitiorum ſive facinorum ipſis ſcilicet presbyteris, qui accuſati fuerint, quomodo convincantur, aut quomodo defendantur. Apoſtolus enim ad Timotheum loquitur dicens: Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Peccantem coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Dominus in Evangelio Iudæis dicit: In lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum

Digitized by Google

minum teſtimonium verum eſt. De accuſatoribus verò Clericorum in Canonibus ſatis invenitur, & maximè in Carthaginenſi Concilio, ut accuſatoris quæratur fides & converſatio. Si autem Presbyteri & Diaconi fuerint accuſati, adjuncto ſibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum, quos ab Epiſcopo accuſati petierint, una ſecum in Presbyterij nomine ſex; in nomine Diaconij tres, ipſorum cauſas diſcutiant.

Capitulorum de Diſciplina Eccleſiaſtica collectorum

FINIS.

EMENDANDA

In Methodo Viſitandi

§. 30. lege potum; §. 85. lin. 3. memoriter.

Libro Primo

C. 36. lin. 3. lege *ſuam* C. 37. l. 7. *quantitatem*; lin. 14. *iterando*. C. 46. l. 4. *fano*. C, 54. l. 3. *voluerint*, C. 59. l. 1. *Perlatum*. It. *quidam*. C. 80. l. 2. *Miſſam* c. 87. *&* pro eſt. c. 102, l. 2. dele *mulierem*, c. 195. pag. 2. l. 7. lege *ab opere*. c. 188. l. 3. de ſunt hæc: *defunctorum ſive Epiſc.* c. 214. l. 5. *potationibus*. c. 238. l. 3. *Electoribus*, c. 284. l. 3. dele *unum*, c. 299. pag. 4. ſub fin. lege *aliis donaſti*. p, 5. l. 7. de ſunt hæc *travanitos pæmitero debes*, p. 6. l. 12. lege *gloriam* c. 304. l. 5. *ei eſt ante*, c. 329, l. 13. dele *ut*. c. 349. l. 1. lege *deferentes*, c. 353. l. 3. *facere non præſumant*. c. 363. l. 1. *caveantur*, c. 364, l. 3. *indicet*. c. 377. l. 6. *cantari*. c. 407. l. 7. *ſe valeant*. c. 416. l. 1. *lectores*. c. 426. p. 3. l. 24. inter Δ, & P. deeſt *A* & pro DCCCGIV. lege *DCCCCVI*.

Libr. 2.

Cap. 1. l. 4. lege *proprij paſtoris*, c. 5. §. 39. omiſſa ſunt: *aut pro membris & vita redimenda*, c. 7. & 8. in tit. lege *debeat*, c. 9. l. 8. *ſecundam & quartam feriam*. c. 10. l. 2. *communionem per viaticum*, c. 11. l. 1. *Si*, pro an, & *violenter*. c. 16. l. 2. *incidat*, & *ipſam*. c. 44. l. 2. deſunt hæc: *qui Epiſcopum DCCCC*. c, 143. lege *pertinet*. c. 175. lin. 9. *textilibus*. c. 186. l. 8. deſunt: *Si quis virginem, niſi deſponſaverit, furatus fuerit in uxorem, vel conſentientibus ei, anathema ſit*. c. 201. l. 8. lege *mœchus* c. 217. l. 3. *ſimiliter*, c. 236. l. 2. *mœcha*, c. 309. *Stulte*, cap. 392. l. 2. *habeat*. Cætera Benevolus Lector ipſe emendabit.

Digitized by Google

NE vacua ſit pagella, ſapiens Eraſmi Reſponſum de via perveniendi ad Eruditionem ſubnectere placuit.

Iohannes Alexander Braſſicanus rogavit aliquando Eraſmum, qua ratione doctus poſſet fieri?

Eraſmus ex tempore reſpondit: Si (1) cum doctis ſæpe converſeris; II. Si Viros doctos reverenter & attentè audias; III. Si doctos libros aſſiduè evolvas; IV. Si doctum te ipſum nunquam judices. Ex Tripode dictum!

Sedenti in Throno & Agno ſit Benedictio & Honor & Gloria & Poteſtas in ſecula ſeculorum! Amen.

Digitized by Google

Benevole Lector,

EXpreſſo jam & ad Exemplar Helmſtadienſe excuſo Reginone in manus noſtras duo alij Codices hujus Autoris MScripti (qua occaſione, infra ex Appendice cognoſces) alter Moguntiá in Originali, ut loquuntur, alter Viennâ, ſed hic ibidem deſcriptus allati ſunt. Hos codices dum invicem confero, ſub finem alia prorſus Capitula in Moguntino & Viennenſi, alia in noſtro reperi, imò quamvis Moguntinus & Viennenſis Codex in Capitulis, infra ex Moguntino expreſſis conveniant, in Viennenſi tamen plura ſunt reperta, quæ non Helmſtadienſi tantum ſed & Moguntino Exemplari deſunt. Hæc & ipſa, ut completum ſit, opus, tecum B. L. communicare placuit. Sequuntur ergo

Capitula
In Codice Viennenſi reperta, quæ nec in Moguntino, nec in Helmſtadienſi comparent.

De Iudæis ad fidem non cogendis. Ex Concilio Toletano.

DE Iudæis ſancta ſynodus præcepit, nemini deinceps ad credendum vim inferre: cui enim vult, Deus miſeretur, & quem vult, indurat: Non enim tales inviti ſalvandi Cap. I.

ſunt,

ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ. Sicut enim homo propria arbitrij voluntate ſerpenti obediens periit, ſic vocante gratia Dei propriæ mentis converſione homo quisque credendo ſalvatur, ergo non vi, ſed libera arbitrij voluntate ut convertantur, ſuadendi ſunt, non penitus impellendi. Qui autem jam pridem ad Chriſtianitatem venire coacti ſunt (ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi Principis Siſibuti) quia conſtat jam hos Sacramentis divinis aſſociatos & baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe, & chriſmate unctos eſſe, & corporis Domini & ſanguinis extitiſſe participes, oportet, ut fidem quam vi & neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne fides quam ſuſceperunt, vilis ac contemtibilis habeatur.

Cap. II. De Languore miniſtrantium Clericorum. Ex Concil. Toletano.

Nihil contra ordinis ſtatutum temeritatis auſu præſumatur, neque illa, quæ ſumma veneratione cenſentur vel minimo præſumtionis tactu ſolvantur, cum ad hoc tantum fieri juſſa ſunt, ne interrupta eſſe noſcantur, ne languoris proventu robore ſalutis privetur natura. Non ergo ſolum fragilitati conſulitur humanæ, ſed etiam ſacro honori myſteriorum Dei provida cavetur ſollicitudine: Igitur cenſuimus convenire, ut, cum à ſacerdotibus Miſſarum tempore ſancta myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat conſecrationis expleri myſterium, ſit liberum epiſcopo vel presbytero alteri, conſecrationem exequi officij cœpti. Non enim aliud ad ſupplementum initiatis myſteriis competit, quàm aut incipientis aut ſubſequentis completa benedictione ſacerdotis, quia nec perfecta videri poſſunt, niſi perfectionis ordine compleantur: Cum enim ſimus omnes unum in Chriſto nihil contrarium diverſitas format, ubi efficaciam proſperitatis unitas fidei repræſentat, quod etiam conſultum cuncti ordinis clerici inditum & indultum eſſe ſibi non ambigant, ſed ut præmiſſum eſt, præcedentibus libenter alij pro complemento ſuccedant. Ne tamen, quod naturæ languoris cauſa conſulitur, in præſumtionis perniciem convertatur, nullus poſt cibum potumque, quamvis minimum ſumtum miſſas facere, nullus abſque patentis proventu moleſtiæ miniſter & ſacerdos cum cœperit, imperfecta officia præſumat omninò relinquere. Si quis

hæc

Digitized by Google

hæc temerare præſumſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.

De Poteſtate patria in liberos monaſteria ingreſſos. Ex Concil. Toletano. Cap. III.

Quantum huc uſque diſſolutæ operationis effectus interdum nutare fecit honeſtum conſtitutionis edictum, dum incognitè reſolvi putatur, quod indiſſolubili ſanctionis autoritate tenetur; intantum quicquid obvium ex incerto occurrit, evidenter abjici decet ut de cætero nihil ſuperſit, quod in dubium vocetur. Ideo ſi in qualibet minori ætate religionis tonſuram & religioni debitam veſtem in utroque ſexu filiis aut unus aut ambo parentes dederint, certe & nolentibus aut neſcientibus ſe ſuſceptam, niſi non mox viſam in filiis abdicaverint, ſed coram ſe & coram Eccleſia, palamque in conventu eoſdem filios tali manere habitu permiſerint, ad ſecularem reverti habitum, ipſis filiis penitus non licebit, ſed convicti, quod tonſuram aut religioſam veſtem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque revocentur, & ſub ſtrenua diſtrictione hujus ſanctæ obſervantiæ inſervire cogantur. Parentibus ſane, filios ſuos religioni contradicere non amplius, quàm uſque ad decimum ætatis annum licentia poterit eſſe. Poſtea vero an voluntate parentum, an ſuæ devotionis ſit, ſolitarium votum erit filiis licitum religionis aſſumere cultum. Quiſquis autem & abolitione tonſuræ & ſecularis veſtis aſſumtione detectus fuerit attigiſſe tranſgreſſionem, excommunicationis cenſuram accipiat & religioni ſemper inhæreat.

De Exequiis defuncti Epiſcopi. Ex Concil. Toletano. Cap. IV.

Ea, quæ competunt ſanctis ſtatutis, contingit ſæpe quorundam deſidia non impleri, proinde quia notum quæ dignitas in exequiis morientis Epiſcopi ex canonibus conſervetur, traditioni moris antiqui hoc tantum adjicimus, ut ſi quis ſacerdotum ſecundum ſtatuta Valentini concilij ad humanda decedentis Epiſcopi membra venire commonitus pigra voluntate diſtulerit appellantibus clericis obeuntis epiſcopi, apud ſynodum, ſive metropolitanum *accuſetur eſt* tempore anni unius, nec faciendi miſſam, nec communicandi habeat omninò licentiam. Presby-

teri autem ſive cæteri clerici, quibus major honoris locus apud eandem Eccleſiam fuerit, cujus ſacerdos obierit, ſi omni ſollicitudine pro exequiis aut jam mortui, aut continuo morituri antiſtitis ad commonendum epiſcopum tardi inveniantur, aut per quamcunque moleſtiam animi id negligere comprobantur, totius anni ſpatio ad pœnitentiam in monaſteriis deputentur.

Cap. V. De Altaribus non nudandis. Ex Concil. Tolet.

Ne monaſteriis deputentur ex his, qui faciunt opus Domini fraudulenter & deſidioſè, propheticus ſermo annunciat, & ſi illi væ incurrunt, qui negligenter opus Domini faciunt, quod ſupplicium merebuntur, qui divinæ ſervitutis cultum malitia intercedente ab altari Chriſti ſubducunt: Illos dicimus, qui obſtinatæ mentis doloſitate confuſi cum aliqua eos moleſtia fraternorum jurgiorum pupugerit, inſana illico temeritate abrepti altaria nudantes, ſacris veſtibus exuunt, luminaria ſubtrahunt, ac divinorum ſacrificiorum cultum malitiâ intercedente ſubducunt. Et quod in hominibus ſe vindicare non poſſunt, injuriam Deo, quod pejus eſt inferunt: Vnde ſi hujuſmodi pro fraterno odio homicidij reatu adſtringitur, pro contemtu divino quid pœnæ merebitur? etenim juxta quod divinitus ſermo increpitat, ſi peccaverit vir in virum placari poterit. Si quis autem peccaverit in Deum, quis pro eo rogaturus eſt? facilè ergò talium ſacerdotum exceſſibus illa Domini ſententia coaptabitur, qua malitia ſacerdotum percutitur: dicit enim: Honorificantes me honorificabo, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quicunque ergo ſacerdotum & miniſtrorum deinceps cauſa doloris cujuslibet & amaritudinis permotus, aut altare divinum veſtibus ſacratis exuere præſumſerit, aut qualibet alia lugubri veſte accinxerit, ſeu etiam conſueta luminariorum ſacrorum obſequia de templo Dei ſubtraxerit & extingui præceperit, aut quodcunque lugubritatis in templum Dei induxerit, atque quod pejus eſt, occaſionem nutrierit, unde de templis Domino aut officia conſueta deſint, aut oblatio ſingularis ſacrificij videatur in aliquo defraudari, ſi eum ante veræ pænitudinis coram metropolitano ſatisfactio non purgaverit, ignobilitati perpetuæ mancipatur juxta ſuperiorem ſententiam Domini & loci ſui dignitate ſe noverit honore privari: *Illis* procul dubio perſonis abhac ultionum ſententia ſeparatis, quæ contaminationem

nem ſacrorum ordinum, & ſubverſionem ſacræ fidei metuentes talia fecerint, in quorum facto plus humilitas, quâ Deus placatur, quàm interni livoris doloſitas declaratur.

De Indignis ad Epiſcoporum Ordinem promotis. VI.

Decretum Cœleſtini Papæ cap. XVI.

Ordinatos quoſdam, Fratres Reverendiſſimi, epiſcopos, qui nullis Eccleſiaſticis ordinibus ad tantæ dignitatis faſtigium fuerunt inſtituti, accepimus. Quisquis contra patrum decreta ſe hæc recognoſcit feciſſe, *meminerit*, ad Epiſcopatum his gradibus, quibus frequentiſſimè cautum eſt, perueniendum, ut minoribus initiati officiis ad majora firmentur: debet enim ante eſſe diſcipulus, quisquis Doctor eſſe deſiderat, ut poſſit docere, quod didicit. Omnis vitæ inſtitutio hac ratione ad id, quo tendit, ſe confirmat. Qui minimè literis operam dederit, præceptor eſſe non poteſt literarum. Qui non per ſingula ſtipendia creverit, ad emeritum ſtipendij ordinem non poteſt pervenire: ſolum ſacerdotium inter iſta, rogo, vilius eſt, quod facilius tribuitur, cum difficilius impleatur. Sed jam non ſatis eſt laicos ordinare, quos nullus fieri ordo permittit, ſed etiam, quorum crimina longè lateque per omnes provincias penè ſunt nota, ordinantur: Daniel enim nuper miſſa relatione ex orientalibus ad nos partibus, ab omni, quod tenuerat, virginum monaſterio nefariis eſt objectionibus accuſatus, *& ob* multa objecta flagitia, in qua nam lateret terrarum parte quæſitus eſt, ut ſi ſuæ innocentiæ confideret, contra ſe judicium poſtulatum minime declinaret. Miſſæ ſunt ad Arelatenſem epiſcopum per Fortunatum Subdiaconum noſtrum præceptiones, ut ad judicium deſtinaretur epiſcopale tantis gravatus teſtimoniis, tanta facinorum accuſatione pulſatus, ſacrarum ut dicitur virginum pollutus inceſtu; *Nihilominus* Epiſcopus aſſeritur ordinatus in noſtris libellis, quorum ad vos quoque exemplaria direximus, & in pontificis dignitatem hoc tempore, quo ad cauſam dicendam, miſſis à nobis literis vocabatur obrepſit. Sacro nomini abſit injuria, facilius eſt, ut hanc dignitatem tali dando ipſe amiſerit ordinator, quam *ut* eam obtineat ordinatus, cui convicto ſociabitur, qui eum ſibi credidit largiendo pontificium *(honorem)* ſociandum qualis enim ipſe ſit quisquis tales ordinarit, oſtendit. His ergo in medium nunc deductis, cum plerique veſtrum ſint, qui Apoſto-

Digitized by Google

licæ ſedis ſtatuta cognoverint, nobiſcum tempore aliquanto verſati, ad diſciplinæ normam noſtris conventi adhortationibus nomina fraternitatis revocare feſtinent.

VII. De ἀλλοτριοεπισκόποις. Ex decretis Cœleſtini Papæ. Cap. XIIX.

Nullis invitis detur Epiſcopus; cleri, plebis & ordinis conſenſus & deſiderium requiratur, tunc alter de altera eligatur eccleſia, ſi de civitatis ipſius *eccleſia*, cui eſt Epiſcopus ordinandus clericus nullus dignus (quod evenire non credimus) potuerit inveniri. Habeat unuſquiſque ſuæ fructum malitiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. In aliena ſtipendia minimè alter obrepat, nec alij debitam alter ſibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi, ſi ſe viderint prægravari, & quos ſibi ingeri ex tranſverſo cognoverint, non timeant refutare, qui ſi non debitum præmium, liberum tamen de eo, qui eos recturus eſt, debent habere judicium.

IIX. De retinendis Patrum ſanctionibus. Ex Decretis Cœleſtini papæ Cap. XX.

Cœleſtinus univerſalis Epiſcopus per Apuliam & Calabriam conſtitutis! Nulli ſacerdoti ſuos liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum poſſit regulis obviare (*repugnare*) Quæ enim à nobis res digna ſervabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu, licentiâ populis permiſſa frangatur.

IX. De Militibus ad clerum non promovendis. Ex Decretis Cœleſtini Papæ Cap. XXI.

Audivimus civitates quaſdam proprijs Rectoribus deſtitutas Epiſcopos ſibi petere velle de laicis, tantumque faſtigium tam vile credere, ut hi his, qui non Deo, ſed ſeculo militaverunt, æſtiment nobis poſſe conferri. *Sed hi* non ſolum male de ſuis clericis, in quorum contemtum hoc faciunt, ſed & de nobis peſſimè judicant, quos credunt hoc poſſe facere (*à nobis concedi*) nunquam hoc auderent, ſi non *eſſent quidam, qui* his conſentiente ſententia conniverent. Ita nihil, quæ frequentius ſunt decreta, proficiunt: ut ſic, quaſi nunquam de hac parte ſcriptum fuerit, ignoretur. Quis crediderit per ſingula clericos ſtipendia militaſſe, & omnem egiſſe in domi-

Digitized by Google

dominicis caſtris ætatem, ſi qui his præfuturi ſunt *ex huiuſmodi* laicis requiruntur, qui vacantes ſeculo & omnem eccleſiaſticum ordinem neſcientes ſaltu præpropero alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate tranſcendere, & in vitæ genus calcata reverentia eccleſiaſticæ diſciplinæ tranſire. Talibus itaque, Fratres Reverendiſſ. qui juris noſtri, id eſt canonum gubernacula cuſtodimus, neceſſe eſt obviemus; hiſque fraternitatem veſtram epiſtolis commonemus, ne quis laicum (*talem*) ad ordinem clericatus admittat, & ſinat fieri, unde & illum decipiat & ſibi (*tranſgreßionis*) cauſas generet.

Populo in re illicita non conſentiendum, ſub comminatione. Ex decretis Cœleſtini Papæ. Cap. XXII. X.

Docendus eſt populus, non ſequendus, noſq; ſi neſciunt quid liceat, eos commonere oportet, non conſenſum præbere. Quiſquis verò conatus fuerit tentare prohibita, ſentiet cenſuram ſedis Apoſtolicæ minimè defuturam. Quæ ſola admonitionis auctoritate non corrigimus, neceſſe eſt per ſeveritatem congruentem regulis vindicemus. Hoc ergo per totas, quæ proprijs rectoribus carent, Eccleſias volumus innoteſcat, ut nullus ſibi ſpe aliqua (*veniæ*) forſitan blandiatur. Dat. XII KL. Aug. Florentino & Dionyſio conſulibus.

De Suffocato & Sanguine. Ex Gangrenſi Concilio. Cap. II. XI.

Si quis carnes edentem præter ſanguinem & idolis immolatum & ſuffocatum cum religione & fide condemnat, & ut ſpem propter hujuſmodi perceptionem non habentem, anathema ſit.

De Presbytero, qui uxorem habuit. Ex Gangrenſi Concilio. Cap. IV. XII.

Quicunque diſcernit à presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema ſit.

De privatis Sacrorum conventibus. Ex Gangrenſi Concilio. Cap. VI. XIII.

Si quis extra eccleſiam ſeorſim conventus celebrat & deſpiciens

ciens, Eccleſiam, ea quæ ſunt eccleſiæ, voluerit uſurpare non conveniente presbytero, juxta decretum epiſcopi, anathema ſit.

XIV. De muliere tonſa. Ex Gangrenſi Conc.

Cap. XVII.

Si qua mulier propter divinum cultum, ut æſtimat, crines attondit, quos ei Deus ad ſubjectionis memoriam tribuit, tanquam præceptum diſſolvens obedientiæ, anathema ſit.

XV. Ne Sacerdos moribundus ſucceſſorem deſignet.

Ex Decreto Hilarij Epiſcopi.

Nova & inaudita res, epiſtolis ad nos de Hiſpania miſſis ſub certa relatione pervenit. In quibuſdam locis perverſitatum ſemina naſcuntur, *adeò ut* nonnulli epiſcopatum, qui non niſi meritis præcedentibus datur, non divinum munus, ſed hæreditarium putent eſſe compendium & credant, ſicut res caducas atque mortales, ita ſacerdotium, legato aut teſtamentario jure poſſe dimitti. Nam plerique ſacerdotes in mortis confinio conſtituti in locum ſuum feruntur alios deſignatis nominibus ſurrogare, ut ſcilicet non legitima expectetur electio, ſed defuncti gratificatio pro populi habeatur aſſenſu. Quod quam grave ſit æſtimate, adeóque ſi placet, etiam hanc licentiam generaliter de eccleſiis auferamus, ne, quòd turpe dictu eſt, homo ſibi putet debere, quod Dei eſt. Vt autem quod ad nos perlatum eſt, ad veſtram etiam poſſit pervenire notitiam, Hiſpanorum fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum ſcripta legantur. Paulus notarius recitavit.

XVI. De Impiis Sacerdotibus ſacramenta tractantibus. Ex Decreto Anaſtaſii Epiſcopi.

Cap. VII.

Secundum eccleſiæ Catholicæ conſuetudinem ſacratiſſimum ſerenitatis tuæ pectus agnoſcat, quod nullum de his, quos baptizavit Achatius & quos ſacerdotes ſive Levitas ſecundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Achatij portio læſionis attingat, ne ab iniquo tradita ſacramenti gratia minus firma videatur; Nam & baptiſmus ſive ab adultero ſive à fure fuerit datus, ad percipientem munus pervenit illibatum, quia vox illa, quæ ſonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, quod decla-

Digitized by Google

declaratur ac dicitur, *Hic eſt, qui baptizat in ſpiritu & igne.* Nam ſi viſibilis ſolis radij, cum per loca fœdiſſima tranſeunt, nullo contactus inquinatione maculantur, multomagis illius, qui ſolem viſibilem fecit, virtus nulla miniſterij indignitate contingitur: nam & Iudas cum fuerit ſacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apoſtolos pro dignitate commiſſa, beneficia per indignum data nullum ex his detrimentum ſenſerunt, declarante hoc ipſum Domino maniſeſtiſſima voce: *Scribæ* inquit *& Phariſæi ſuper cathedram Moyſi ſedent, quæ dicunt facite.* Quicquid ergo ad hominum profectum quilibet in eccleſia miniſter pro officio ſuo videtur operari, hoc totum continetur implendo divinitatis effectu. Ita ille, per quem Chriſtus loquitur, Paulus adfirmat: *Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque nec qui plantat, eſt aliquid, nec qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus.* A Deo autem non quæritur, quis & qualis prædicet, ut invitos etiam bene prædicare Chriſtum confirmet; quo malo diabolus ipſe detectus eſt & hoc ipſo *(quod malum eſt)* prædicare non deſinit.

De eadem re. Ex Decreto Anaſtaſij Epiſcopi. Cap. IIX. XIIX.

Ideo ergo & hoc, cujus nomen dicimus eſſe reticendum, bona male miniſtrando ſibi tantum nocuit; Nam inviolabile ſacramentum, quod per illum datum eſt alijs, perfectionem ſuæ virtutis obtinuit; & quia eſt aliquorum in tantum ſe extendens curioſa ſuſceptio, ut imaginentur prolato à Papa Felice judicio, inefficaciter in ſacramentis, quæ Achatius contulit, egiſſe ac proinde metuant, qui & in conſecrationibus & in baptiſmate myſteria *(ab Achatio)* tradita ſuſceperunt, ne irrita beneficia divina videantur, meminerint in hanc quoque partem ſimiliter tractatum pervalere ſuperiorem: neque enim ſine uſurpatione ſacerdotij adjudicatus hoc egit, in quo *(Sacerdotio)* virtutem ſuam obtinentibus myſterijs, in hoc alijs, perſona ſibi rea non nocuit: nam ad illum pertinuit, quod tuba Davidica canitur: *Conquaſſavit Deus capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.* Nam ſuperbia ſemper ſibi, non aliis facit ruinam: quod univerſa ſcripturarum cœleſtium teſtatur auctoritas, ſicut etiam per Spiritum Sanctum dicitur in Propheta: *Non habitabis in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.*

Vnde

Vnde cum ſibi ſacerdotis nomen vindicaverit condemnatus, in ipſius verticem ſuperbiæ tumor inflictus eſt, quia non populus, qui in myſterijs donum ipſius ſitiebat, excluſus eſt: ſed ſola illa, quæ peccavit, anima juſto judicio proprie eſt obnoxia, quod ubique numeroſa ſcripturarum teſtatur inſtructio. Vnde remotis hominum ſtudijs ſive verſutijs in hac adhuc præſenti fragilitate poſitorum, ſecundum preces noſtras auctoritate imperiali offerimus Deo noſtro unam catholicam eccleſiam & Apoſtolicam, quia hoc ſolum eſt, in quo non ſolum in terris ſed etiam in cœlo triumphare ſine fine poſſit.

XIIX. Subſcriptio.

Omnipotens Deus regnum & ſalutem tuam perpetua protectione cuſtodiat glorioſiſſime ſemper Auguſte.

XIX. De Cantoribus eccleſiæ. Ex Concilio Laodicenſi. Cap. XV.

Non oportet amplius præter eos, qui regulariter cantores exiſtunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conſcendere & in eccleſia pſallere.

XX. De tabernis clerico non adeundis. Ex Concilio Laodicenſi. Cap. XXIV.

Non oportet ſacro miniſterio deditos à presbyteris uſque ad Diaconos & reliquum eccleſiaſticum ordinem; item ad ſubdiaconos, lectores, cantores, exorciſtas & oſtiarios & ex numero continentium & monachorum ingredi tabernas.

XXI. De adeundis Conciliis. Ex Concilio Laodicenſi. Cap. XL.

Non oportet epiſcopos ad ſynodum vocatos omnino contemnere, ſed protinus ire & docere & diſcere ea, quæ ad correctionem eccleſiæ & reliquarum pertinent rerum, ſe ipſum vero, qui contemſerit, accuſabit, niſi forte per ægritudinem ire non poſſit.

XXII. De Iejunio Quadrageſimali. Ex Concilio Laodicenſi. Cap. L.

Non oportet in Quadrageſima in ultima ſeptimana V. feriam

feriæ jejunium ſolvere, totamque quadrageſimam ſine veneratione tranſire, magiſque convenit omnem quadrageſimam diſtricto venerari jejunio.

De Feſtis per Quadrag. non agendis. Ex Concilio Laodicenſi. Cap. LI. XXIII.

Non oportet in quadrageſima martyrum natalitia celebrare, ſed eorum ſancta commemoratio in diebus ſabbatorum & dominicorum fieri conveniat.

De Precibus publicis. Ex Concilio Africano Cap. LXIV. XXIV.

Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probatæ fuerint in concilio, ſive præfationes ſive condemnationes ſeu manus impoſitiones ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino contra fidem proferantur, ſed quæcunque cum prudentioribus fuerint collatæ, dicantur.

De lucrandis hæreticis. Ex Concilio Africano. Cap. LXXVI. XXV.

Item placuit, ut quicunque negligunt loca ad ſuam cathedram pertinentia ad catholicam unitatem lucrari, conveniantur â diligentibus vicinis epiſcopis, qui id agere non morentur. Quod ſi intra ſex menſes à die conventionis non effecerint, is, qui potuerit ea lucrari, ad ipſum pertineant, ita tamen, ut ſi ille, ad quem pertinuiſſe videbuntur, probare potuerit ſuam diligentiam fuiſſe præventam, ut eo modo ejus cura ſollicitior vetaretur, cum hoc judices epiſcopi cognoverint, ſuæ cathedræ loca reſtituant. Sane ſi epiſcopi, inter quos cauſa verſatur, diverſarum ſunt provinciarum, ille primates det judices, in cujus provincia eſt locus, de quo contenditur: Si autem ex communi placito vicinos judices elegerint. aut unus eligatur, aut tres; & ſi tres elegerint, aut omnium ſententiam ſequantur aut duorum.

Contra negligentiam Epiſcoporum in convertendis hæreticis. Ex Concilio Africano. Cap. LXXVII. XXVI.

Si in matricibus cathedris epiſcopus negligens fuerit adverſus hæreticos, conveniatur à vicinis epiſcopis diligentius & eis ſua

Digitized by Google

negligentia demonſtretur, ut ſe excuſare non poſſit. Quod ſi ex eo die quo convenitur, intra ſex menſes, eos non ad unitatem catholicam convertendos curaverit, non ei communicetur, donec adimpleat; Si autem executor ad loca non venerit, non adſcribatur epiſcopo.

XXVII. **Contra contemtores canonum. Ex Concilio Carthaginenſi. Cap. XV.**

Gratus epiſcopus dixit; Iuxta ſtatuta concilij & mediocritatis noſtræ ſententiam, placet facere rerum omnium concluſionem, univerſi tituli deſignati & digeſti teneant ſententias ſuas, ſine quibus credo vos tenere multis concilijs â patribus noſtris traditionem eſſe damnatam, & rebaptizationis impietatem eſſe puniendam, quas res etiam noſtro concilio, credo, terminum accepiſſe. Reliqua vero, quæ vel facta vel dicta ſuperius comprehenſa ſunt, & alijs concilijs conſcripta ſecundum legem inveniuntur, cuſtodire oportet; ſi quis vero ſtatuta ſupergreſſus corruperit & pro nihilo habenda putaverit, ſi laicus eſt, communione; ſin clericus, honore privetur. Gratus epiſcopus dixit: Supereſt jam, ut placita omnium noſtrorum, quæ ad conſenſum noſtrum ſunt ſcripta, veſtra quoque ſubſcriptione firmetis. Vniverſi dixerunt, conſenſiſſe nos concilij hujus ſcripta teſtantur, & ſubſcriptione noſtra conſenſus denotabitur, & ſubſcripſerunt.

XXIIX. **Ne communio ſit cum excommunicatis. Ex Concilio Carthaginenſi. Cap. VII.**

Felix Epiſcopus Elemſelitanus dixit: Illud veſtræ ſuggero ſanctitati, ut hi, qui pro facinoribus de eccleſia pelluntur, & auſi fuerint, aut ad comitatū pergere aut ad iudicia publica proſilire, aut eccleſiæ catholicæ lumina attentare de his quid cenſetis? Epigonius Epiſcopus Bullenſium regionum dixit: Si quis epiſcopus communione tenens catholicam hujuſmodi hominem vanis blandimentis incenderit, ſciat ſe cum ijſdem rejectis eſſe depravatum tranſiens in eorum conſortium. Geneclius epiſcopus dixit: Recte ſuggerunt fratres & epiſcopi noſtri, ut qui merito facinorum ſuorum ab eccleſia pulſi ſunt, ſi ab aliquo epiſcopo & clerico fuerint communio-

ne ſu-

Digitized by Google

ne ſuſcepti, etiam ipſi pares cum eiſdem teneantur obnoxij. Ab u-niverſis dictum eſt: omnibus placet.

De libris profanis. Ex Concilio Carthaginenſi. Cap. XVI. XXIX.

Vt epiſcopus libros gentilium non legat, hæreticorum autem pro neceſſitate & tempore.

De ſtudio Concordiæ. Ex Concilio Carthaginenſi. Cap. XXVI. XXX.

Studendum eſt epiſcopo, ut diſſidentes fratres ſive clericos ſive laicos ad pacem magis, quam ad judicium cohortetur.

De Infamibus in judicio non admittendis. Ex Concilio Carthaginenſi. Cap. VII. XXXI.

Nulli infami ac ſacrilego de quocunque negotio liceat quandoque adverſus religioſum Chriſtianum, quamvis humilis ſerviliſque perſona ſit, teſtimonium dicere, nec de qualibet re actione aut inſcriptione eundem impetere.

De eadem re. Ex Concilio Carthaginenſi. Cap. XIIII. XXXII.

Perſonæ accuſantium tales eſſe debent, quarum fides & converſatio & vita probabilis & abſque reprehenſione ſit, & quæ omni careant ſuſpicione, quia etiam in Nicena ſynodo propter malorum hominum inſidias ſunt hæc & alia quam plura decreta.

De diffamantibus clericos. Ex Concilio Carthaginenſi. Cap. V. XXXIII.

Si quis epiſcopum ac presbyterum aut diaconum falſis criminibus appetierit & probare non potuerit, nec in fine dandam ei eſſe communionem.

De Raptoribus. Ex Concilio Carthaginenſi. Cap. IIX. XXXIV.

Vt ſi quis quemlibet expoliaverit, & admonente epiſcopo non reddiderit, excommunicetur.

XXXV. Imperator divinæ legi ſubeſt. Ex concilio Carthaginenſi. Cap. IIX.

Non licet imperatori & cuiquam pietatem cuſtodienti aliquid contra divina præſumere.

XXXVI. Contra injuſta mandata. Ex Concilio Carthaginenſi. Cap. IIX.

Injuſtum judicium & definitio injuſta regio metu & juſſu à judicibus ordinata non valeat.

XXXVII Ne quis pœnitens ordinetur. Cap. LXXXIV

Ex pœnitentibus quamvis bonus clericus non ordinetur, ſi per ignorantiam epiſcopi factus fuerit, deponatur à clero, quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem. Si autem ſciens epiſcopus ordinavit, etiam ipſe ab epiſcopatu ſuo ordinandi duntaxat poteſtate privetur.

XXXIIX Lex civilis divinæ non præjudicat. Ex Decretis Marcellini Papæ. Cap. IV.

Non licet ergo imperatori & cuiquam pietatem cuſtodienti aliquid contra mandata divinitatis præſumere, nec quicquam quod evangelicis propheticiſque ſeu apoſtolicis regulis obviat, agere: Injuſtum enim judicium & definitio injuſta regio metu & juſſu â judicibus ordinata non valet, nec quicquam quod contra evangelicam, propheticam aut apoſtolicam doctrinam conſtitutionemque eorum ſive ſanctorum patrum actum fuerit, ſtabit, & quod ab infidelibus aut hæreticis factum fuerit, omnino caſſabitur.

XXXIX. De Sacerdotibus non perſequendis. Ex Decretis Pij Papæ.

Quod ſi quis præſumſerit prædia eccleſiaſtica ſibi uſurpare, ipſoſque clericos & Domini ſacerdotes perſequi, ſacrilegus habeatur, & ſicut ſacrilegus judicetur. Ipſos autem, qui hoc agunt clericos & Domini ſacerdotes perſequi audivimus, ut malum ſuper malum addant & deteriores fiant, non intelligentes, quod eccleſia Dei in ſacerdotibus conſiſtit & creſcit in templum Dei & ſicut qui eccleſiam Dei vaſtat, ejus prædia & donaria ſpoliat & invadit fit ſa-

ſic ſacrilegus, ſic & ille, qui ejus ſacerdotes inſequitur, ſacrilegij reus judicatur. Æmulamini, fratres, Chariſmata meliora & nolite talia agere, quum non ſolum qui talia agunt, ſunt hujus criminis rei, ſed & qui facientibus conſentiunt.

Norma interpretandi S. Scripturam. Ex Decretis Clementis Papæ. Cap. LXXXIV. XL.

Diligenter obſervandum eſt, ut lex Dei cum legitur, non ſecundum propriam ingenij intelligentiam legatur & doceatur. Sunt enim multa in ſcripturis divinis, quæ poſſunt trahi ad illum ſenſum, quem ſibi unuſquiſque ſponte præſumſit, ſed fieri non oportet: Non enim ſenſum, quem extrinſecus adulteratis, alienum & extraneum debetis quærere, aut quomodo ipſum auctoritate ſcripturarum confirmetis, ſed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis. Et ideo oportet ab eo intelligentiam diſcere ſcripturarum, qui eam â majoribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſervat, ut & ipſe poſſit eam, quam recte ſuſcepit, competenter aſſerere. Cum enim ex divinis ſcripturis integram quis & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi aliquid etiam ex eruditione communi ac liberalibus ſtudijs, quæ forte in pueritia attigit ad aſſertionem veri dogmatis conferat, ita tamen, ut ubi vera didicit, falſa & ſimulata declinet; Incertum eſt enim juvenibus vitæ tempus, ſenibus autem jam non incertum eſt: Non enim dubitatur, quod quantumcunque eſt, quod putatur, breve ſit.

Ne quis erranti conſentiat. Ex Decretis Pij Papæ. Cap. III. XLI.

Quid prodeſt illi ſuo errore non pollui, qui conſenſum præſtat erranti? ſine dubio enim contra *Dei* mandata dimicat & qui *errat & qui* conſenſum præſtat erranti.

De vitanda eorum amicitia, qui Sacerdotes perſequuntur. Ex decretis Alexandri Papæ. Cap. VI. XLII.

Has conſiderantes pietates & pericula vitantes animarum una cum omnibus Domini ſacerdotibus, qui nobiſcum in hanc ſacram convenerunt urbem & cum omnibus hujus capitis membris, ſicut â beatis Apoſtolis & reliquis ſanctis patribus & â ſucceſſori-

ceſſori-

ceſſoribus eorum accepimus ſtatuentes decernimus, omnes, qui ſanctos patres perſequuntur, aut amovere & dilacerare manifeſtè nituntur, infames eſſe, & alienos â liminibus eccleſiæ uſque ad ſatiſfactionem fieri: quia ſic odit Deus eos, qui adverſus patres armantur, ut patrum invaſores & deſtructores, qui ideo infames efficiuntur, quia patres perſequuntur, quum ſi nec loqui eis licet, quibus doctores ſummi, quos epiſcopos vocamus, propter eorum ſcelera adverſantur, quanto magis eis, qui eos infeſtant, nec conſentiendum eſt nec loquendum, ne participes eorum inveniantur ſceleribus, quia non ſolum, qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, rei ſunt. Vnde & beatus Princeps Apoſtolorum Petrus in ordinatione ſancti prædeceſſoris noſtri Clementis inſtruens clerum & populum ait: Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus ſuis, vos nolite exſpectare, ut ipſe vobis dicat. Cum illo nolite amici eſſe, ſed prudenter obſervare debetis, & voluntati ejus abſque commutatione obſecundare & avertite vos ab eo, cui ipſum ſentitis adverſum. Sed nec loquimini his, quibus ipſe non loquitur, ut unuſquiſq;, qui in culpa eſt, dum cupit omnium veſtrorũ amicitias ferre, feſtinet citius reconciliari ei, qui omnibus præeſt, & pro hoc redeat ad ſalutem, cum obedire cœperit monitis præſidentis. Si quis verò amicus fuerit his, quibus ipſe non loquitur, unus eſt & ipſe ex illis, qui exinanire Dei eccleſiam volunt & cum corpore vobiſcum eſſe videatur, mente & animo contra vos eſt, & eſt multo nequior hoſtis hic, quam illi, qui foris ſunt & evidentes inimici ſunt; hic enim per amicitiæ ſpeciem prout inimicus ſuggerit eccleſiam diſpergit ac vaſtat. Si metropolitanus â quocunque conprovinciali epiſcopo bis fuerit in cauſa propria compellatus, & eum audire diſtulerit, in proxima ſynodo negotij ſui habeat licentiam exercendi, & quicquid propter juſtitiam â provincialibus fuerit ſtatutum, debet cuſtodiri.

XLIIII.

De querimonia inter presbyterum & laicum. Cap. XXI.

Si quis presbyter contra laicum & laicus contra presbyterum aliquam habet querimoniæ controuerſiam, epiſcopo regente ſine perſonarum acceptione finiatur, laicus per juramentum, ſi neceſſe ſit, conſtringatur; Presbyter vero loco juramenti per ſanctam conſecra-

ſecrationem interrogetur, quia ſacerdotes ex levi cauſa jurare non debent. *Manus, per quam corpus & ſanguis Chriſti conficitur, iuramento non polluatur, abſit!* cum Dominus in evangelio diſcipulis ſuis, quorum vicem nos indigni in ſancta gerimus eccleſia, dicat: Nolite omnino jurare; ſit autem ſermo veſter, eſt eſt, non non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt; Et in quadam homilia beati Bedæ presbyteri legimus, ſi forte nos incautius juraſſe contigerit, quod ſcilicet obſervatum pejorem vergat in exitum, libere illud mutandum noverimus ſalubriori conſilio.

Si quis liber libertam duxerit, ulterius habere debebit. Cap. XXXIIX. XLIV.

In Decretis Papæ Leonis cap. XVII ſcriptum eſt: *Non omnis mulier viro juncta uxor eſt viri, quia nec omnis filius heres eſt patris.* Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos & inter æquales ſunt legitima. Itaque aliud uxor eſt, aliud concubina, ſicut aliud ancilla, aliud libera. Igitur ſi quis filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam conjugato dederit, niſi forte illa mulier & ingenua ſit facta & dotata legitime & publicis nuptiis honeſtata videatur; unde paternam ſequentes auctoritatem ſub præſenti hujus ſancti concilij catalogo ſtatuimus & libere judicamus: ſi quis liber libertam, hoc eſt, ex ancilla per manumiſſionem & regalem largitionem liberam factam legitime in matrimonium duxerit, ulterius habere debet, tanquam unam ex nobili genere progenitam, excepta fornicationis cauſa, & quamdiu illa vivit, nullam aliam accipiat. Eſt igitur, ut ex Decretis Papæ Leonis prædiximus, ingenua facta & dotata legitime & publicis honeſtata nuptiis, & propterea jam non eſt concubina, ſed uxor legibus acquiſita. Hæc eadem lex pro qualitate ſexus ſit fœminis & viris libertis.

De Fœmina ingenua, quæ ſervum accipit. XLV.

Si fœmina ingenua accipit ſervum ſciens, quod ſervus eſſet, habeat eum. Vna lex erit & viro & fœminæ.

XLVI. De Epiſcopo non audito à Metropolitano. Ex Synodo Aurelianenſi. Caput. XII.

Si metropolitanus à quocunque comprovinciali epiſcopo bis fuerit in cauſa propria appellatus & eum audire diſtulerit, ad proximam ſynodum negocium ſuum habeat licentiam exercendi, & quicquid à comprovincialibus epiſcopis ſtatutum fuerit, obſervetur.

XLVII. Contra Auguria & Sortes Sanctorum. Ex Synodo Agathenſi.

Nec illud eſt prætereundum, quod maximè fidem religionis infeſtat, quod aliqui clerici & laici ſtudeant auguriis & ſub nomine fictæ religionis, quam ſortes ſanctorum vocant, divinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcunque ſcripturarum inſpectione futura promittunt. Quicunque Clericus aut laicus detectus fuerit talia conſulere & docere, ab eccleſia ejiciatur.

XLIIX. De Reſponſione Plebis ad ſalutationem Sacerdotum. Ex Capit.

Intimandum eſt, ut ad ſalutationes ſacerdotales congruæ reſponſiones dicantur, uti non ſolum clerici & Deo dicati ſacerdotes reſponſionem offerant, ſed omnis plebs devota conſona voce reſpondere debet.

XLIX. Quæ ſint Sacerdotibus diſcenda.

Ipſis ſacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, Baptiſterium, Canon Pœnitentialis, Pſalterium, Omeliæ per circulum anni dominicis diebus & ſingulis feſtivitatibus aptæ, ex quibus omnibus ſi unum defecerit, ſacerdotis nomen in eo conſtabit, quia valde periculoſæ ſunt evangelicæ ruinæ, quibus dicitur, ſi cœcus cœco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.

L. De Peregrinantibus.

Nullus ordinatus ſive ordinandus migret de ſua Parochia

ad aliam

ad aliam nec ad limina Apoſtolorum cauſa orationis, eccleſiæ ſuæ cura derelicta nec à communione ſuſpenſus ab alio ad communionem recipiatur ſine permiſſione & præſentia epiſcopi ſui; quod ſi quis fecerit, nihil valet hujuſmodi communio aut ordinatio aut demigratio, & hoc omnibus fidelibus denuntiandum, ut qui cauſa orationis ad limina beatorum pergere cupiunt, domi confiteantur peccata ſua & ſic proficiſcantur, quia à proprio epiſcopo ſuo aut ſacerdote ligandi vel ſolvendi ſunt, non ab extraneo.

De Patrinis in Baptiſmo. LI.

Plebibus denuntient, quod filios & filias ſpiritales, quos in baptiſmate ſuſcipiunt, eis fidejuſſores & ſponſores fidei exiſtant, & pro eis diabolo, cui antea mancipati fuerant, abrenuncient. Et ideo uſque dum adulti fuerint & eis fidei ſuæ ſponſionem & abrenuntiationis formulam expoſuerint & reddiderint, in ſua providentia habeant, & quod illi pro eis ſpoponderunt, ab eis eadem reſponſa ex integro exigant.

De Clericis monachos ſe fingentibus. LII.

Vt Clerici, qui ſe fingunt habitu & nomine monachos eſſe & non ſunt, omnimodis corrigantur atque emendentur, ut & veri monachi ſint & veri canonici.

Quod ab epiſcopis jejunis impoſitionem manuum fieri oporteat. LIII.

Epiſcopi non niſi jejuni, per impoſitionem manuum ſpiritum ſanctum tradant, exceptis infirmis & morte periclitantibus. Sicut autem duobus temporibus paſcha videlicet & pentecoſte baptiſmum, ita etiam traditionem ſancti ſpiritus à jejunis pontificibus convenit celebrari.

Ex Decreto Caroli Imperatoris. LIV.

Vt CLOCCAS non baptizent, nec cartas per perticas pendeant propter grandinem &c. *Imperator non eſt ſupra legem Dei, ſed ſubditus.*

NB.

Miretur aliquis, quomodo iſta cohæreant: Cloccæ vel

campanæ non ſunt baptizandæ, nec cartæ per perticas ſuſpendenda; &: Imperator non eſt ſupra Dei legem, ſed ſub Lege divina. Equidem conjicio id, quod de Imperatore inditum eſt, ad textum (cum eo enim prorſus non congruit) non pertinere, ſed à pontificio quodam, qui campanarum baptiſmum contra edictum Caroli Cæſaris, tueri voluit textui inſertum, ut oſtenderet, Cæſari poteſtatem baptiſmi Campanarum prohibendi non fuiſſe, cum Lex Eccleſiaſtica (quam Dei legem ſpecioſe vocat) eundem approbaverit, huic autem ipſe Cæſar ſubſit, quaſi verò civili & ſupremo quidem Magiſtratui nulla ſit ferendarum Legum in Eccleſia poteſtas. Sed ea de re alibi. De cætero campanarum baptiſmum in Eccleſia primus circa A. C. *966* Iohannes XIV approbaſſe videtur. Is enim campanam Eccleſiæ Lateranenſis primus baptizari fecit ſuoque nomine Iohannem dixit; Ab h. t. ſimilis ſuperſtitio in Papatu permanſit. Si igitur hæc de Imperatore inſerta à primo horum Canonum collectore profecta dixeris, fuerit ille non Regino, qui vix primordia ſeculi X attigit, ſed alius, qui poſt tempora Iohannis XIII h. e. poſt A. C. *966* vixerit.

LV. Incipit notitia librorum apocryphorum.

In primis Aruminenſem ſynodum à Conſtantino Cæſare Conſtantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto ex tunc & in æternum confitemur eſſe damnatam, item Itinerarium, nomine Petri Apoſtoli quod appellatur; Sancti Clementis libros IIX Apocryphos: actus nomine Andreæ Apoſtoli apocr. Actus nomine Thomæ Apoſtoli Apocr. Actus alios nomine Petri Apoſtoli apocr. Actus nomine Philippi apoſtoli Apocr. Evangelia nomine Taddæi apocr. Evangelia nomine Barnabæ apocr. Evangelia nomine Petri Apoſtoli apocrypha, Evangelia nomine Thomæ, quibus Manichæi utuntur, apocrypha, Evangelia nomine Bartholomæi apocrypha, Evangelia nomine Andreæ Apoſtoli apocrypha, Evangelia, quæ falſavit Lucianus, apocrypha, Evangelia, quæ falſavit Yſicius, apocrypha, Liber de Infantia Salvatoris apocryphus, Liber de Nativitate Salvatoris, & de Maria & de obſtetrice Apocryphus, Liber qui appellatur Paſtoris apocryphus, Libri omnes, quos fecit Leucius diſcipulus diaboli, apocryphi; Liber, qui appellatur *fundamentum* Apocr. Liber qui appellatur *theſaurus* Apocryphus, Liber de

filiabus

Digitized by Google

filiabus Adelgenenſis Apocr. Centimetrum de Chriſto compaginatum verſibus Apocr. Liber, qui appellatur actus eccleſiæ, Apocr. Revelatio, quæ appellatur Pauli Apocr. Revelatio, quæ appellatur Thomæ Apocry. Revelatio, quæ appellatur Stephani Apocr. Liber, qui appellatur Tranſitus ſanctæ Mariæ Apocr. Liber, qui appellatur Pœnitentia Adam Apocr. Liber Deugiæ nomine Gigantis, qui ante diluvium cum dracone pugnaſſe ab hæreticis perhibetur Apocr. Liber, qui appellatur Teſtamentum Iobi Apocr. Liber, qui appellatur Pœnitentia ſancti Cypriani Apocr. Liber qui appellatur ſors apoſtolorum Apocr. Liber Phyſiologus ab hæreticis conſcriptus, & beati Ambroſii nomine præſignatus Apocr. Hiſtoria Euſebij Pamphilij Apocr. Opuſcula Tertulliani Apocr. Opuſcula Poſtumania & Galli Apocr. Opuſcula Montani & Priſcillæ & Maximillæ Apocr. Opuſcula omnia Fauſti Manichæi Apocr. Opuſcula alterius Clementis Alexandrini Apocr. Opuſcula Caſſiani Presbyteri Galliarum Apocr. Opuſcula Victorini Pictavienſis Apocr. Opuſcula omnia Fauſti Regienſis Galliarum Apocr. Opuſcula Frummeij Apocr. Epiſtola Ieſu ad Abaggarum Apocr. Epiſtola Abbaggari ad Ieſum Apocr. Scripta, quæ appellantur Salomonis contradictio, Apocr. Phylacteria omnia, quæ Angelorum, ut illi confingunt, ſed Dæmonum magis nominibus conſcripta ſunt, Apocr. Hæc & his ſimilia, quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Baſilides, Ebion, Paulus etiam Samoſatenus, Photinus & Bonoſus, qui ſimili errore defecerunt, Montanus quoque cum ſuis obſcœniſſimis ſequacibus, Apollinares Valentinus ſive Fauſtus, Manichæus Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Galiſtus, Donatus & Euſtatius, Pelagius, Iulianus Edanenſis, Cæleſtius Maximianus, Priſcillianus ab Hiſpania, Dioſcorus, Eutycius Petrus & alius Petrus è quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam macularunt. Achatius Conſtantinopolitanus cum conſortibus ſuis & omnibus hæreticis eorumque diſcipulis ſive ſchiſmaticis docuerunt & reſcripſerunt, quorum nomina minime retinemus non ſolum repudiata, verum etiam ab omni catholicâ Romana eccleſia eliminata, atque cum ſuis auctoribus auctorumque ſequacibus ſub anathematis inſolubili vinculo in æternum confitemur eſſe damnata.

LVI. Qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur. Ex Concilio Vaſenſi. Cap. LXXXIIX.

Qui oblationes defunctorum retinent & eccleſiis tradere demorantur, ut infideles, ſunt ab eccleſia abjiciendi quouſque ad exinanitionem fidei pervenire certum eſt, hac pietatis divinæ exacerbatione, qua & fideles de corpore recedentes votorum plenitudine & pauperes collata alimonia & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur, hi tales quaſi egentium necatores nec credentes judicium Dei habendi ſunt, unde & quidam patrum hoc ſcriptis ſuis inſeruit, congruente ſententia, dum ait: Amico quippiam rapere furtum eſt, eccleſiam fraudare ſacrilegium.

LVII. De Conjunctionibus inceſtis. Ex Epiſtola Decretali Caliſti Papæ univerſis Galliarum Vrbium Epiſcopis directa. Cap. CXXXV.

Conjunctiones conſanguineorum fieri prohibete, quod eos & divinæ & ſanctæ prohibent leges; Leges ergo divinæ hæc agentes & eos, qui ex eis prodeunt, non ſolum ejiciunt, ſed & maledictos appellant. *Iuxta* leges vero ſeculi infames eſſe cenſentur: Eos autem conſanguineos dicimus, quos divinæ & Imperatorum Romanorum atque Græcorum leges conſanguineos appellant & in hæreditate ſuſcipiunt nec repellere poſſunt; Talium enim conjunctiones nec legitimæ ſunt nec manere poſſunt, ſed ſunt repellendæ. Quisquis ergo non eſt legitime conjunctus vel abſque ſacerdotali titulo ac benedictione ſacerdotis conſtat copulatus, ſacerdotes vel legitime conjunctos criminari & in eos teſtificari minime poteſt. Nam omnis inceſti macula pollutus infamis eſt, & accuſare ſupra dictos non permittitur: Non ſolum ergo hi rejiciendi ſunt & infames efficiuntur, ſed etiam omnes eis conſentientes.

LIIX. De Digamis Sacerdotum. Ex Decreto Hilarij Papæ Cap. XXIIX.

De digamis conſuli non debuit, quod manifeſta ſit lectio Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtoli, Vnius uxoris virum ad ſacerdotium ſive ad clericatum admitti debere. Et hanc ipſam tamen, ſi virginem accepit; Nam ea, quæ habuit ante virum, licet vir defunctus ſit, tamen ſi poſtea clerico fuerit copulata, clericus, qui eam acceperit, eſſe non poteſt, quia in lege cautum eſt, non viduam, non abjectam habere poſſe conjugem ſacerdotem.

De perſonis in judicio neceſſariis. Ex Concilio Africano Cap. CXXI. LIX.

Nemo ſimul ſit accuſator, teſtis & judex. Nullus unquam præſumat accuſator ſimul eſſe & judex & teſtis, cum in omni loco judicij quatuor perſonas neceſſe ſit ſemper adeſſe, vel judices electos & accuſatores atque defenſores & teſtes.

De Calumniis in Iudicio vitandis. Ex Concilio Africano. Capit. CXXXI. LX.

Accuſatores vero & judices non idem ſunt, ſed per ſe accuſatores, per ſe judices, per ſe teſtes, per ſe accuſati, unusquisque in ſuo ordinabiliter ordine. Nam inſcriptio primo ſemper fiat, ut talionem calumniator recipiat; quia ante inſcriptionem nemo debet judicari vel damnari, cum & ſeculi leges hæc eadem retineant de quibus omnibus vera ſemper fiat æqualitas, ut accuſationis & judicij, teſtimonij mercedem per veritatem geſtorum conſequi valeant.

De Peccato in Sp. S. Ex Corpore Theodoſii. Cap. XXII. LXI.

Qui vero in eccleſia remitti peccata non credens contemnit divini muneris largitatem, & hac obſtinatione mentis diem claudit extremum, reus eſt irremiſſibili peccato in Spiritum Sanctum, de qua quæſtione difficili in quodam propter hoc ſo-

lum

lum conſcripto libello enucleatiſſime, quantum potui diſputavi.

LXII. ## Ne quis cum excommunicato communicet. Ex Inſtitutis Caſſiani Cap. CCLII.

Si quis pro qualibet culpa ſua fuerit ab oratione ſuſpenſus, nullus cum eo orandi aut loquendi habeat licentiam, antequam ſupplicanti licentia à priore tribuatur. Nam qui ſe orationi & confabulationi ejus, antequam à Priore recipiatur, inconſiderata pietate præſumſerit, ſimilis damnationis reus efficitur tradens ſemetipſum voluntarie Satanæ, cum ille ſecundum ſententiam Apoſtoli pro ſui reatus emendatione fuerit depulſus, & in hoc gravius peccat, qui ſe ipſi conjungit, quia ſolatium ei tribuens cor ejus amplius facit indurari, & non permittit eum pro hoc, quod ab oratione fuerat ſegregatus, de ſatisfactione ſua & venia cogitare, ſed per majorem ſuperbiæ fomitem, contumaciam delinquentis nutrit in pejus.

LXIII. ## De Eadem re. Baſilij Epiſcopi Capit. CCLIII.

Cum excommunicato neque orare neque loqui neque veſci cuiquam licebit.

LXIV. ## De Eadem re. Vnde ſupra Capit. CXIV.

Si quis frater aut palam aut abſconſe cum excommunicato fuerit collocutus aut convictus, communem ſtatim cum eo excommunicationis pœnam contrahat.

LXV. ## De Eadem re. Fructuoſi Epiſcopi Cap. CC LVI.

Cum excommunicato nullus loquatur, neque qualibet cum compaſſione vel miſeratione refoveat, neque ad contradictionem vel ſuperbiam confortare præſumat.

De

De Eadem re. Ex Concilio Antiocheno. Cap. CCLVII. LXVI.

Non autem liceat communicare excommunicatis, neque per domus ingredi & cum eis orare, qui eccleſiæ in oratione non participant, nec in alteram eccleſiam recipere, qui ab alia excommunicantur. Quod ſi viſus fuerit quilibet epiſcoporum & presbyterorum aut Diaconorum vel eorum, qui in canone detinentur, incommunicatis communicare, etiam hunc oportet communione privari, tanquam eccleſiæ regulas confundentem.

De Propoſito malè agendi. Ex Concilio Carthaginenſi. Capit. XXXII. LXVII.

Si quis definierit aliquid agere, quod Deo non placet, juxta modum peccati pœnitentiam agat, & hoc quod temere & injuſte definivit, in irritum revocetur.

De His, qui reconciliari nolunt. Ex eodem Concilio. Capit. XXXIIX. LXIIX.

Si quis contriſtatus noluerit reconciliari, ſatisfaciente eo qui contriſtavit, acerrimis maceretur inediis uſque dum gratanti animo recipiat ſatisfactionem.

De Eadem re. Ex Capitulo XLVI.

Si quis non vult reconciliari fratri ſuo, quem odio habet, tamdiu in pane & aqua pœniteat, uſque dum ei reconcilietur.

Quod nuſquam canones præcipiant, ut præ ægritudine Epiſcopi alius ſuccedat. Cap. CLIIX. LXIX.

Scripſit mihi tua dilectio piiſſimum Dominum noſtrum reverendiſſimo fratri meo Iohanni primo Iuſtiniano Epiſcopo pro ægritudine capitis, quam patitur, præcipere ſuccedi, ne fortaſſe

Digitized by Google

LXX. dum epiſcopi jura eadem civitas non habet, quod abſit, ab hoſtibus pereat. Et quidem nuſquam canones præcipiunt, ut pro ægritudine epiſcopo ſuccedatur, & omnino injuſtum eſt, ut ſi moleſtia corporis irruit, honore ſuo privetur ægrotus, atque ideo per vos fieri non poteſt, ne peccatum in eo aut ex ejus depoſitio ne veniat; ſed ſuggerendum eſt, ut ſi quis in regimine ægrotat, diſpenſator illi talis requiratur, qui poſſit ejus curam omnem agere, & locum illius in regimine eccleſiæ ipſo non depoſito in cuſtodiam civitatis implere, ut neque Deus Omnipotens offendatur, neque civitas inveniatur eſſe negle&a. Si vero idem reverendiſſimus Iohannes fortaſſe pro moleſtia ſua petierit, ut ab epiſcopatus honore ſibi liceat vacare, eo petitionem ſcripto dante concedendum eſt; aliter autem nos id facere pro Omnipotentis Dei timore omnimodè non valemus.

LXXI. Per ſcripta nullius accuſatio ſuſcipiatur, ſed propria voce, quia nullus abſens judicari poteſt, aut judicare. Capit. CXXV.

Per ſcripta nullius accuſatio ſuſcipiatur, ſed propria voce, ſi legitima & condigna accuſatoris perſona fuerit, præſente videlicet & eo, quem accuſare deſiderat, quia nullus abſens aut accuſari poteſt aut accuſare; Nullus tamen præfati ordinis vir accuſari poteſt, aut reſpondere ſuis accuſatoribus debet, priusquam regulariter à ſuo Primate vocatus ſit, locumque defendendi & inquirendi ad abluenda crimina acceperit.

Hactenus Capitula

In ſolo Codice Viennenſi reperta.

H. l. monendus videris B. L. authenticum codicem Viennenſem ad nos non perlatum; in deſcriptis autem ſchedis ſemel atque iterum ſphalmata, nunc ſenſum incompletum, nunc corrupta verba nos deprehendiſſe. Errores alicubi correximus, ne Lectori remoras ſine cauſa poneremus. Quæ verò jam ſuccedunt Capitula, ex Moguntino Antographo expreſſimus, ſed eadem in MS. Viennenſi quoque reperimus; Solum Exemplar Helmſtadienſe iiſdem caret.

Sequun-

Sequuntur Capitula ſub finem Libri poſterioris in MS. Moguntino reperta, quæ in Codice Bibliothecæ Iuliæ non habentur.

Contra eos, qui dicunt S. Gregorium Papam Rom. ad interrogationem Auguſtini Cantuariorum Epiſcopi, (reſpondiſſe) *conſanguinitatis quarta generatione contracta Matrimonia ſolvi minimè debere.* Cap. I.

Excerptum ex Vita S. Gregorij, l. 2. cap. 37.

GRegorius Papa Rom. requiſitus ab Auguſtino Anglorum gentis Epiſcopo, ad quotam uſque generationem fideles debeant copulari? diſpenſatoriè reſcripſit: Quædam terrena lex in Romana Republica permittit, ut ſive fratris & ſororis, ſeu duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororum filius & filia miſceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere, unde neceſſe eſt, ut jam quarta vel ſexta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat. Nam in ſecunda, quam prædiximus, omnino debet abſtineri. Verum poſt multum temporis à Felice Meſene Siciliæ præſule requiſitus, utrum Auguſtino ſcripſerit, ut Anglorum quarta generatione contracta matrimonia minime ſolverentur? humilimus pater Gregorius inter cætera talem dedit rationem: Quod ſcripſi Auguſtino Anglorum gentis Epiſcopo, alumno videlicet tuo, ut recordaris, de ſanguinitatis conjunctione, ipſi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono, quod cæperat, metuendo auſteriora recederet, ſpecialiter & non generaliter me ſcripſiſſe cognoſcas; Vnde & mihi omnis Romana civitas teſtis exiſtit. Nec illa intentione hæc illis ſcripſi mandata, ut poſtquam firma radice in fide ſolidati fuerint,

Digitized by Google

fuerint, ſi intra propriam conſanguinitatem inventi fuerint, non ſeparentur, aut intra affinitatis lineam, id eſt, uſque ad ſeptimam generationem jungantur. Sed adhuc illos neophytos exiſtentes, ſæpiſſime eos prius illicita docere & verbis ac exemplis inſtruere, & quæ poſt de talibus egerint, rationabiliter & fideliter excludere oportet. Nam juxta Apoſtolum, qui ait, lac vobis dedi in eſcam, iſta illis modò, non poſteris, ut præfixum eſt, temporibus tenenda indulſimus; ne bonum, quod infirma adhuc radice plantatum erat, exureretur, ſed aliquantum firmaretur, & uſque ad perfectionem cuſtodiretur. Hæc ego Iohannes idcirco perſtringenda curavi, ut hi, qui occaſione novæ diſpenſationis illicita matrimonia contra hunc eruditiſſimum virum non regulariter quartæ generationis copulam cenſuiſſe *dicunt*, venialiter ſimulque temporaliter id *cum* permiſiſſe cognoſcant.

Cap. II. **Ne Presbyter absque ſententia Synodi deponatur. Ex Concilio Toletano, Cap. XIII.**

Comperimus quendam Fragitanum Cordubenſis Eccleſiæ presbyterum à pontifice ſuo injuſtè olim dejectum & innocentem exilio condemnatum, quem rurſum ordini ſuo reſtituentes, id denuo adverſus præſumtionem noſtram decrevimus, ut juxta priſcorum patrum ſynodalem ſententiam, nullus noſtrum ſine Concilij examine dejiciendum quemlibet presbyterorum vel diaconorum audeat; Epiſcopus enim ſacerdotibus ac miniſtris ſolus honorem dare poteſt, auferre ſolus non poteſt. Presbyter profectò nec ab uno damnari, nec uno judicante poterit honoris ſui privilegio denudari, ſed præſtanti ſynodali judicio, quod canon de illis præceperit, finiendum eſt.

Cap. III. **De Subjectione Abbatum & monachorum. Ex Concil. Aurelian. Cap. XV**

Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſi quid extra regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur, qui ſemel in anno, in loco, ubi Epiſcopus elegerit, accepta vocatione conveniant. Monachi autem Abbatibus omni obedientia & devotione ſubjaceant. Quod ſi quis per contumaciam extiterit indevotus, ac per loca aliqua vagari aut peculiare aliquid

aliquid habere præſumſerit, omnia quæ acquiſiverit, ab Abbatibus auferantur ſecundum regulam monaſterio profutura. Ipſi autem, qui fuerint pervagati, ubi inventi fuerint, cum auxilio Epiſcopi tanquam fugaces ſub cuſtodiam revocentur, & reum ſe Abbas futurum eſſe cognoſcat, qui in hujuſmodi perſonis non regulari animadverſione diſtrinxerit, vel qui monachum ſuſceperit alienum.

De Immunitate Cœnobiorum. Ex Concil. Toletano IV. Cap. LI. IV.

Nunciatum eſt præſenti Concilio quod Monachi Epiſcopali imperio ſervili opere mancipentur & jura monaſteriorum contra conſtituta canonum illicita præſumtione uſurpentur, ita ut pene ex cœnobio poſſeſſio fiat, atque illuſtris portio Chriſti ad ignominiam ſervitutemque perveniat. Quapropter monemus, qui Eccleſiis præſunt, ut ultra talia non præſumant. Sed hoc tantum in monaſterio ſibi vendicent ſacerdotes, quod præcipiunt canones, id eſt ad converſationem ſanctam præmonere Abbates, aliaque officia conſtituere atque extra regulam facta corrigere. Quod ſi aliqui in monachis canonibus interdictum præſumſerint, aut uſurpare quippiam de monaſterij rebus tentaverint, non deerit ab illis ſententia excommunicationis, qui ſe deinceps nequaquam ſubtulerint ab illicitis.

De Liberis in Cœnobia traditis; & poſtea Clerum ambientibus. Ex Concil. Toletano Cap. CIX. V.

De his, quos voluntas parentum à primis infantiæ annis divinis miniſteriis tradiderit, id ſtatuimus obſervandum, ut mox atque detonſi, vel miniſterio lectorum traditi fuerint in domo Eccleſiæ ab Epiſcopali præſentia à præpoſito ſibi debeant erudiri. Liberum tamen propriæ voluntatis arbitrium habeant, ubi ſe Clericatus officio mancipari elegerint: At ubi octavum decimum ætatis ſuæ annum compleverint, coram totius Cleri plebisque conſpectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab Epiſcopo præſentetur. Quibus ſi gratia caſtitatis, Deo inſpirante, placuerit & profeſſionem caſtimoniæ ſuæ absque conjugali neceſſitate ſpoponderint ſervaturos, hi tanquam appetitores arctiſſimæ vitæ leviſſimo

viſſimo Domini jugo ſubdantur ac primum Subdiaconatus miniſterium habeant; quod à probatione profeſſionis ſuæ à viceſimo anno ſuſcipiant. Quod ſi inculpabiliter ac ſic inoffenſe viceſimum quintum ætatis ſuæ annum peregerint, ad Diaconatus officium, ſi id ſcienter *ſe* implere poſſe ab Epiſcopo comprobantur, promoveri poſſunt.

VI. De Iuſta ætate Ordinandorum. Ex Concil. Arelatenſi III. Cap. I.

Et quia in ordinandis Clericis antiquorum Patrum ſtatuta non ad integrum, ſicut expetit, obſervata eſſe cognoſcimus, ne forte quorumcunque importunis & inordinatis precibus ſacerdotes Domini fatigentur, & ea, quæ toties ſunt præcepta, tranſgredi compellantur, hoc inter ſe obſervandum eſſe definimus, ut nullus Epiſcoporum Diaconum antequam XXV. annos impleat, ordinare præſumat. Epiſcopatus vero vel Presbyteratus honorem nullus Laicus ante præmiſſam converſionem, vel ante XXX. ætatis annos accipiat.

VII. Ex eodem. Cap. III.

Nullus pœnitentem, nullus digamum, vel inter nuptiarum maritos in prædictis honoribus audeat ordinare, & licet hæc jam prope omnium canonum inſtituta conſtent, tamen ne cuicunque ſacerdotum ſupplicantum, ſicut jam diximus, importunitas vel ſuggeſtio iniqua ſurripiat, neceſſe fuit, ut nunc ſeveriorem regulam ſibi velint Domini ſacerdotes imponere. Et ideo quicunque ab hac die contra ea, quæ ſuperius ſunt comprehenſa, Clericum ordinare præſumſerit, ab ea die, qua hoc ei potuerit approbari, anno integro Miſſas facere non præſumat, quam rem ſi quis obſervare noluerit & contra conſeſſum fratrum faciens, Miſſas celebrare præſumſerit, ab omni fratrum caritate noverit ſe alienum, quia dignum eſt, ut ſeveritatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſentiat, qui ſalubriter à ſanctis Patribus inſtituta obſervare contemnit.

IIX. Ex Concilio Agathenſi. Cap. XVI.

Epiſcopus vero benedictionem Diaconatus minoribus à viginti & quinque annis penitus non committat. Sane ſi conjugati juvenes conſenſerint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requi-

requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo religione præmiſſa, poſtea quam pariter converſi fuerint ordinentur.

Presbyterum verò vel Epiſcopum ante XXX. annos, id eſt antequam ad viri perfecti ætatem perveniat, nullus Metropolitanorum ordinare præſumat, ne per ætatem, quod aliquoties evenit, aliquo errore occupentur.

Ex Canonibus Orientalium antiquorum Patrum. Cap. XX. IX.

Si quis XXX ætatis ſuæ non impleverit annos, nullo modo Presbyter ordinetur, etſi valde ſit dignus, quia ipſe Dominus triceſimo anno baptizatus eſt, & ſic cœpit docere. Oportet ergo eum, qui ordinandus eſt, uſque ad hanc ætatem legitimam conſervari.

De Indignis ad capeſſenda Sacerdotia. Ex Concil. Toletano IV. Cap. XIX. X.

Pernicioſa conſuetudo nequaquam eſt reticenda, quæ majorum ſtatuta præteriens omnem Eccleſiæ ordinem perturbavit, dum alij per ambitum ſacerdotium appetunt, alij oblatis muneribus pontificatum aſſumunt, nonnulli etiam ſceleribus implicati, vel ſeculari militiæ deditis indigni ad honorem ſummi ſacri ordinis pervenerunt, de quorum ſcilicet cauſa atque remotione oportuerat quidem ſtatuere, ſed ne perturbatio quam plurima Eccleſiæ oreretur, præteritis omiſſis, deinceps non venturi *ſunt tales* ad ſacerdotium, idq; ex regulis canonum neceſſario credimus inferendum, id eſt, qui in aliquo crimine detecti ſunt, qui infamiæ notæ perſiſtunt, qui ſcelera aliqua per publicam pœnitentiam admiſiſſe confeſſi ſunt, qui in hæreſin lapſi ſunt, qui in hæreſi baptizati, aut rebaptizati eſſe noſcuntur, qui ſemet ipſos abſciderunt, aut naturaliter membrorum defectu vel defectione aliquid minus habere noſcuntur; qui ſecundæ uxoris conjunctionem ſortiti ſunt, aut numeroſa conjugia frequentaverunt, qui viduam vel à marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt; qui concubinas ad fornicationes habuerunt, qui ſervili conditioni obnoxij ſunt, qui ignoti ſunt; qui neophyti vel laici ſunt; qui ſeculari militiæ dediti ſunt, qui curiæ nexibus obligati ſunt, qui inſcij literarum ſunt, qui nondum ad triginta annos pervenerunt, qui

per gradus Eccleſiaſticos non acceſſerunt, qui ambitu honorem obtinere moliuntur; qui à deceſſoribus in ſacerdotium eliguntur. Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec clerus nec populus propriæ civitatis elegit, nec autoritas Metropolitani, vel Comprovincialium ſacerdotum aſſenſio exquiſivit. Quicunque igitur deinceps ad ordinem ſacerdotij poſtulatur, & in his, quæ prædicta ſunt exquiſitus, in nullo horum deprehenſus, fuerit examinatus probabili vita atque doctrina extiterit, tunc ſecundum Synodalia vel decretalia conſtituta cum omnium Clericorum vel civium voluntate ab univerſis Comprovincialibus Epiſcopis, aut certe à tribus in ſacerdotium die Dominica conſecrabitur, conſentientibus per literas cæteris, qui abſentes ſunt, & magis autoritate vel præſentia ejus, qui eſt in metropoli conſtitutus. Epiſcopus autem cum comprovincialibus conſecrandus eſt, ubi Metropolitanus elegerit. Metropolitanus autem non niſi in civitate Metropoli, comprovincialibus ibidem convenientibus. Si quis autem deinceps contra prædicta vetita canonum ad gradum ſacerdotij indignus aſpirare contenderit, cum ordinatoribus ſui adepti honoris periculo ſubjacebit.

XI. De Viduis velandis. Ex generalibus Decretis Gelaſii Papæ.

Viduas autem velare pontificum nullus attentet, quod nec autoritas divina delegat, nec canonum forma præſtitit: Non eſt ergo penitus uſurpandum, eisque ſic Eccleſiaſtica inferenda præſidia, ut nihil committatur illicitum.

Cap. XXI. Ejuſdem.

XII. De viduis ſub nulla benedictione velandis ſuperius latè ſufficienterque diximus, quia ſi *vidua* propria voluntate profeſſam priſtini conjugij caſtitatem mutabili mente calcaverit, periculi ejus intererit, quia juxta Apoſtolum, primam fidem irritam fecit, quali Deum debet ſatisfactione placare? Sicut enim ſi ſe forſitan continere non poterat, ſecundum Apoſt. nullatenus nubere vetabatur, ſed habita ſecum deliberatione promiſſam Deo pudicitiæ fidem debuit cuſtodire, nos autem nullum talibus laqueum debemus injicere, ſed ſolum adhortationes præmij ſempiterni, pœnaſque proponere divini judicij, ut noſtra ſit

abſoluta

abſoluta conſcientia & illarum pro ſe Deo rationem reddat intentio. Cavendum eſt quippe, quod de earum moribus actibuſque Paulus teſtatur Apoſtolus. Planius exponere præterimus, ne ſexus inſtabilis non tam deterreri, quàm admoneri videatur.

H. l. duo capita prætermiſimus, quod illa iam in noſtro Exemplari l. 2. c. 492. & 493. ſint excuſa.

De Viduis non cogendis ad nuptias. Ex Synodo Toletana cap. x. XIII.

Præconſultu caſtitatis, quod maximè ornamento concilij proficere debet, annuente glorioſo Domino noſtro Reccaredo Rege, hoc ſanctum affirmat concilium, ut viduæ, quibus placuerit tenere caſtitatem, nulla vi ad nuptias iterandas venire cogantur. Quod ſi, priuſquam profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate voluerint habere maritos. Similis conditio de virginibus habeatur, nec intra voluntatem parentum, vel ſuam cogantur maritos accipere. Si quis vero propoſitum caſtitatis viduæ vel virginis impedierit, à ſancta communione, & à liminibus Eccleſiæ habeatur extraneus.

De Viduis ac Virginibus votum caſtitatis violantibus. Ex eodem. XIV.

Viris ac fœminis ſacris propoſitum transgredientibus ſacrum, proclivis curſus eſt à voluntate & imitatrix natura vitiorum, quamobrem quiſquis virorum vel mulierum habitum ſemel induit ſpontaneè religioſum, aut ſi vir deditus Eccleſiæ choro vel fœmina fuerit, aut fuit delegata puellarum monaſterio, in utroque ſexu prævaricator ad propoſitum invitus reverti cogatur, ut vir detondeatur, & puella monaſterium ingrediatur. Si autem quolibet patrocinio deſertores permanere voluerint, ſacerdotali ſententia à Chriſtianorum cætu habeantur extorres, ut nec locus ullus eis ſit communis. Viduas quoque univerſalis jamdudum ſtatuit ſynodus profeſſionum vel habitus ſui deſertrices, ut ſuperiori ſententia condemnentur.

De Religioſis Viduis ac Puellis. Papa Gelaſius ad Sicilienſes Epiſcopos. XV.

Neque viduas ad nuptias tranſire patimur, quæ religioſo propo-

propoſito diuturna obſervatione permanſerint. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monaſterijs ætatem peregiſſe contigerit.

XVI. De his, qui velatas Deo conſecratas in conjugium duxerint. Cap. XXIII.

Si quis ſacro velamine conſecratam in conjugium duxerit & poſt dicatum Deo propoſitum inceſta fœdera ſacrilegiaque miſcuerit, ut in conſtitutis Gelaſij Papæ cap. XX. legitur, protinus æquum eſt à ſacra communione detrudi, & niſi per publicam probatamque pœnitentiam omnino non recipi. Si tamen pœnituerint, tranſeuntibus de ſeculo viaticum non negetur. In Chalcedonenſi concilio cap. XVI hoc perpetrantes excommunicantur, confitentibus autoritas Epiſcopi miſericordiam largitur. In Epiſtola Papæ Siricij cap. VI. velatæ Deo conſecratæ, ſi abjecto propoſito ſanctitatis clanculum ſacrilega contagione ſe miſcuerint, vel de illicitis complexibus publicè & liberè filios procreaverint, has impudicas deteſtabileſque perſonas à monaſteriorum cœtu & Eccleſiarum conventibus eliminandas eſſe judicatum eſt, quatenus (*ut*) retruſæ ergaſtulis, tantum facinus continua lamentatione defleant, unde verbo Domini & canonica autoritate in hac ſancta ſynodo præcipimus, ut omnino ſeparentur & juramento conſtringantur, ulterius ſub uno non cohabitare tecto nec familiari frui colloquio, excepto in Eccleſia & publico, aut pariter ullam habere communionem, unde ſuſpicio illecebroſi deſiderij, aut ſcandalum libidinoſi facti juſte poſſit oriri. Si quæ etiam inter ſe dividenda ſunt, dividant & uterque ſua provideat.

XVII. Ne qua Vidua velamen deponat. Gelaſius Papa.

Viduas velare pontificum nullus attentet, prout conſtitutum eſt in decretis Gelaſij cap. XIII. quod nec Autoritas divina nec canonum forma *id* ante ſtatuit. Si vidua propria voluntate continentiam *ſit* profeſſa, ut in ejuſdem Gelaſij Cap. XXI. legitur, ejus intentio pro ſe reddat rationem Deo; quia ſicut ſecundum Apoſtolum, ſi ſe continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur, ſic ſecum habita deliberatione, promiſſam fidem pudicitiæ Deo debet cuſtodire, qua autoritate paterna ſuffulti ſenten-

ſententiæ in hoc ſacto conventu ſancimus, & liberè judicamus; Quod ſi ſponte velamen quamvis non conſecratum ſibi impoſuerit & in Eccleſia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit, nolit, Sanctimoniæ habitum ulterius habere debet, licet Sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione velamen ſibi ſe impoſuiſſe, ut iterum poſſit deponere.

De eadem re, ex Conc. Africano Cap. LXXIX. XIIX.

Vidua quidem, quæ ſacrum velamen capiti impoſuerit & inter cæteras velatas fœminas in Eccleſia oraverit & oblationem cum illis obtulerit, *&* profeſſa eſt in eodem habitu permanere, ſpondens nunquam religionis deponere velamen, à religionis obſervantia diſcedere non præſumat.

De viro contra voluntatem uxoris monaſterium ingreſſo, uxori omnino reddendo. XIX.

Agathoſa latrix præſentium queſta eſt maritum ſuum contra voluntatem ſuam in monaſterio Vrbici Abbatis eſſe converſum, quod quia ad ejuſdem Abbatis culpam & invidiam pertinere, non eſt dubium, experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquiſitione diſcutiat, ne forte cum ejus voluntate converſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit. Et ſi hoc repererit & illum in monaſterio permanere provideat, & hanc ſicut promiſit mutare compellat: ſi vero nihil horum eſt, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod viro licet uxorem relinquere, prædictam mulierem commiſiſſe cognoveris, ne illius converſio uxori relictæ in ſecundo fieri poſſit perditionis occaſio, volumus, ut maritum ſuum illi reddere omnino debeas excuſatione ceſſante, quia etſi mundana lex præcipit converſionis gratia utrilibet invito ſolvi poſſe conjugium, divina tamen lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis cauſa virum uxorem relinquere nulla ratione concedit, quia poſtquam copulatione conjugij viri atque mulieris unum corpus efficitur, non poteſt ex parte converti & ex parte in ſeculo manere.

XX. **De Epiſcopo ſuſpecto de concubina. Ex Epiſtola Gregorij, Cap. XL.**

Andreæ Tarentino Epiſcopo ſcribit dicens, Tribunal judicis æterni ſecurus adſpiciet, quisquis reatus ſui conſcius digno eum modo pœnitentia placare contendit: Habuiſſe te concubinam manifeſta veritate comperimus, de qua etiam contraria eſt quibusdam nata ſuſpicio. Sed quia in rebus ambiguis abſolutum non debet eſſe judicium, hoc tuæ conſcientiæ elegimus committendum, qua de re ſi in ſacro ordine conſtitutus ejus te permixtione eſſe recolis maculatum, ſacerdotij honore depoſito ad adminiſtrandum nullo modo præſumas accedere, ſciturus in animæ tuæ periculo miniſtrare & Deo noſtro te ſine dubio redditurum rationem, ſi hujus ſceleris conſcius, in eo, quo es ordine, celans veritatem permanere volueris.

XXI. **De Raptu Virginum.**

Anno Domin. Incarn. DCCCCLII. Indict. IX. conſtitutum eſt in Francofurto à Rege glorioſiſſimo Ottone, anno illius XV conſentientibus Epiſcopis, comitibus, aliisque fidelibus compluribus canonum ſanctorum patrum autoritate, nec non capitularum præcedentium Regum inſtitutis coram poſitis ne oppreſſio virginum aut viduarum vel raptus ab ullis hominibus fiat, & ut qui rapiunt, eas ſub nomine ſimul habitandi cooperantes & conniventes raptoribus, ſiquidem Clerici ſunt, decidant à gradu proprio; ſi vero laici anathematizentur & raptores ſine ſpe conjugij perpetuo maneant. Quod ſi poſthæc jungere ſe præſumſerint, utrique anathematizentur.

XXII. **De Abbatiis.**

Inventum eſt etiam coram præfato Rege, ut nulla Abbatia, quæ per ſe electionem habet ad monaſterium, nec alicui in *privatum* poſſit donari. Illæ verò, quæ electione carent, Regis donatione & privilegio ad illud monaſterium, quod ſub ejus mundiburdio conſiſtit, ſurrogari poſſint.

XXIII. **De Miniſterio Chriſti.**

Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, quo fructu, qua mercede, quo præmio? & ubi ſum inquit, illic & miniſter meus erit, gratis ame-

Digitized by Google

tis ametur & operis, quo miniſtratur illi, pretium ſit eſſe cum illo? Vbi enim bene erit ſine illo, aut quando malè eſſe poterit cum illo. Audi evidentius: Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum pater meus, quo honore? niſi ut ſit cum filio ejus, quid enim ſæpius ait: Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit, hoc intelligitur expoſuiſſe, cum dicit: honorificabit eum pater meus. Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quàm ut ſit, ubi eſt unicus, non æqualis factus divinitati, ſed conſociatus æternitati. Quid ſit autem miniſtrare Chriſto, cui operi merces tanta promittitur, hoc potius debemus inquirere. Si enim hoc putaverimus eſſe Chriſto miniſtrare, ea, quæ ſunt corpori neceſſaria præparare, aut cænanti cibum coquere, vel apponere, vel poculum dare, potumque miſcere, fecerunt hoc illi, qui potuerunt eum in corpore habere præſentem, ſicut Martha & Maria, quando & Lazarus unus erat ex recumbentibus, ſed eo modo Chriſto etiam Iudas perditus miniſtravit: Nam & loculos habebat ipſe & quamvis ex eis, quæ mittebantur ſceleratiſſimè furaretur, per illum tamen etiam neceſſaria parabantur. Hinc eſt illud, quod cum ei diceret Dominus: Quod facis, fac velociter, arbitrati ſunt quidam, quod eum juſſerit propter diem feſtum neceſſaria præparare, vel indigentibus aliquid dare. Nullo modo igitur de hujuſcemodi miniſterio diceret Dominus, ubi ego ſum, ibi erit & miniſter meus, ſi quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum pater meus; quoniam Iudam talia miniſtrantem reprobatum potius, quàm honoratum videmus. Vt quid ergo alibi quærimus, quid ſit miniſtrare Chriſto & non potius in iſtis ipſis verbis agnoſcimus. Cum enim dixit: Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, hoc intelligi voluit ac ſi diceret: Si quis me non ſequitur, mihi non miniſtrat. Miniſtrant ergo Chriſto, qui non ſua quærunt, ſed quæ Ieſu Chriſti: hoc eſt enim, me ſequuntur, vias ambulant meas, non ſuas, ſicut alibi ſcriptum eſt: Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulavit & ipſe ambulare, debet etiam, ſi porrigit eſurienti panem, de miſericordia facere, non de jactantia, neſciente ſiniſtra, quid faciat dextra. Item ut alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Qui ſic miniſtrat, Chriſto miniſtrat, recteque illi dicetur: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, nec ea tantum, quæ ad miſericordiam pertinent corporalem, ſed

 omnia

Digitized by Google

omnia opera bona propter Chriſtum faciens. Tunc enim erunt bona, quoniam finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti, miniſter eſt Chriſti, uſque ad illud opus magnæ charitatis, quod eſt animam ſuam pro fratribus ponere, quia & hoc ad ſua membra dicturus eſt: Quod pro iſtis, pro me feciſtis. De tali quippe opere etiam ſe miniſtrum facere & appellare dignatus eſt, ubi ait: Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam ponere pro multis. Hinc ergo eſt, unuſquiſque miniſter Chriſti, unde eſt miniſter & Chriſtus, ſic miniſtrante Chriſto, honorificabit pater ejus honore illo magno, ut ſit cum filio ejus, nec unquam deficiat felicitas ejus. Cum ergo auditis, fratres, Dominum dicentem: ubi ego ſum, & miniſter meus erit, nolite tantummodo bonos Epiſcopos & Clericos cogitare, etiam vos pro modulo veſtro miniſtratis Chriſto benè vivendo, eleemoſynas faciendo, nomen doctrinamque ejus, quibus potueritis, prædicando, & unuſquiſque etiam paterfamilias hoc nomine agnoſcat paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere pro Chriſto & pro vita æterna ſuos omnes moneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam, ita in domo ſua eccleſiaſticum & quodammodo Epiſcopale implet officium, miniſtrans Chriſto, & in æternum erit cum ipſo. Nam & illam maximam paſſionis miniſtrationem multi ex veſtro numero miniſtrarunt, multi non Epiſcopi neque clerici, juvenes & virgines, ſeniores cum junioribus, multi conjugati & conjugatæ, multi patres matreſque familias miniſtrantes Chriſto, etiam animas ſuas in martyrio poſuerunt & honorificante patre, coronas glorioſiſſimas receperunt.

XXIV. De Clericis, qui monachorum propoſitum appetunt. Ex Concil. Toletano Cap. L.

Clerici, qui monachorum propoſitum appetunt, & meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eis ab Epiſcopo in monaſteria largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur.

H. l. iterum duo Capita prætermiſimus, quod ea in exemplari excuſo l. 2. c. 487 & 488 jam extarent.

De

De Vidua, quæ habitum Sanctimonialium fictè ſuſceperat. Cap. V. XXV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Confratri noſtro Adalvino ſanctæ Iuvanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. Quod interrogaſti de fœmina, quæ poſt obitum mariti ſui velamen ſacrum ſuper caput ſuum impoſuit & finxit ſe ſub eodem velamine ſanctimonialem fœminam eſſe, poſtea vero ad nuptias rediit, bonum mihi videtur, quia per hypocriſin eccleſiæ regulam conturbare voluit & non legitimè in voto ſuo permanſit, ut pænitentiam agat de illuſione nefanda, & revertatur ad id, quod ſpopondit & in ſacro miniſterio inchoavit. Nam ſi conſenſerimus, ut omnia Sacramenta eccleſiaſtica, quisque prout vult fingat, & non verè faciat, omnis ordo eccleſiaſticus conturbatur, nec Catholicæ fidei jura conſiſtunt, nec canones ſacri ritè obſervantur. Quid enim profuit Simoni Mago baptiſmum ſacrum fictè ſuſcipere & in Chriſtianitate permanſurum ſe finxiſſe, cum per Apoſtolum fraus ejus detecta, quod ſibi futurum eſſet, prænunciatum eſt, ait enim: Pecunia tua tecum ſit in perditionem: cor enim tuum, non eſt rectum coram Deo: pænitentiam itaque age ab ab hac nequitia tua & roga Deum, ut forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe. Ideo tales niſi reſipiſcant, ſpiritali gladio percutere cenſemus: non enim fas eſt, ſpiritui ſancto mentiri, ſicut Ananias & Saphira mentiti ſint & ſtatim perierunt.

De Pænitentibus Ordinem monaſt. ingreſſis. Ex Concil. Toletano IV. Cap. LV. XXVI.

Quicunque ex ſecularibus accipientes pænitentiam ſe totonderunt, & rurſus prævaricantes laici effecti ſunt, comprehenſi ab Epiſcopo ſuo ad pænitentiam, à qua receſſerunt, revocentur. Quod ſi aliqui per potentiam irrevocabiles ſunt, nec admoniti revertuntur, verè ut apoſtatæ coram Eccleſia anathematis ſententia condemnentur. Non aliter & hi, qui tonſi à parentibus fuerunt, aut ſponte ſua amiſſis parentibus ſeipſos religioni devoverunt, & poſtea habitum ſecularem ſumſerunt, ijdem à ſacerdote comprehenſi, ad cultum religionis acta prius pænitentia revocentur. Quod ſi reverti non velint, verè ut apoſtatæ anathematis ſententiæ ſubjician-

omnia opera bona propter Chriſtum faciens. Tunc enim erunt bona, quoniam finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti, miniſter eſt Chriſti, uſque ad illud opus magnæ charitatis, quod eſt animam ſuam pro fratribus ponere, quia & hoc ad ſua membra dicturus eſt: Quod pro iſtis, pro me feciſtis. De tali quippe opere etiam ſe miniſtrum facere & appellare dignatus eſt, ubi ait: Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam ponere pro multis. Hinc ergo eſt, unuſquiſque miniſter Chriſti, unde eſt miniſter & Chriſtus, ſic miniſtrante Chriſto, honorificabit pater ejus honore illo magno, ut ſit cum filio ejus, nec unquam deficiat felicitas ejus. Cum ergo auditis, fratres, Dominum dicentem: ubi ego ſum, & miniſter meus erit, nolite tantummodo bonos Epiſcopos & Clericos cogitare, etiam vos pro modulo veſtro miniſtratis Chriſto benè vivendo, eleemoſynas faciendo, nomen doctrinamque ejus, quibus potueritis, prædicando, & unuſquiſque etiam paterfamilias hoc nomine agnoſcat paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere pro Chriſto & pro vita æterna ſuos omnes moneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam, ita in domo ſua eccleſiaſticum & quodammodo Epiſcopale implet officium, miniſtrans Chriſto, & in æternum erit cum ipſo. Nam & illam maximam paſſionis miniſtrationem multi ex veſtro numero miniſtrarunt, multi non Epiſcopi neque clerici, juvenes & virgines, ſeniores cum junioribus, multi conjugati & conjugatæ, multi patres matresque familias miniſtrantes Chriſto, etiam animas ſuas in martyrio poſuerunt & honorificante patre, coronas glorioſiſſimas receperunt.

XXIV. De Clericis, qui monachorum propoſitum appetunt. Ex Concil. Toletano Cap. L.

Clerici, qui monachorum propoſitum appetunt, & meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eis ab Epiſcopo in monaſteria largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad contemplationis deſiderium tranſire nituntur.

H. l. iterum duo Capita prætermiſimus, quod ea in exemplari exhuſo l. 2. c. 487 & 488 jam extarent.

De

De Vidua, quæ habitum Sanctimonialium fictè ſuſceperat. Cap. V. XXV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei Reverendiſſimo & ſanctiſſimo Confratri noſtro Adalvino ſanctæ Iuvanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo. Quod interrogaſti de fœmina, quæ poſt obitum mariti ſui velamen ſacrum ſuper caput ſuum impoſuit & finxit ſe ſub eodem velamine ſanctimonialem fœminam eſſe, poſtea vero ad nuptias rediit, bonum mihi videtur, quia per hypocriſin eccleſiæ regulam conturbare voluit & non legitime in voto ſuo permanſit, ut pænitentiam agat de illuſione nefanda, & revertatur ad id, quod ſpopondit & in ſacro miniſterio inchoavit. Nam ſi conſenſerimus, ut omnia Sacramenta eccleſiaſtica, quiſque prout vult fingat, & non verè faciat, omnis ordo eccleſiaſticus conturbatur, nec Catholicæ fidei jura conſiſtunt, nec canones ſacri ritè obſervantur. Quid enim profuit Simoni Mago baptiſmum ſacrum fictè ſuſcipere & in Chriſtianitate permanſurum ſe finxiſſe, cum per Apoſtolum fraus ejus detecta, quod ſibi futurum eſſet, prænunciatum eſt, ait enim: Pecunia tua tecum ſit in perditionem: cor enim tuum, non eſt rectum coram Deo: pænitentiam itaque age ab ab hac nequitia tua & roga Deum, ut forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe. Ideo tales niſi reſipiſcant, ſpiritali gladio percutere cenſemus: non enim fas eſt, ſpiritui ſancto mentiri, ſicut Ananias & Saphira mentiti ſint & ſtatim perierunt.

De Pænitentibus Ordinem monaſt. ingreſſis. Ex Concil. Toletano IV. Cap. LV. XXVI.

Quicunque ex ſecularibus accipientes pænitentiam ſe totonderunt, & rurſus prævaricantes laici effecti ſunt, comprehenſi ab Epiſcopo ſuo ad pænitentiam, à qua receſſerunt, revocentur. Quod ſi aliqui per potentiam irrevocabiles ſunt, nec admoniti revertuntur, verè ut apoſtatæ coram Eccleſia anathematis ſententia condemnentur. Non aliter & hi, qui tonſi à parentibus fuerunt, aut, ſponte ſua amiſſis parentibus ſeipſos religioni devoverunt, & poſtea habitum ſecularem ſumſerunt, ijdem à ſacerdote comprehenſi, ad cultum religionis acta prius pænitentia revocentur. Quod ſi reverti non velint, verè ut apoſtatæ anathematis ſententiæ ſubjician-

jiciantur, quæ forma ſervabitur etiam in viduis, virginibusque ſacris, ac pænitentibus fœminis, quæ ſanctimonialem habitum induerunt, & poſtea aut veſtem mutaverunt, aut ad nuptias tranſierunt.

XXVII. De Viduis duum generum, Item ejuſdem. C.LVI.

Duo ſunt genera viduarum, Seculares & Sanctimoniales. Seculares viduæ ſunt, quæ adhuc diſponentes nubere, laicalem habitum non depoſuerunt. Sanctimoniales ſunt, quæ jam mutato habitu ſeculari ſub religioſo cultu in conſpectu ſacerdotis vel Eccleſiæ apparuerunt. Hæ ſi ad nuptias tranſierint, juxta Apoſtolum non ſine damnatione erunt, quia ſe primum Deo voventes, poſtea caſtitatis propoſitum abjecerunt.

XXIIX. De Primaria Virgine Sanctimoniali Cænobio egreſſa. Vitaliano Epiſcopo Sepontino. Ex Regiſtro Gregorij.

Si Epiſcopus, & religioſi habitus cuſtos eſſes filiam glorioſæ memoriæ Tulliani Magiſtri militiæ, te illic poſito, nec projectis religioſis veſtibus ad ſecularem reverti habitum (permiſiſſes) nec ad nos licuiſſet perverſam Epiſtolam deſtinare, ſed quia nimia deſidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præſens illicita impunè commiſſa eſt. Nam ſicut præfati ſumus, ſi ſollicitus eſſes, prius ad nos ultio mulieris praviſſimæ, quam culpa, debuit pervenire. Quia ergo tantum hebes, tantumque es negligens, ut niſi canonicam in te fueris coercitionem expertus, in aliis diſtrictionem & diſciplinam neſcias cuſtodire, qualiter debeas eſſe ſollicitus, congruo tibi, ſi Domino placuerit, tempore demonſtrabimus. Præſentia igitur ſcripta ſuſcipiens evigila, & excitatus ſaltem exequere, quod preſſus nunc uſque ignavia iis detuliſ Inſtantiæ ergo tuæ ſit prædictam mulierem una cum Sergio defenſore comprehendere, & ſtatim non ſolum ad male contemtu habitum ſine excuſatione aliqua revocare, ſed etiam in monaſterio, ubi omninò diſtrictè valeat cuſtodiri detrudere, & ita omne circa illam ſollicitudinem exhibere, ut quàm ſit nefarium qu commiſit, ex tua poſſit diſtrictione cognoſcere. Qua in re ſi qu (quod non credimus) laicorum aliquo tibi ingenio tentaverit c ſiſtendum, à ſanctiſſimæ cum communionis participatione ſuſp de, nobiſque renunciare feſtina, ut quantum ſit execrabile q

præ

Digitized by Google

præſumit, poſtquam conſideratione propria non advertit, emendationis qualitate cognoſcat. In his autem omnibus ita cautum, ac vigilantem te oſtendere ſtude, ut culpam tuam non geminare neglectus, ſed aliquantisper valeat ſollicitudo minuere.

De Eadem Virgine. Gregorius Sergio Defenſori noſtro. XXIX.

Si homo eſſes, aut diſtrictionem aliquam habuiſſes, ita regularis diſciplinæ debuiſti cuſtos exiſtere, ut ea quæ illic illicitè committuntur, ante vindicta corrigeres, quam ad nos eorum nuncius perveniret, ſed dum nimia ſtultitia te facit negligentem, non ſolum de illis offendimur, ſed etiam ad ulciſcendum deſidiam tuam nihilominus provocamur. Omni ergo dilatione, omnique excuſatione poſtpoſita, filiam glorioſæ memoriæ Tulliani Magiſtri militiæ, quæ projectis, quas ſponte aſſumſit, religioſis veſtibus, indumentis laicis ſe deturpavit, una cum fratre & Coepiſcopo noſtro Vitaliano feſtina comprehendere, atque ad religioſum rurſus habitum revocare, ac in monaſterium mittere, ubi ſtrictè omninò valeat cuſtodiri, nec ejus cuſtodiam aliquatenus relevari permittas, quouſque noſtra denuò ſcripta ſuſceperis. Nam ſi quolibet modo in hac re negligens, vel lentus extiteris, ita in te diſtrictiſſime noveris vindicandum, ut quod ex te neſcis, pæna poſſis reſecante cognoſcere, quia ſicut diximus, ſi intellectum hominis habuiſſes, hæc, quæ facere modo præceperis, ante debueras etiam cum ultione à te facta cognoſcere.

Omiſſum denuò eſt Capitulum, quod in excuſo l. 2. c. 496 iam expreſſum.

De Traditionibus & Conſuetudinibus Eccleſiæ. XXX.
Ex S. Patris noſtri Baſilij Sermonibus ad Beatum Amphilochium de Sp. S. Cap. XXVII.

Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam ſcripturis, quaſdam vero Apoſtolica traditione per ſucceſſiones in miniſterio confirmatas accepimus, quibus par virtus, & idem utriſque pietatis effectus quin ſit, quotusquiſque vel aliquantulum ſacrarum expertus ſcripturarum hæſitaverit? Si enim attentaverimus con-

fuerũ-

ſuetudines Eccleſiæ non per Scripturas à patribus traditas nihili æſtimare, quantum religio detrimenti latura ſit, diſpicientibus liquido conſtabit. Quæ enim, ut inde ordiamur, Scriptura ſalutiferæ *crucis* ſignaculo fideles docuit inſigniri, quæ multifariam digeſta ſuper panem & calicem prolixæ orationis vel *conſecrationis* verba commendavit? Nam non modo quod in Evangelio continetur, vel Apoſtolo, in *Secretis* dicimus, ſed & alia perplura adjicimus, magnam quaſi vim conſummandis accommodantia myſteriis. Quæ *orientem verſus* nos orare literarum forma præſtituit? Benedicimus *fontem baptiſmatis, oleum unctionis &c.* Huc accedit, quod *ter immergimus*, quos baptizamus, oleo ungimus, verbis *abrenunciamus Satanæ* & angelis ejus, unde hæc & alia in hunc modum non pauca, niſi tacita ac myſtica traditione à patribus eccleſiaſtico more reverentiori diligentia in myſteriis obſervata ſilentio *potius*, quàm publicata ſcripto.

XXXI. De Eadem re. Ex eodem Cap. XXIX.

Deficit me dies, ſi ſingulas Eccleſiæ conſuetudines explicatum aggrediar, quid plura? ipſam *confeſſionem fidei*, credendi in patrem, & filium & Spiritum Sanctum, quæ nobis ſcriptura inſinuavit, niſi quod baptiſmatis traditionem conſequenter fidei pietas imitatur, & ut baptizamur, ita & credimus. Quæ diebus feſtis ſcriptura *ſtantes* nos orare præcepit, profeſtis autem non ſic. Ergo ſi tot non ſcripto tradita, uſus Eccleſiæ pie accepta, myſticâ obſervatione cuſtodit, non abſurdum, imò Apoſtolicum arbitror, etiam non ſcriptas traditiones firmiter tenere. Laudo enim vos, inquit Apoſtolus, quod in omnibus memores mei eſtis, & ſicut tradidi vobis, traditiones tenetis; & illud: Tenete traditiones quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam. Igitur licet in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum, diverſis niti exemplis maluimus, quibus Eccleſiaſticæ conſuetudinis obſervantia à majoribus ducta pro lege tenenda perſuaſibilius eruditis clareſcat.

NB

Capitulum XX in hac Appendice non eſt Gregorij V. uti nos in iis, quæ variis Lectionibus præmiſimus, exiſtimavimus falſi Codice Moguntino, in quo ſtatutum Othonis M. vel Cap. XXI intra eandem lineæ ſeriem cum Epiſtola Gregorij erat poſitum; ſed eſt Gregorij M. Papæ ſub finem ſeculi VI. Extat in Regiſtro Epiſt. Greg. M. lib. 11, c. 83.

Digitized by Google

APPENDIX
AD
REGINONIS LIBB. DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

REm admirandam, Benevole Lector, non poſſum, quin Tecum communicem, quod digna ſit, quam Orbis literarius & ſi quæ futura ſit, grata poſteritas cognoſcat.

Sereniſſimum & Celſiſſimum Principem ac Dominum, DN.

AVGVSTVM

Ducem Brunſv. & Lün. Acad. Juliæ h. t. Directorem Magnificentiſſimum, Dominum & Nutritium noſtrum Clementiſſimum

ineffabili, imò incredibili affectu rem literariam, eruditos libros & cumprimis SS. Antiquitatum ſtudia complecti, ſi vel nullo alio indicio, ex hac ipſa Reginonis editione tam ſplendide, atque Sol in meridie, cum ſudum eſt, enitet.

In Dedicatione ad Sereniſſ. Ejus Celſit. & in Proœmio ad Lectorem, Auguſta quædam clementiſſimi illius affectus indicia oſtendi, ſed jam Auguſtiora audies, ut animadvertas, nihil niſi Auguſtum à Sereniſſimo Noſtro proficiſci. In tanto enim pretio Serenitas Ejus hæc venerandæ Antiquitatis *ἀνέκδοτα* habere dignatur, ut de iis in celebrioribus Germaniæ Bibliothecis non inquiri ſolum per literas, per Legatos fecerit, ſed & cum nunciaretur Viennæ ac Moguntiæ Exempla-

Digitized by Google

ria MScripta extare, ante non acquievit divinum illud pectus quam eorundem, & alterius quidem, puta Moguntini in Originali copia ſibi fieret.

Authenticum quidem Moguntinum Serenitas Ejus eadem hora, qua Francofurto delatum eſt, cum literis clementiſſimis Auguſta manu ſcriptis huc miſit & ut cum excuſo conferrem variasque Lectiones Appendicis loco annotarem, gratioſiſſimè mandavit. Dum quod juſſus ſum, facio, Vienna quoque Breviarium Reginonis defertur, quod acceptum Sereniſſimus itidem ſine ulla mora per ſatellitem deferri ad me curat, literis additis, quibus Celſitudo Ejus de ſchedis Viennæ deſcribi cœptis & ſucceſſivè mihi mittendis clementiſſimè fecit indicium, ut Viennenſe MScriptum æquè ac Moguntinum cum excuſo Helmſt. conferri poſſent.

Ab illo tempore quoties Viennæ pars quædam Reginonis deſcripta eſt & ad Sereniſſimum perlata, eo ipſo ferè momento, quo ſchedæ aliquot traditæ ſunt, Sereniſſ. Celſitudo Ejus easdem Principali ſigillo atque inſcriptione munitas per expreſſum (ut loquuntur) Guelpherbyto huc mittere clementiſſimè dignata eſt, quod jam decies contigiſſe recordor.

Quæſo Te, Benevole Lector, an unquam ſimile quid in ſummo illo rerum faſtigio de ullo Principe audiveris, vel in veterum monumentis uſpiam legeris. Equidem fateor in Hiſtoriis par exemplum mihi non repertum. Quæſo Te, annon eruditorum omnium, qui ſunt, qui fuerunt, quique poſt futuri ſunt, admiratione, juxta ac veneratione maxima digniſſimus ſit, Sol ille Literatorum & encomio major Princeps

AUGUSTUS!

Qui cum quotidie tot regiis curis in Provinciis populisque gubernandis occupetur, ab excelſo throno ad hæc noſtra ſtudia tam conſtanter, tam clementer ſe demittit & inter innumeros eosque ſelectiſſimos ac pretioſiſſimos manuſcriptos atque excuſos Auguſtæ ſua Bibliothecæ Codices hunc Reginonis de Diſciplina libellum velut oviculam deperditam tam ſollicitè quæſivit & acceptum tanti æſtimavit, ut res fidem ſuperet.

O Studioſa Iuventus, quotquot ad ſolidam Eruditionem regia via contenditis, tantum Principem oculo mentis devotè contuemini, qui non juvenilibus ſolum annis, illuſtres

Aca-

Digitized by Google

Academias ſapienter direxit easque Auguſta ſua Præſentia multo illuſtriores reddidit, ſed in ſumma adhuc ſenectute ſapientiæ ſtudiis invigilat, doctorum ſcripta tam impenſè ut vides, amat, inquirit, evolvit, perinde ac ſi ſtudiis immori decreviſſet, cum alias etiam univerſo conſtet orbi Sapientiam omnem Auguſto pectore circumſcribi. Imitamini Heroicum illud Exemplar, quo auguſtius nec ego referre, nec vos intueri poteſtis. Alij, quibus major copia fandi, Divi Auguſti Admiranda pluribus prædicent. Ego quod rebus dicendis minor ſim, vela ſermonis contraho & nomine Reip. Literariæ (neque enim dubitare fas eſt, quin omnes docti bonique Viri mecum conſentiant) Serenitati Ejus pro mirifico erga Studia Literarum Affectu & excelſa cura atque patrocinio ſubjectiſſimas ago gratias, Deumque Opt. Max. veneror, ut Serenitati Suæ VITAM & FELICITATEM perpetuam largiatur.

Progreſſus inde ad conferendos tres iſtos Codices, in pleriſque rerum & vocum ſuavem harmoniam deprehendi; adeoque certum jam video, MScriptum, quod nos excudi fecimus, Reginonis Prumienſis qui circa confinia IX & X ſeculorum vixit revera eſſe. Nam niſi Codex Moguntinus & Vienn. nos confirmaſſent, intrepidè hos de Diſciplina Eccleſ. libros à Reginone collectos affirmare non potuiſſemus, quod nec titulus nec nomen Autoris, niſi aliena manu, Codici noſtro præſcripta eſſent. Dum Exemplar Moguntinum aperio, in eodem V. CL. Henrici Iulij Blumij, hodie Eminentiſſimo Electori Moguntino à conſiliis Legationum Epiſtolam ad Nobiliſſ. & Conſultiſſ. D. D. Polycarpum Heylandum, Sereniſſimi Noſtri Conſiliarium Intimum hodieque Francofurti Legatum perſcriptam invenio, quæ quod in rem præſentem faciat, & ab eo ſit profecta, qui dum noſter erat, Studiis SS. Antiqq. haud proletariam impendebat operam, hic annectenda videtur. Literæ ſunt iſtæ:

Nobiliſſime Domine,

R*Heginonis Codicem Mſcriptum ante aliquot annos nactus ſum ex Bibliotheca Monaſtery S.ti Iacobi Ord Bened. huius Vrbis. Conſpicatus eum inter alios libros hinc inde disjectos, illoq; invento gaviſus, mecum tuli, Abbate permittente,* — — — *Mihi vero cognitus erat, cum*

 ex Bel-

ex Bellarmini libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, tum verò etiam ex perluſtratione Bibliothecarum Viennenſis & Iuliæ, ubi Codicem utrumq́ non planè negligenter evolveram; Memineram quoq́ Schultingium, libro, quem ſcripſit de Diſciplinâ Eccleſiaſticâ, Coloniæ edito huius libri meminiſſe. Quare ſuſpicor, eſſe quoq́ alicubi in Colonienſibus Bibliothecis aliquod huius libri Exemplar Mſ.tum Morinus quoq́, Congregationis Oratorij Presbyter, Vir ſi quiſquam alius, hodie, linguarum Orientalium & omnis Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimus, in eruditiſſimo & accuratiſſimo libro de Pœnitentia ante annos non multos Lutetiæ edito, longa ſatis ex hoc Rheginonis libro excerpta ſuo inſeruit, ut dubitandum non ſit, quin etiam Galli Libri huius Mſ.tos Codices poſſideant. Meretur tamen, qui lucem publicam videat; Eſt enim hic Rhegino inter omnes Canonum ævi ſequioris in Occidente Collectores primus, Burchardum, Ivonem, Gratianum multis annis antegreſſus. Dionyſius enim Exiguus ex ævo priori eſt. Quum in hunc Codicem inciderem, ſtatim eum deſtinavi publico; Conſtitueram eum recenſere horis ſucciſivis, & addere notas, atq́ indicare, quid ex quoq́ Concilio eſſet petitum, tum tradere typographo, qui nullâ factâ autoris mentione Codicem iam ab amanuenſi deſcribi cœptum excuderet, ſed poſtquam publicis negotiis, variisque ad diverſos Principes ſuſceptis Legationibus vacare me voluit Em.mus Princeps meus, non fuit mihi tantum ab illis otij reliquum, ut quod cœperam perficere potuerim. Hic verò Codex, ni fallor, & Iulio & Viennenſi integrior eſt. Continet quoq́ ſub finem appendicem ad Fridericum ex Lotharingiæ Ducibus Archiepiſcopum Moguntinum nondum editam. Mihi gratius nihil erit, quam ſi cognovero, Optimo & Sereniſs.mo Principi tuo, literarum ex Germania propemodum fugientium Patrono maximo acceptum eſſe meum, quo Ser.tem ſuam me proſequi fas eſt, obſequium.

Perlecta Epiſtola ad lectionem ipſius Codicis Moguntini me contuli, initio facto à Breviario libri, de quo ſcire te velim, B. L. Breviarium excuſo operi ſupra præfixum, quoad verba, à nobis dum titulos latiniores facere intendimus nonnihil immutatum, præſertim cum non conſtaret, num index iſte Capitum ſcripto Reginonis coævus eſſet? cumque in noſtro MS. non niſi prior libellus in ſyllabum redactus extaret. Iam inſpectis aliis Codicibus animadvertimus, Breviarium æquè ac opus ipſum Reginonis authenticum eſſe. Placuit ergo iiſdem verbis hîc exprimere, ut priſcæ ſimplicitati ſuus ſtet honor; cumque in numero

mero Capitum nonnulla ſit diverſitas; ſciat B. L. ordinem MS. Viennenſis κατὰ πόδα nos ſubſecutos.

Incipiunt Capitula Libri Primi.

1. *Vt canonum ſtatuta ſine praeiudicio ab omnibus cuſtodiantur.*
2. *Qualem miniſtrum juxta ſe Epiſcopus habere debeat.*
3. *De eadem re.*
4. *Quod à rege poſtulandum ſit, ut epiſcopi tempore oportuno ad miniſterium ſibi commiſſum vacare poſſint.*
5. *Ne Epiſcopi propter ſuam quietem negligant plebem ſibi commiſſam.*
6. *De Epiſcopis, qui rarò aut nunquam plebes ſibi commiſſas per ſe ipſos viſitant.*
7. *Ut epiſcopus ambulet per ſuam diœceſin.*
8. *Ut epiſcopus cum paucis ſuam parochiam circumeat.*
9. *Ut ſi epiſcopus hoc explere nequiverit, ſuos vicarios dirigat.*
10. *Ut Epiſcopi ſuam diœceſin viſitent.*
11. *Ut Epiſcopus duos ſolidos tantum à parochia accipiat, cum ſuam diœceſim circumit.*
12. *De Epiſcopis, qui non viſitatis parochiis pretium ſervitutis requirunt.*
13. *De eadem re.*
14. *De immunitate eccleſiarum.*
15. *Quod omnes baſilicæ in poteſtate epiſcoporum ſint.*
16. *De parochiis.*
17. *Quales miniſtros epiſcopi in civitatibus ſuis relinquere debeant.*
18. *De tricennali praſcriptione.*
19. *De rebus per triginta annos poſſeſſis.*
20. *De inſcriptione temporum.*
21. *De eadem re.*
22. *Item de eadem re.*
23. *De conſecrandâ eccleſiâ.*
24. *De libertate eccleſiarum.*
25. *De novis eccleſiis.*
26. *De eadem re.*
27. *De manſo eccleſiæ.*
28. *De eadem re.*
29. *De privilegio eccleſiarum.*
30. *De eccleſiis & altaribus ambiguis & ut ſuperflua altaria de eccleſia abyciantur.*
31. *De honore eccleſiaſtico.*
32. *Quod omnium eccleſiarum dotes ad epiſcopum pertineant.*
33. *Vnde eccleſiæ debeant reſtaurari & epiſcopo obſequium exhiberi.*
35. *De eadem re.*
35. *De honore eccleſiæ.*
36. *Item de reſtauratione eccleſiarum.*
37. *De eadem re.*
38. *De locis dudum ſacris.*
39. *De eccleſiis deſtructis.*
40. *De eadem re.*
41. *Item de eadem re.*
42. *De decimis.*

43. De eadem re.

44. 45. 46. 47. 48. 49. 50.

51. De eadem re.

52. Ne foenum & annona & vinum in eccleſia mittantur.

53. 54. De eadem re.

55. Vt nullus in eccleſia convivari præſumat.

56. De eadem re.

57. Vt nemo præſumat in eccleſia vinum vendere.

58. De eadem re.

59. Vt altaria mundiſſimis linteis cooperiantur, & ut presbyteri fœminis prædicent, ut linteamina dent, unde altare veſtiatur.

60. Vt nullus presbyter alterius parochianum ad miſſam recipiat.

61 De oblationibus fidelium ad altare.

62 Vt nihil in ſacrificio Domini offerant, præter id quod Dominus ſtatuit.

63 Quæ ſpecies ad altare & non ad ſacrificium offerantur.

64. Vt ea, quæ in eccleſiis offerri non poſſunt ad domum ſacerdotis à fidelibus deferantur.

65. Quid in ſacrificio domini offerri debeat.

66, De calice Domini.

67. De corporali dominico.

68. De euchariſtiâ.

69. De eadem re.

70. De Oblatis, ut de ſabbatho in ſabbathum innoventur.

71. Vt chriſma ſemper ſub ſera ſit.

72. Si presbyter chriſma dederit ad judicium ſubvertendum.

73. Vt nullus presbyter pro chriſma aliquod munus det.

74. Vt omnis presbyter. SS. ampullas in cœna domini ad civitatem deferat.

75. De presbyteris, qui longè poſiti ſunt, ut de Octodecim unus veniat in cœnâ domini, qui aliis chriſma deferat.

76. Vt alterius epiſcopi chriſma nullus presbyter accipiat.

77. Vt nullus miniſter ſine chriſmate proficiſcatur.

78. De fontibus ſacris.

79. Vt nullus presbyter abſq; veſtimentis ſacerdotalibus præſumat miſſam cantare.

80 Vt in vadium ſacrata vaſa & veſtimenta ne mittantur.

81. Vt Epiſcopus & presbyter non longè ab eccleſiâ hoſpitium habeant.

82. Vt presbyteri nullatenus ubiq; hoſpitari ſinantur.

83. De incontinentia ſacerdotum.

84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. De eadem re.

99. Quæ mulieres habitent in domibus clericorum.

100. Ne ancilla & libertæ cellarium teneant clericorum & miniſterium ſecretum impendant.

101. De familiaritate extranearum mulierum.

102 De eadem re.

103. De eadem re.

De

104. De viſitandis infirmis.
105. De infirmis, qui confitentur peccata ſua & ſe reconciliari expoſcunt.
106. De reconciliandis infirmis.
107. 108. De eadem re.
109. De eadem re.
110. De his qui obmuteſcunt, antequam ſacerdos veniat ad eos.
111. 112. De eadem re.
113. De pœnitentibus ſubito mortuis.
114. De communione privatis & ita defunctis.
115. De ungendis infirmis.
116. 117. De eadem re.
118. De ſacra communione.
119. Ne presbyter ſacram communionem laico, vel fæminæ ad deferendum tradat.
120. Vt nulla pretia pro baptizandis requirantur.
121. Vt nemo pro ſepulturâ quicquam exigat.
122. De eadem re.
123. Vt nullus in eccleſia ſepeliat mortuum.
124. 125. 126. De eadem re.
127. De infantibus mortuis per negligentiam non baptizatis.
128. 129. De eadem re.
139. Ne oblationes in domibus offerantur, & ne miſſæ extra eccleſiam cantentur.
131. De eadem re.
132. De ebrioſis clericis.
133. De eadem re.
134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146.
147. De eadem re.
148. De his, qui euchariſtiam evomunt.
149. De clericis inter epulas cantantibus.
150. 151. De eadem re.
152. De clericis maledicentibus.
153. De clericis iurantibus.
154. De eadem re.
155. De convitioſis & maledicis.
156. De eadem re.
157. De detractoribus.
158. De contentionibus, & rixis.
159. 160. De eadem re.
161. De laſcivis & ſuperbis.
162. De eadem re.
163. De murmurantibus.
164. De eadem re.
165. Si quis priorem detraxerit.
166. De ſeditioſis clericis.
167. De clericis in mutuam cædem prorumpentibus.
168. De eadem re.
169. 170. 171. 172. De eadem re.
173. Ne clerici arma ferant.
174. De eadem re.
175. Ne epiſcopus nec presbyter aut diaconus canes ad venandum habeant.
176. Ne clerici tabernas ingrediantur.
177. 178. 179. De eadem re.
180. De clericis, qui vigiliis deſunt.
181. De eadem re.
182. 183. 184. De eadem re.
185. Vt miſſæ ante horam tertiam non celebrentur.

186. Vt

186. *Vt fideles ante horam tertiam non prandeant.*

187. *Vt ſacramenta altaris à ieiunis celebrentur.*

188. *Vt per allocutionem epiſcopi in miſſarum ſolemnibus ad orationem invitetur.*

189. *De eadem re.*

190. *Vt nullus presbyter ſolus preſumat miſſam cantare.*

191. *De presbyteris, qui celebrata miſſa non communicant.*

192. *Qui fideles laici communicare debeant.*

193. 194. *De eadem re.*

195. *Ne presbyter antequam miſſa finiatur de eccleſia egrediatur.*

196. *De eadem re.*

197. *Vt ſacrarium mulieres non introeant.*

198. *De eadem re.*

199. *Vt omnis presbyter qui eccleſiam regit, thuribulum & incenſum habeat.*

200. *De predicatione presbyterorum.*

201. *Quid ſit à presbyteris predicandum.*

202. 203. 204. *De eadem re.*

205. *Ad epiſcopos admonitio.*

206. *Vt quisq; presbyter, qui eccleſiam tenet clericum habeat.*

207. *Vt omnis presbyter horas canonicas ſolemniter perſolvat.*

208. *Vt presbyter curam hoſpitum habeat.*

209. *De aqua benedicta.*

210. *De eadem re.*

211. *De presbyteris, qui culpas peccantium reticent & minus digne pœnitentes ad reconciliationem adducunt.*

212. *De presbyteris, qui à fidelibus ad prandium invitantur.*

213. *De rixis & pugnis ſacerdotum.*

214. *De convivio presbyterorum.*

215. *De calendis quando presbyteri ſimul conveniunt.*

216. *De his qui de nihil habentibus ordinantur.*

217. 218. *De eadem re.*

219. *De reditibus & oblatione eccleſiæ.*

220. *De uſuris.*

221. *De eadem re.*

222. 223. 224. *De eadem re.*

225. *Vt ſub alieno nomine fœnus non exerceant clerici.*

226. *De eadem re.*

227. 228. 229. 230. 231.

232. *De eadem re.*

233. *De his qui per pecunias ordinantur.*

134. *De eadem re.*

235. 236. 237. 238. *De eadem re.*

239. *Quod munus ſit etiam à lingua.*

240. *Ne presbyteri, ut eccleſias obtineant, munera dent.*

241. *Vt nullus laicus presbyterum in eccleſia mittat aut eyciat.*

242. *De eadem re.*

243. *De eccleſiis, quæ inter cohæredes ſunt.*

244. *Vt in unâ eccleſiâ non plures presbyteri conſtituantur.*

245. *Vt*

Digitized by Google

245. Vt laici eccleſias non teneant nec decimas accipiant.
246. 247. De eadem re.
248. De his, qui eccleſias deſerunt, in quibus provecti ſunt & ad alias tranſeunt.
249. De eadem re.
250. 251. De eadem re.
252. De clericis, qui præficiuntur prochiis.
253. Vt amplius presbyter non habeat quam unam eccleſiam.
254. De eadem re.
255. Vt nullus presbyter alterius parochianum recipiat.
256. 257. De eadem re.
258. Vt epiſcopus in alterius epiſcopi parochia ordinationem non faciat.
259. Vt nullus presbyter aut laicus pœnitentem invitet, vinum bibere aut carnem manducare.
260. Vt nullus presbyter cartas ſcribat.
261. Vt nullus contemptâ minore eccleſiâ ad potiorem adſpiret.
262. De baptiſmo, quo tempore celebrandus ſit.
263. De eadem re.
264. 265. 266.
267. De eadem re.
268. De baptizatis, qui non confirmati moriuntur.
269. De rebaptizatis.
270. Vnde ſupra.
271. De eadem re.
272. De fontibus ſacris.
273. Vt omnis presbyter ſuis parochianis ſymbolum & orationem dominicam inſinuet.
274. De ſacerdotibus & clericis, qui per pecunias aliorum ſacerdotum eccleſias aut beneficia ſurripiunt.
275. 276. De eadem re.
277. De Litania Majore.
278. De Ieiunio Rogationum.
279. De ieiunio IV. temporum.
280. De ieiunio in Vigiliis Sanctorum.
281. De indicto ieiunio.
282. De eadem re.
283. 284. 285. De eadem re.
286. Quid ſit Uſura.
287. De eadem re.
288. Quid ſit fœnus.
289. De eadem re.
290. De confeſſione & pœnitentia.
291. De pœnitentibus.
292. 293. De eadem re.
294. De danda pœnitentiâ.
295. Qualiter ſuſcipere debeant pœnitentem epiſcopi vel presbyteri.
296. De eadem re.
297. Vt nullus alius præſumat pœnitentiam dare vel confeſſionem audire, niſi epiſcopus aut presbyter.
298. Vt diaconus, ſi neceſſe ſit, ſuſcipiat confeſſionem.
299. Item de ſuſcipienda confeſſione.
300. 301. De eadem re.
302. Ordo ad dandam pœnitentiam.
303. Item de Pœnitentibus.
304. De eadem re. 305. 306. 307. 308. 309. 310. De eadem re.

311. *Vt nullus epiſcopus alterius civitatis vel parochiæ pœnitentem ſuſcipiat vel ſine epiſcopi vel presbyteri teſtimonio reconciliet.*
312. *Vt presbyteris & diaconis manus tanquàm pœnitentibus imponatur.*
313. *Vt pœnitentia clericis non negetur.*
314. *Qualiter presbyteri & diaconi agant pœnitentiam.*
305. *Vt à negotio pœnitentes abſtineant.*
306. *Vt poſt depoſitum cingulum nullus pœnitens ad militiam ſecularem redeat.*
317. *De eadem re.* 318. 319. 320. 321.
322. 323. 324. 325. *De eadem re.*
326. *Qualem effectum debet habere pœnitentia.*
327. *Qualis ſit vera pœnitentia.*
328. *Quales eſſe debemus erga impœnitentes.*
329. *De ſacra communione.*
330. 331. *De eadem re.*
332. *De diligentia corporis & ſanguinis Domini.*
333. 334. *De eadem re.*
335. *Vt tribus vicibus laici in anno communicent.*
336. *Vt clerici non interſint nuptiis.*
337. 338. *De eadem re.*
339. *De temporibus quibus ſe continere debent coniugati ab uxoribus.*
340. 341. *De eadem re.*
342. *Quod ante communionem abſtinere debent coniuges.*
343. *De eulogiis presbytero à presbytero dandis.*
344. *Vt presbyteri cum ſtola incedant.*
345. *De eadem re.*
346. *Ne clerici laicalibus induantur veſtibus.*
347. 348. *De eadem re.*
349. *De vino ut non purum, ſed aqua mixtum in ſacrificio offeratur.*
350. *Si expletâ miſſâ reliquum ſacrificium presbyter colligat.*
351. *Ne presbyteri per pretium eccleſias teneant.*
352. *De eadem re.*
353. *Quod non ubiq; ſacrificium ſit offerendum.*
354. *Vbi ſit miſſa celebranda.*
355. *Ut de decimis quatuor fiant portiones.*
356. *Si epiſcopus aut presbyter rem eccleſiæ quocunque ingenio alienare præſumpſerit.*
357. *Vt nulli præſuli poſſeſſionem magnam vel parvam eccleſiæ liceat in perpetuum alienare.*
358. 359. 360. *De eadem re.*
361. *Vt presbyteri non vendant rem eccleſiæ, ubi ſunt conſtituti.*
362. 363. *De eadem re.*
364. *Quid agere oporteat propinquis illius, qui eccleſiam ditaverunt de rebus ſuis, ſi prævideriut ex collatis aliquid defraudatum.*
365. *De terrulis & exiguis vineis eccleſiæ.*

Quod

366. Quod fugitivi ſervi ab eccleſiis permittuntur abſtrahi.

367. Si quis cartas & præcepta regia ſupprimere aut adverſariis tradere auſus fuerit.

368. De teſtamento epiſcopi qualiter valeat.

369. De manumiſſionibus in eccleſia.

370. 371. De eadem re.

372. De libertis eccleſiæ.

373. De theſauris eccleſiaſticis.

374. Vt nullus rem eccleſiæ immobilem alienare præſumat.

375. Si Princeps permutationem in eccleſiâ facere voluerit.

376. De precariis eccleſiaſticis.

377. 378. De eadem re.

379. Vt præcepta regia non fiant ſuper precariis.

380. Vt precariæ in quinquennio removeantur.

381. De commutationibus.

382. Item ne præcepta fiant ſuper beneficia eccleſiaſtica & precarias.

383. Ne commutationes fiant de rebus eccleſiaſticis ſine conſenſu Regis aut mancipia eccleſiaſtica niſi ad libertatem commutentur.

384. De eadem re.

385. De die dominico.

386. Quid in dominico die fieri licet.

387. Item de die dominico.

388. Vt mercatus in die dominico non ſit.

389. De feſtivitatibus anni.

390. De eadem re.

391. De non flectendo genua.

392. De eadem re.

393. Vt turpia cantica plebibus prohibeantur.

394. De eadem re.

395. Vt epiſcopus clericos alterius parochiæ nullatenus ordinet.

396. De eadem re.

397. Quod non oporteat abſolute ordinationes fieri.

398. Ne ſuper mortuorum cadaveribus carmina diabolica nocturnis horis cantentur.

399. Item nullus abſolutè ordinetur.

400. De examinatione ante ordinationem.

401. De eadem re.

402. Vt ordinati literas accipiant à ſuis ordinatoribus.

403. Vt nullus alterius ſervum ordinare præſumat.

404. De eadem re.

405. Vt nullus miniſtrorum alterius parochiæ clericum latentem ad ordinationem ſubintroducat.

406. Item de ſervis ordinandis.

407. 408. De eadem re.

409. De peculio ſervorum.

410. De peculio ordinatorum.

411. De familia monaſteriorum.

412. Exemplar libertatis de eccleſiaſticis ſervis.

413. Exemplar libertatis de proprio ſervo.

414. Quod manumiſſio in eccleſia debet fieri.

415. De eadem re.

416. 417. De eadem re.

Digitized by Google

418. *Quod carta libertatis in ambone ſit legenda.*
419. *Vt nullus alterius clericum ordinet.*
420. *Item de ordinatione.*
421. *De eadem re.*
422. *Qui partem digiti ſibi abſcidit, clericus eſſe non debet.*
423. *Ne illiterati ordinentur.*
424. *Ne criminoſi ad clerum admittantur.*
425. *De filiis concubinarum ne ad clerum admittantur.*
426. 427. *De eadem re.*
428. *Vt nullus alterius ſuſcipiat clericum.*
429. *Vt nullus alienum clericum ordinet.*
430. *Vt alienum clericum nemo ſuſcipiat.*
431. *De transfugis clericis.*
432. *De eadem re.*
433. *De eadem re.*
434. *Vt clerici cum epiſtolis epiſcopi ſui proficiſcantur.*
435. *De eadem re.* 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445.
446. *De eadem re.*
447. *Formata epiſcoporum.*
448. *Exemplar epiſtolæ quam formatam vocant.*
449. *Item alia epiſtola.*
450. *De ordinatione.*
451. *Qualiter epiſcopus debeat ordinem facere.*
452. *De eadem re.*
453. *Qualiter epiſcopus ordinandus examinetur.*

Expliciunt Capita LIBRI Primi. Incipit LIBRI Secundi caput primum Qualiter Epiſcopus ſuam parochiam debet circuire.

2. *De iuratoribus ſynodi.*
3. *Sacramentum ſynodale.*
4. *Allocutio Epiſcopi.*
5. *Interrogatio.*
6. *Qualiter pœnitere debeat homicida.*
7. *Quid in primo anno obſervare debeat.*
8. *Quid in aliis duobus annis obſervare debeat.*
9. *Quid in reliquis quatuor annis obſervare debeat.*
10. *Qui voluntarie homicidium fecit.*
11. *De eadem re.*
12. 13. 14. *De eadem re.*
15. *De homicidiis non ſponte commiſſis.*
16. *De eadem re.* 17. 18. 19. 20. 21.
22. *De eadem re.*
23. *Qui per fratricidium hominem occiderit.*
24. *De eadem re.*
25. 26. *De eadem re.*
27. *De parricidis & fratricidis.*
28. *De eadem re.*
29. *De eadem re.*

30 Qui

30. *Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interficit.*
31. *De eo qui hominem in eccleſia interficit.*
32. *De iniuriis ſacerdotum.*
33. *De ictu.*
34. *Si quis clericum expoliaverit.*
35. *Si quis clericum verberaverit.*
36. *De eadem re.*
37. *De pugna & homicidio in atrio eccleſia.*
38. *De pugna in eccleſia.*
39. *Quod laici de ſubſtantia morientium presbyterorum ſuorum nullam portionem accipiant.*
40. *De compoſitione presbyteri ſi occiſus fuerit.*
41. *De eadem re.*
42. *De eo qui ſacerdotem occiderit.*
43. *De eadem re.*
44. *De eo qui presbyterum degradatum occiderit.*
45. *De homicidiis clericorum.*
46. *Si aliquis ordinatus homicidium fecerit.*
47. *Si quis conſenſerit vel conſiliatus fuerit, ut homo interficiatur.*
48. *Si quis conſanguineum ſuum occiderit & ſeniorem.*
49. *De eadem re.*
50. *De his, qui pro nihilo ducunt homicidium in bello perpetratum.*
51. *De eadem re.*
52. *De clerico, qui proximum ſuum occiderit.*
53. *Item de parricidis.*
54. *Qui hominem debilitaverit.*
55. *De truncationibus membrorum.*
56. *Ne eccleſiarum rectores ſubeant homicidij notam.*
57. *Item de Parricidio.*
58. *De domina, quæ ancillam occiderit.*
59. *Si ſervus occiditur à domino, cum verberibus caſtigari creditur.*
60. *De oppreſſione infantum.*
61. *Si per negligentiam matris infans moritur non baptizatus.*
62. *De mulieribus, quæ partus ſuos necant.*
63. 64. *De eadem re.*
65. *Item de oppreſſione infantum.*
66. *Si qua mulier partum ſuum excuſſerit.*
67. *Si qua mulier filium aut filiam ſponte occiderit.*
68. *De eadem re.*
69. *Si ante ianuam eccleſiæ adulterorum infantes exponantur.*
70. 71. 72. *De eadem re.*
73. *Item de homicidiis.*
74. *De his qui uxores occiderint.*
75. 76. *De eadem re.*
77. *De pugna duorum quod noſtri cambium appellant.*
78. *De eadem re.*
79. *Item de parricidis.*
80. *De his qui ferro vincuntur.*
81. *De fœdis coercendis.*
82. *De fœmina, quæ virum per maleficium interfecerit.*
83. 84. 85. *De eadem re.*
86. *De eo, qui veneno aliquem interficit.*

Mm 3 87. De

87. *De his, qui hominem ſuadent interficere.*
88. *De eo, qui hominem caſtraverit.*
89. *De eadem re.*
90. *De his, qui circumciduntur.*
91. *Si Iudæus ſervum alienum circumciderit.*
92. *De his qui ſemetipſos interficiunt.*
93. *De his qui in patibulis ſuſpenduntur.*
94. *De eadem re.*
95. *Qui propter cupiditatem Iudæum & paganum occiderit.*
96. *Si quis inſaniens hominem occiderit.*
97. *Si plures unum hominem occiderint.*
98. *De eo, cui imputatur homicidium & probari non poteſt.*
99. *De adulteriis & fornicationibus.*
100. *De eo qui uxorem habens concubinam tenet.*
101. *De repudio.*
102. *De fœminis, quæ relinquunt viros.*
103. *De adultero marito.*
104. *De diſcidio.*
105. 106. *De eadem re.*
107. *De legitimis coniugiis.*
108. *Si coniugatus vult ſeculum relinquere.*
109. *De eadem re.*
110. *De his, qui dimittunt coniuges abſq; iudicio eccleſiaſtico.*
111. *Vt omnis controverſia ſi iudicio eccleſiaſtico cœperit agitari, nequaquam ad ſeculare iudicium tranſeat.*
112. *De eadem re.*
113. *De iudicio eccleſiaſtico.*
114. *Vt nullus cauſam iudicatam retractare præſumat.*
115. *De fœmina de adulterio inculpata ut ſuæ poteſtati ad tempus reſtituatur.*
116. *Ne Epiſcopi ſententia retractetur.*
117. *Si qua mulier mortem viri ſui cum aliis conſiliata eſt.*
118. *De ingenuo, qui ancillam alterius acceperit.*
119. *Si ſervus ſuam ancillam concubinam habet.*
120. *De liberto, qui ancillam Domini tenuerit.*
121. *Si venditionis cauſa ſervus & ancilla ſeparentur.*
122. *De eadem re.*
123. *Si maritus certa neceſſitate impellente extra ducatum fugerit.*
123. *De eo, qui uxorem ſuam permiſerit velare.*
124. *Si mulier ſine licentiâ mariti velum accipiat.*
126. *De homine, qui in alia provincia uxorem accepit.*
127. *De uxore ante contaminata.*
128. *Ne furioſi matrimonio iungantur.*
129. *Si qui matrimonium ſani iunxerunt.*
130. *Si cuius uxor adulterium perpetraverit.*
131. *Si non ſociati coniugio fornicati fuerint.*

Quod

132. Quod ſi unus abſolutus & alter copulatus adulterati fuerint.
133. De eadem re.
134. Si uxoratus ancillam propriam tenuerit.
135. Si laicus laica cum fœminâ fornicatus fuerit.
136. De non coniugato, qui ſæpius fornicatur.
137. De eo, qui ſemel lapſus eſt.
138. Cur non communicent viri cum adulteris uxoribus.
139. Si conſcio mariso uxor fuerit mœchata.
140. Si quis cum Iudæa & gentili mœchatus fuerit.
141. De lenocinio.
142. Ne Iudæus Chriſtianam ducat uxorem.
143. Vt alterius mulierem nullus accipiat.
144. De maritis accuſantibus.
145. Vt familia de adulterio diſtinguatur.
146. Si ingenua ſervo proprio ſe miſcuerit.
147. Quando permittitur uxor occidi.
148. De reo lenocinij.
149. De eadem re.
150. De virginibus laicis.
151. De his, qui fidem ſponſaliorum frangunt.
152. De benedicenda ſponſa.
153. Vt nullus alterius ſponſam accipiat.
154. De raptis puellis deſponſatis.
155. 156. 157. De eadem re.
158. De non ſponſatis.
159. De eadem re.
160. 161. 162. De eadem re.
163. De his, qui ſcientes moniales rapiunt.
164. 165. 166. De eadem re.
167. Vt epiſcopus monaſterium monachorum & puellarum introeat.
158. Vt abbatiſſa de monaſterio non egrediatur.
169. De eadem re.
170. De cautela.
171. Ne clerici vel continentes ad virgines ingrediantur.
172. Item de corruptis.
173. De ſecularibus viduis.
174. 175. De eadem re.
176. Ne ſcil. moniales palatium aut publicos conventus adeant.
177. Quando virgines velentur.
178. 179. De eadem re.
180. Item de ſanctimonialibus.
181. De concubinis.
182. Vt de captivitate venientibus maritis propriæ uxores reddantur.
183. De eadem re.
184. De inceſtis.
185. De eadem re.
186. 187. De eadem re.
188. De indicio.
189. De fœminis, quæ viros amittunt.
190. De eadem re.
191. Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit.
192. Ne frater ſuper thorum defuncti fratris aſcendat.

193. De

Digitized by Google

193. *De ſorore ſponſa violatâ.*
194. *Mulier, quæ duobus fratribus nupſerit.*
195. 196. *De eadem re.*
197. *De filiola & commatre.*
198. *Si quis viduam uxorem duxerit.*
199. *De eo qui filiolam ſuam polluit.*
200. *Item de inceſtis & eorum pœnitentia.*
201. *In quota generatione copulentur fideles.*
202. *De eadem re.*
203. *De eo, qui ſe ſervum fecerit.*
204. *Item de inceſtis.*
205. *Si quis cum filia materteræ ſuæ &c.*
206. *In lectum mariti abſente uxore ſoror ivit uxoris &c.*
207. *De eadem re.*
208. 209. 210. *De eadem re.*
211. *Item de ſeparatione.*
212. *De eadem re.* 213. 214. 215. 216.
217. 218. 219. *De eadem re.*
220. *Si quis propter faidam fugit.*
221. *Item de inceſtis.*
222. *Item de parricidis.*
223. *Item de inceſtis.*
224. 225. 226. *De eadem re.*
227. *Si quis cum commatre fornicatus fuerit.*
228. *Item de inceſtis.*
229 *Quod cum ſacramento illicita conіugia ſcindenda ſint.*
230. *Iuramentum de parentela quomodo faciendum.*
231. *De eadem re.*
232. *Sacramentum de inceſtuoſo diſſidio.*
233. *Invocatio ad iudicium.*
234. *Iuramentum per datam pœnitentiam de perpetrata luxuria.*
235. *De eo, qui vivente marito coniugem illius adulteraſſe accuſatus perhibetur.*
236. *De eadem re.*
236. *Invocatio de morte mariti vel uxoris.*
237. *Iuramentum & invocatio de homicidio imputato.*
238. *Iuramentum de reconciliatione coniugatorum.*
239. *De eadem re.*
240. *De his qui matrimonio iuncti ſunt & nubere non poſſunt.*
241. 242. 243. *De eadem re.*
244. *De fornicatione diverſarum perſonarum.*
245. *Item de inceſtis.*
246. *De ſordidatione puerorum.*
247. *De menſtruis abſtinendis.*
248. *De mulierum fornicatione.*
249. *De illecebroſo amplexu.*
250. *De fundendo ſemine.*
251. *De quadrupedum fornicatione.*
252. *De eadem re.* 253 254. 255. 256.
257. 258. 259. *De eadem re.*
260. *Item de copulatione fidelium.*
261. *Ne in domibus fidelium adulteria perpetrentur.*
262. *Item de inceſtis.*
263. *De furto & rapinâ.*
264. *De eadem re.* 265. 266. 267. 268.
269. 270. 271. 272. 273. 274. *De eadem re.*

275. De

Digitized by Google

275. De cauſa criminali.
276. De rapina & violentia.
277. & ſeqq. De eadem re.
289. De his, qui loca ſacra infringunt.
291. Quomodo epiſcopus ad ſynodum vocet prædatores.
291. De his, qui alterius parochiani ſunt.
291. 292. De eadem re.
293. Si epiſcopus non communicet prædatores.
294. Item de rapacibus.
295. Quod epiſcopi protegere & defendere populum debent.
296. Item de malefactoribus.
297. De eadem re. 298. 299. 300. 301.
302. De eadem re.
303. Si homo accuſatur & negaverit
304. Vt nullus alterius parochianum excommunicet.
305. De eadem re.
306. 307. 308. De eadem re.
309. Vt non cito commotus aliquem epiſcopus excommunicet.
310. De eadem re.
311. 312. 313. De eadem re.
314. Vt quod in Dominum quis peccat nullus donare præſumat.
315. De periurio.
316. De eadem re.
317. 318. 319. De eadem re.
320. Vt epiſcopus ſupra ſacra non iuret.
321. Item de peiurio.
322. Quo tempore ſacramenta iurentur.
323. Vt à feria quarta ante quadrageſimam ſacramenta non iurent.
324. De clerico ſi peieraverit.
325. De his, qui ſacramento ſe obligant, ne ad pacem redeant.
326. Item de periurio.
327. De eadem re. 328. 329. 330. 331.
332. 333. 334. 335. 336. De eadem re.
337. De falſo teſtimonio.
338. De eadem re. 339. 340. 341. 342.
344. 345. 346 347. De eadem re.
348. De eo, qui hominem furatus fuerit.
349. 350. De eadem re.
351. De incantatoribus.
352. De eadem re. 353. 354. 355. 356.
357. 358. 359. 360. 361. 362. De eadem re.
363. De arboribus & fontibus & lapidibus dæmonibus conſecratis.
364. 365. De eadem re.
366. De menſtruo ſanguine.
367. De eadem re.
368. De mulieribus, quæ cum dæmonibus ſe dicunt nocturnis horis equitare.
369. De obſervatione menſium & dierum.
370. Vt Chriſtiani traditionem gentilium non obſervent.
371. De collectione herbarum.
382. De lanificiis fœminarum.
373. De morticiniis.
374. De liquore.
375. De ſanguine.
376. Vt nullus ſanguinem comedat.
377. De diſcordantibus.

379. De eadem re.
380. 381. 382. De eadem re.
383. De Dei. iudicio.
384. De oblationibus defunctorum.
385. 386. 387. De eadem re.
388. De communione.
389. Vt præcipua feſtivitates in civitatibus celebrentur.
390. 391. De eadem re.
392. De decanis per parochias mittendis.
393. De excommunicatis.
394. De eadem re. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. De eadem re.
404. De damnatis à ſynodo.
405. De eadem re.
406. Si epiſcopus voluerit exterminare clericum de eccleſia.
407. Vnde ſupra.
408. De presbytero accuſato.
409. Qualiter epiſcopus excommunicare infideles debeat.
409. Allocutio.
410. Excommunicatio.
411. Item alia excommunicationis allocutio.
412. Excommunicatio.
413. Item alia excommunicatio terribilior.
414. Item excommunicatio brevis.
415. Qualiter epiſcopus reconciliet & recipiat excommunicatum.
416. De eo, qui patrem aut matrem inhonorat.
417. De bubulcis & porcariis.
418. De dominicis diebus.
419. De eo, qui reticet peccatum.
420. De pauperibus, qualiter alantur.
421. De eadem re.
422. De eo, qui bannum epiſcopi vel presbyteri parvipendit.
423. De presbytero, qui fuerit degradatus.
424. Vt nullus hoſpitium deneget itineranti.
425. De eadem re.
426. De eo, qui presbyterum inhonorat.
427. De compatribus & filiolis.
428. De eadem re.
429. Si quis contradicat epiſcopo, ne ſervi propter crimina virgis cadantur.
430. De advenis, qui iniuſte in ſervitium rediguntur.
431. De eadem re.
432. Vt iuſta menſura ſint.
433. De eadem re.
434. De conſpirationibus.
435. De eadem re.
436. 437. De eadem re.
438. De confratriis & conſortibus.
439 Vt ſi presbyter defunctus fuerit, vicinus presbyter apud ſeniorem ſecularem nequaquam eccleſiam obtineat.
441. De liquore, in quo mus ceciderit.
442. Si quis ſepulchrum violaverit.
443. Si aliquis excommunicatus fuerit mortuus.
444. De redemtionis pretio.
445. Quid pro uno menſe agendum ſit.

Quid

446. *Quid pro una Hebdomade.*
447. *Quid pro uno anno.*
448. *Item Redemtio unius diei.*
449. *De redemtione unius anni.*
450. *De eadem re.*
451. *Item de redemtione quatuor annorum.*
452. *Quomodo poſſint pœnitentiam ſeptem annorum pœnitere.*

Breviarium excipit in Cod. Vienn.

Notitia quid Epiſcopus vel ejus miniſtri in ſua Synodo diligenter inquirere debeant per vicos publicos ſive villas atque parochias propriæ Diœceſis,

Poſt illa

Incipit Libellus de eccleſiaſticis Diſciplinis & Chriſtiana Religione collectus ex juſſu Domini Metropolitani Rathbodi, Trevericæ Vrbis Epiſcopi à Reginone Abbate quondam Prumienſis Monaſterij ex diverſis ſanctorum Patrum Conciliis & Decretis Romanorum Pontificum feliciter in Dei Nomine. Amen!

Variæ Lectiones.
In
Methodo viſitandi Eccleſias.

N. Exemplar Noſtrum. V. Viennenſe. M. Moguntinum denotat.

N. & M. *mittatur.* V. *mutatur.* Prior lectio melior ac planior. Cap. 3.

N. Quot & *alia.* V. & M. quot & *qualia.* Placet poſterior. 11.

N. *Bona arva.* V. & M. *Bonoaria.* Illa facilior intellectu. 13.

N. *Oſtiola.* M. *hoſtiola.* V. *Hoſtilia.* Prima expeditior cæteris, ultima longè petita. 16.

N. *Stans in Eccleſia.* V. & M. non legunt iſta, etſi ſuperflue poſita non videntur. 35.

N. In-

Digitized by Google

39. N. Inebriare in amore SS. V. & M. inebriare *& precari* in amore SS.
48. N. Decimam *ad alterum* pertinentem, V. & M. decimam *ad alteram* (ſc: *Parochiam*) pertinentem. Vtraque probabilis.
52. Rectius legitur in Vienn. *Si non habet fontes lapideos, habeat aliud vas* &c.
71. N. Choros *mulierum* ducant. V. & M. choros *mulierculæ* ducant. Hæc genuina videtur.

Variæ Lectiones
Ex
Primo Libro.

Cap. II. circa finem. N. Eadem, quæ *Chriſtus* ſentire debent. V. *Eademq; Epiſcopi* ſentire debent. M. *Eadem, quæ Epiſcopus* ſentire debent. Contextui vicinior lectio Mogunt.

Cap. IV. N. & M. *de cætero* emendent. V. *decreta* emendent. Prior lectio Concilio Meld. congruit.

c. 7. l. 7. N. ante dies XX. V. & M. ante *Baptiſmi* dies XX. Hæc poſterior Concilio Bracar. II. c. I. conformis.

c. 14. l. 2. N. Omnis *Eccleſiæ presbyteri*. V. & M. omnes *Eccleſia* & Presbyteri. Hæc verior.

cap. 16. l. ult. N. Licere eis volumus *concertare*. M. *certare*, V. *movere certamen*. Prima & poſtrema latinores.

c. 22. §. 2. N. & M. Dominus coloni *vicaria muliere* non *negetur*. V. Dominus coloni *vicariam mulierem* non *neget*. Hæc planior.

c. 26. N. de villis novis *ibidem* noviter conſtitutis. V. & M. de Villis novis *id eſt* noviter conſtitutis. Poſterior genuina.

c. 35. l. 3. N. *Erogatione*. Rectius V. & M. *erogationi*.

c. 37. l. 4. N. Similiter in commune tantum accipiant operis. Rectius V. & M. ſimiliter & *Vaſſi noſtri* in commune &c. *Vaſſus* eſt à latino *vas*, qua voce ſignatur is, quo ſpondente vadere alteri licet, præcipuè in re capitali; quia verè Vas fide & ſponſione ſua alterum præſtat liberum, hinc Vaſius fidejuſſor. Barbaris ſeculis Vaſſi dicti ſunt Beneficiarij, h. e. clientes ſive certa fide obſtricti, ſive qui accepto beneficio ſe obligarunt benefacienti. Hinc in LL. Alemann. Vaſſos Ducum, Regum, Abbatum, Comitum dictos invenias, & quamvis initio Vaſſi & vaſal-

Digitized by Google

vaſalli fuere diſtincti, poſtea tamen non fuerunt alij Vaſſi Principum, quàm Vaſalli.

N. argentum *locent*, Rectiùs V. & M. argentum *donent*. c. 37. l. 9.

N. epiſcopalis *teneatur* voluntas. V. & M. *ſequatur* Illa latinior, hæc authentica. c. 38. l. 2.

N. Decimæ *diſſipentur*. V. & M. *diſpenſentur*. Rectè poſterior. cap. 41.

Pars altera Cap. 44. *de Novali rure*, quæ eſt in Noſtro, utrique Codici Vienn. & Mog. deeſt.

N. Eccleſiaſtica *officia* annullari permittunt. V. & M. *ædificia*, quæ lectio authentica & Concilio Meld. conformis. c. 51. l. 5.

N. & M. *Deum* timentium. Perperam V. *Dominorum* timentium. c. 52. l. 4.

N. & M. Si forte aliqui *propter* horas conſtitutas, &c. V. *præter* horas conſtitutas, quæ lectio planior, & contextui propior. c. 54. l. 2.

N. *in altari*. V. & M. concorditer: *in altaria* præparent. c. 61. l. 2.

N. Si quis præter ordinem Domini. V. & M. Si quis præter ordinationem Domini. In Canonibus Apoſtolorum legitur: εἴ τις παρὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν, i. e. ſi quis præter conſtitutionem Domini vel præter ea, quæ offerenda Dominus in SS. Euch. ſanxit. c. 63. l. 1.

N. Reliqua poma omnia *vel primitiæ* ad domum *Epiſcopi vel Presbyteri* dirigantur. Vienn. Reliqua poma omnia ad domum *Epiſcopo & presbyteris* dirigantur. Mog. Reliqua poma omnia vel *primitiæ* ad domum *Epiſcopo & presbyteris* dirigantur. In Canonibus Apoſtolorum ita legimus: ἡ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω ἀπαρχὴ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις h. e. Omnis alius fructus domum mittatur, primitiæ Epiſcopo & Presbyteris, Herveto Gentiano Interprete. c. 65. l. 1.

N. in nitido loco reponatur. V. & M. in nitido loco paretur. Prior lectio planior. Poſterior authentica. c. 68. l. ult.

N. & M. quando quis infirmaverit. Latiniùs Vienn. *Cum* quis *infirmatus fuerit*. c. 69. l. 2.

N. Sacerdos commovebitur: V. & M. commonebitur, quæ lectio commodior. ca. 78. l. ult.

N. Nullus presbyter præſumat calicem in vadium dare *ne iuſtiſſimæ quidem neceſſitate* urgente. M. & V. Nullus presbyter præſumat calicem in vadium dare, *niſi iuſtiſſima neceſſitate* urgente. Poſterior lectio contextui & praxi Vet. Eccl. reſpondet. c. 81. l. 3.

Nn 3 N. non

Digitized by Google

c.86.l.3. N. Non *vindicat* Dominus bis in id ipſum. V. non *iudicat* &c. Mog. ſcripſerat itidem: Non judicat; ſed ipſe ſe ſuperſcripto: *vindicat* correxerat. Hæc enim lectio cum veteri Verſione Canonum Apoſt. congruit. In græco eſt: οὐκ ἐκδικήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό.

cap.106. l. 1. N. Infirmus, qui neceſſitate urgente. Accuratiùs & plenius V. & M. Infirmus, qui neceſſitate *mortis* urgente. Par lectio in Concilio Nannet. c. 5.

cap. 108. l. 3. N. Ad Deum *nulla impedit* venire *mortis* converſio. Vienn. Ad Deum *nullas patitur* venire *moras* converſio. Conſentit Mog. eidemque nos ſubſcribimus.

c.107. l.1. N. *Relaxatio antiqua.* Mogunt. prorſus vitioſè: *Relaxanti quia.* V. planiſſimè: *Lex antiqua* ſervabitur, quæ lectio Canonibus Nicænis, Cap. XIII conformis. De cætero in MS. Vienn. ſphalmata ſunt: viatico *nomine* privetur. Rectè: Viatico *minimè* privetur. It. ſi *dies ſperatus* fuerit. Rectè: ſi *deſperatus* fuerit.

ca. 117. l. ult. Vienn. Quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur? Rectè autem in Mog. & Noſtro: quomodo unum genus putatur *poſſe concedi.*

cap. 125. Ex Concil. Nannet. c. 6. lin. 9. Mortui ſepeliantur in atrio aut in porticu aut *exedris* Eccleſiæ. Ita legit Codex Mog. & Vienn. Exedra apud veteres locus erat in porticu patens & Soli pervius, in quo philoſophi diſputare & Rhetores perorare ſolebant. Budæus in Annot. ſuper Pandectas oſtendit Exedras hodie non ineptè dici poſſe in monachorum & canonicorum periſtyliis loca illa, quæ Capitula vocant, das Capittel Hauß. Dicitur à ſedium frequentia & à ſedendi commoditate, quod hujuſmodi loca circumcirca ſuas habeant ſedes. In talibus ergo Capitulis vel ſub hujuſmodi ſedibus licentiam ſepeliendi Synodus Nannetenſis dediſſe videtur.

In codice Noſtro ita legimus: Mortui ſepeliantur in atrio vel porticu vel EXTRA ECCLESIAM, quæ lectio quia Tomis Conciliorum, ubi Canones Nannet. recenſentur, confirmatur, merito probanda.

c.156.l.1. N. Si quis *crimine ſubiecto* aliquem læſerit. V. *crimine ſubito.* Optimè M. *crimine obiecto.*

c.168.l.2. N. vitali exceſſu. V. & M. in tali exceſſu, quæ lectio Concil. Ilerdenſi & contextui conformis. N. Si

Digitized by Google

N. Si quis dejectus fuerit. V. & M. rectius: Si quis detectus fuerit. c.178.l.3.
N. preces pro diverſis fundant. V. & M. concorditer legunt: pro diverſis *neceſſitatibus* fundant. c.190 l.4.
Noſtrum: Iſta penitus *reyicienda* ſunt. Convenientiùs Vienn. & Mog. *reticenda* ſunt. Citatum eſt hoc totum capitulum ex Concil. Nannet. eſtque inſigne contra Miſſas Solitarias, ſed in Tomis Conciliorum Binianis non legitur, forte ideo, quod nimis apertus ſit canon contra abuſum illum Miſſæ. c.192.l.7.
In Noſtro & Vienn. prætermiſſus eſt egregius canon conrra eaſdem ſolitarias Miſſas. Legitur autem in Mogunt. his verbis: c.195.

Ex Capit. Lib. I. Tit. VI.

Auditum eſt aliquos presbyteros miſſam celebrare & non communicare, quod omninò in canonibus Apoſtolorum interdictum eſſe legitur, & quomodo dicere rectè poteſt, ſi non communicaverit: Sumſimus, Domine, ſacramenta &c. Hactenus Codex Mog. Canon autem Apoſtolorum, cujus in capitulo iſto facta mentio, nonus eſt & talis: Πάντας τὺς εἰσιόντας πιστὺς καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμένοντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίαν ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφορίζεσθαι χρή. *Omnes fideles, qui ingrediuntur eccleſiam & Scripturas audiunt, non autem permanent in oratione & SANCTA COMMUNIONE velut inordinatum quid in eccleſia facientes ſeparari oportet.* Vnde palam agnoſcis, B. L. quo loco veteres Miſſas ἀκοινωνήτους habuerint?

N. nova vel *inuſitata* ne ſinatis prædicare. V. & M. nova vel *non canonica* &c. quæ lectio aptior. c.201.l.5.
N. Sic ſe contineant omnes presbyteri, *maximè in talibus locis.* Conſentit Codex Mog. ſed in Vienn. deſunt iſta: *maximè in talibus locis*; & fateor ſalvum ſine his eſſe ſenſum verborum, ſed contextus videtur ea requirere: Iubentur enim Presbyteri ubique honeſtè ſe gerere, ſed maximè in iis locis, ubi convivia aguntur & cum in hominum conſpectu vivunt atque à plebe obſervantur. c.215. l. ult.
N. Quando presbyteri per Calendas conveniunt poſt peractum div. miniſterium & neceſſariam *conſolationem* V. & M. legunt *Collationem*, quæ lectio authentica videtur. Dicitur autem neceſſaria collatio vel Collatio Verbi (ut, in eod. Cap. 216 lin. 10. vocatur) Prædicatio Verbi, ut ſenſus ſit presbyteros c.216.l.2.

teros peractis Sacris conviviolum aliquod kalendis menſium inſtituiſſe; vel Refectio per cibum, ad quam ſuum quisque ſymbolum contulit. Neceſſaria dicitur, quod fami ſolùm ſedandæ ſuffecerit, non ultra.

c. eod. l. penult. Noſtrum, prout excuſum, habet: Singulos *liberè* excipiat. Sed in MScripto Mogunt. & Vienn. conſtanter legitur: Singulos *bibere* excipiat. Biber antiqua vox à bibere deducta vini ſcyphum aut pocillum denotat. Sic Everhelmus Abbas in vita S. Popponis Cap. 13. §. 51. Diſcedens veſtigia charitatis reliquit, ſingulisque per tricenos dies ſingulos biberes dari præcepit. Romanis etiam veteribus vocem eam in uſu fuiſſe, refert Chariſius; & inde alij deductum putant germ. Bier. In Reginone *Biber* eſt certa & determinata menſura bibendi, ultra quam bibere in conviviis presbytero non licuit.

cap. 219. In noſtro eſt bipartitum, cujus poſterior pars ex Concil. Arauſ. nec in Mog. nec in Vienn. conſpicitur; eſt tamen materiæ, quæ ibi tractatur, eleganter conformis.

c. 220 l. 6. Vel quod *turpe* eſt. Ita N. ſed rectius & Concilio Arauſic. convenientius Mog. & Vien. quod *turpius* eſt. Senſus: Turpe eſt presbytero à mulierculis frequentari. Turpius, cum mulieres rebus ſuis tractandis in loco Eccleſiæ perpetuò retinet.

c. 232. l. 3. N. nec ſecum *alios* ducere præſumat. Cæteri Codices legunt: *aliorſum*; eademque lectio ipſo Concilio, unde petitum eſt hoc Capit. firmatur. Senſus eſt, ne quis laicus presbyteros ſecularibus negotiis implicet aut ad alia, quam quæ ſui ſunt muneris, tractanda abducat.

ca. 242. l. 3. N. *Banni noſtri rei.* M. *Bannum noſtrum revvadiare cogantur.* V. Bannum noſtrum *adire* cogantur. Moguntina lectio genuina. Merito autem quærat aliquis: quidnam ſit revvadiare bannum? Frequens eſt illa formula in ſanctionibus Cæſarum & in Codice Antiqq. LL. Sic in Conſtit. Caroli Calvi tit. 31. c. 21. legimus: Audivimus occaſione accepta pro revvadiato banno quoſdam plus à pauperibus accepiſſe, quam bannus levet; & alibi. Eſt autem bannus mulcta in judicio indicta. VVadium vel VVadum eſt pignus, hinc VVadiare, germ. Wedden eſt interpoſito pignore certare, deſcendunt iſta à latino

latino Vas. Revvadiare bannum dicitur, qui cum in pœnam aut mulctam à judice condemnatus eſt, dat VVadium h. e. pignus mulctæ certè ſolvendæ.

N. *Aruſcaram* ſuſtineant. M. & V. *Armiſcaram*. Alij legunt: Harniſcara vel Harmiſcara, alij Ariſcada ut difficile ſit dicere, quæ appellatio ſit genuina. Cum edidimus Reginonem, conjectavimus eo nomine pœnam arbitrariam intelligi. Et ſatis quidem è contextu patet, pœnæ aliquod genus intelligi. Quale verò, vix liquet. Conjicit CL. Voſſius l. II. de Vitiis Sermonis pœnam eſſe, qua quis infamis, nec ulterius capax publicæ dignitatis declaratur, à germ. ar ſive eer/ honor; & ſcade h. e. damnum, ut propriè honoris jacturam ſignet. cap. eod. l. ult.

Deeſt in Noſtro Capitulum, quod in Mogunt. & Vienn. reperitur tale: Ca. 243. poſt ſ. 2.

Ne in una Eccleſia plures presbyteri conſtituantur. Ex Concil. Rhem. C. IIX.

Uniusquisq; presbyter una Eccleſia, ubi ordinatus eſt, contentus ſit, nemo in duabus Eccleſiis miniſtrare præſumat.

N. *maximi ſacramenti (inſtar) cuſtodienda nobis eſt (feſtivitas paſcha & penteçoſtes)* Vienn. *maximi Sacramenti cuſtodienda eſt nobis myſtica traditionis exemplatio*. Mog. *maximi Sacramenti cuſtodienda à nobis eſt myſtica rationis exceptio*. Planiſſima eſt & optima videtur Lectio Vienn. adeoque hic ſenſus: Poteſt quidem baptiſmus quovis die conferri, ſed quia exemplo ſuo ita præivit Vetus Eccl. ut ordinariè extra paſcha & pentecoſten baptiſmum nemini contulerit, cujus inſtituti varias myſticas habuere rationes, meritò in conferendo tanto Sacramento ad exemplar à priſcis traditum nos conformamus. Ca. 264. l. 5.

N. Gravidam oportet baptizari, quando *voluerit*. Sed conſtanter Vienn. & Mog. legunt: *noluerit*. At inſpecto Concilio Neocæſarienſi, cujus eſt hic canon vidi lectionem noſtri Codicis comprobari adeoque Çodicem utrumque Mog. & Vienn. hîc falſum. Ca. 265. l. 1.

N. Tam magna, *ut nemo horum ſcientiam pleniter capere potuerit*. Vienn. & Mog. tam magna, *ut qui horum ſcientiam pleniter capere potuerit, ſufficere ſibi credat*. Poſterior lectio Rhemenſi Ca. 272. l. 18.

Oo con-

concilio confirmatur; eſtque inſigne teſtimonium de Symboli Apoſtolici ad ſalutem (ratione credendorum) ſufficientia.

Cap. 275. l. 2. Noſtr. Litania major obſervanda eſt *die* VII KL. Maij. Mog. *unum diem*, VII KL. Maij. Vienn. *uno die*. Rem optimè Mogunt. expreſſit.

Ca. 277. l. 4. N. Feria *Sexta & Septima* vel Sabbato omnes conveniant. V. & M. Feria *Quarta* & *Sexta* & Sabbato &c. quæ lectio videtur potior; nam d. l. de jejunio quatuor temporum agitur, quod olim per triduum agi ſolebat, initio ſemper facto (prout apud nos adhuc fit) à feria quarta h. die Mercurij. Vid. Dallæi libellus de Iejuniis Vet. Chriſt.

Ca. 286. l. 1. N. Fœnus eſt, qui amplius requirit, *quam* præſtitit, Mog. Fœnus eſt, qui amplius *non* requirit, *niſi quantum* præſtitit. Vienn. *Iuſtum* fœnus eſt, qui amplius *non* requirit, *niſi quantum* præſtitit. Placet Lectio Vienn.

Ca. 287. l. 3. N. de duobus denariis *modicum* unum comparat & ſervat, *donec* denariis *ſeptem* aut *ſex* aut amplius venundetur. Rectè iterum Vienn. de duobus denariis *modium* unum comparat & ſervat *uſq; dum* denariis *quatuor* aut *ſex* venundetur.

Integrum Capitulum 295 Viennenſi & Moguntino Codici deeſt.

Ca. 299. p. 1. l. 22. N. abſque ullo *mentis* rubore. Conſentit Mog. ſed nec malè Vienn. abſque ullo *vultus* rubore.

Ca. 299. l. 7. N. Si non dimiſeritis hominibus peccata veſtra. Rectè V. & M. Si non dimiſeritis hominibus peccata *eorum, nec Pater veſter dimittet peccata* veſtra.

Ca. eod. p. 2. l. 15. N. Feciſti perjurium pro *pervicacia* aut neſciens. Rectè V. & M. Feciſti perjurium *pro vita tua aut parentum*, aut neſciens.

Ca. eod. p. 7. l. 3. N. Sacerdos ſurgat & Pſalmum *XXX* decantet. Sed V. & M. legunt: Pſalmum *trigeſimum ſeptimum* decantet: *Domine in furore tuo ne arguas me!* qui pſalmus rei præſenti in illo capite aptè reſpondet.

Ca. 301. l. 2. De his, qui diverſis facinoribus peccaverunt & perſeverantes in oratione confeſſionis & pænitentiæ *converſionem à malis habuere perfectam pro qualitate delicti talibus* &c. quæ poſteriora verba in MS. Vienn. deſiderantur; contextus autem illa requirit. Vnde in Mogunt. etiam Codice extant.

N. &

Digitized by Google

N. & Mog. Presbyter non interrogato epiſcopo non reconciliet pænitentem, niſi abſentia epiſcopi *neceſſitate* compellente. Vocab. *neceſſitatis* Viennenſi deeſt, & fateor ſalvo textu abeſſe poſſe. Ca. 30[illegible] l. 2.

N. His, qui ex gravioribus pænientiam gerunt &c. Sed Mog. & Vienn. concorditer legunt: qui *ſive* ex gravioribus *commiſſis ſive ex levioribus* pænitentiam gerunt &c. Ca. 304. l. 1.

N. *Qualitas negotiationis* excuſat aut arguit. Optimè M. *Qualitas negotiantem* excuſat aut arguit. Vienn. perperam: *Qualiter negotiantem* excuſat &c. Ca. 310. l. 1.

N. annos *quinq;* pæniteat. Sed conventiùs cæteri Codices: annum *unum* pæniteat. Neque enim vero ſit ſimile integri ſeptennij pænitentiam ob mariti cum uxore concubitum in quadrageſima fuiſſe impoſitam. Satis rigida ob rem, quæ in ſe peccatum non eſt, unius anni pænitentia videtur. Ca. 327. l. 2.

Sanè domus in quibuslibet urbibus conſtitutæ —— divini timore judicij excommunicentur. Vienn. Si ante domus quibuslibet urbibus conſtitutæ —— divini timore judicij commutentur. Rectiſſimè Mog. *Sanè domus* quibuslibet urbibus conſtitutæ —— divini timore judicij. *commutentur*. Agitur enim *d. l.* de domibus Eccleſiaſticis commutandis quæ ut conſerventur, nimios ſumtus requirunt. Ca. 341. l. 1. & ult.

N. utrum *fiendum* ſit? eademque lectio Codice Mog. confirmatur. Sed latinius Vienn. Vtrum *faciendum* ſit? Ca. 345. l. 4.

N. malè rapta cum *confeſſione* reſtituet. Vienn. & Mog. malè rapta cum *confuſione* reſtituet; quæ lectio authentica & contextui propior. Ca. 347. l. penult.

N. quicquid *per abſtractionem documentorum* eccleſiæ damni fuerit illatum. V. & M. legunt *abſtinentiam documentorum*: Prior lectio planior, poſterior incongrua. Neutra authentica, cum in Concil. Agathenſi, unde eſt hic canon, *abſentiam documentorum* textui convenienter legamus. Ca. 350. l. 4.

N. Liberto adverſus eccleſiam, cujus juris extitit, teſtificandi (Mog. & Vienn. plenius: *accuſandi vel* teſtificandi) denegetur licentia. Cap. 354. l. 6.

N. In Dominicis *dictis* genua non flectant. Vienn. & Mog. congruè legunt: In Dominicis *diebus*; quam lectionem contextus firmat. Cap. 366. l. 4.

Ca. 379. Si quis Epiſcopus clericum ad alium pertinentem *aut Diaconum*
l. 1. invadere tentaverit. Vienn. & Mog. legunt *audacter*, ubi in Noſtro per errorem poſitum : *aut Diaconum* : Sub Clerico enim Diaconus jam continetur, ut proinde ab eo disjungi non ſit neceſſe.

Cap. 385. *Non* admittantur paſſim ad ordinem ſacrum, quibus nulla natali-
l. 1. um vel morum dignitas ſuffragatur &c. Ita legunt Codices Noſter & Mog. ſed Viennenſi particula negans initio poſita deeſt & inſtar querelæ (quod in Noſtro ac Mog. ad modum Decreti proponitur) refertur h. m. *Admittuntur* paſſim &c.

Ca. p372. in N. dum dies feſti recenſentur poſt Natalem Domini *Octava*
l. 6. *Domini* ante F. Epiphaniæ eſt prætermiſſa, cujus tamen mentio in omnibus aliis Codicibus, adeoque in ipſo MS. Helmſtad. ſed excuſo per ſphalma typographicum deeſt. De Octavis ſciendum veteres Chriſtianos in majoribus anni feſtis diem primum & octavum ſolenniores habuiſſe ad exemplar Iudæorum, quibus Deus ſimile quid præceperat Levit. XXIII. 36. De Octavis autem Chriſtianorum Ordo Rom. Rupertus Tuitenſis & alij, qui libellos rituales condiderunt, videantur. Cumprimis Octava Nativitatis Dominicæ fuit maximè ſolennis, quòd eſſet Octava Suppletionis, Venerationis ac Devotionis, teſte Durando in Ration. Divin. Offic. Imò cum priſcis temporibus octavus à feſto natali dies h. e. KL. Ian. dies mœroris & jejunij eſſet, quod pagani eod. die variis ſuperſtitionibus operarentur, poſt illa cum major feſti natalis ſolennitas ſeculorum decurſu fieret, & paganiſmus everteretur, KL. Ianuariæ in gaudij ac lætitiæ diem ſunt converſæ, donec eadem Octava memoriæ Circumciſionis dedicaretur, quod feſtum ante ſecula non multa cæpit; quotquot enim ante hæc quinque ſecula dies feſtos deſcripſerunt, non feſtum Circumciſionis, ſed ſolum Octavam Domini (uti etiam fit d. l.) commemorant. Vid. Caſaub. Exercit. 11. §. ix.

Ca. 399. N. ſecundum Legem Rom. *quæ in Eccleſia viget*. Vien. & Mog. le-
l. 6. gunt: ſecundum Legem Rom. *quâ Eccleſia vivunt*. Vtraq; lectio proba, ſed poſterior genuina ubi notandum, veteri ævo perſonas quoque eccleſiaſticas civilibus vel ut habetur d. l.

Roma-

Romanis legibus fuiſſe conſtrictas, & Eccleſias, Legi Romanæ h. e. civili vel ſanctionibus imperatoriis conformatas fuiſſe. Ita enim habet hic textus: Lege Romana Eccleſiæ vivunt, ut agnoſcas Eccleſiæ normam Legem Rom. fuiſſe.

Qui manumittendi in SS. Eccleſia habuerit voluntatem, *is* ſub præſentia Sacerdotum ſervos ſuos *debet* abſolvere. Suſcepta libertate noverit &c. In V. & M. ita legitur: Qui manumittendi in SS. Eccleſia habuerit voluntatem, *tantum eſt, ut* ſub præſentia ſacerdotum ſervos ſuos *velit* adſolvere, noverit eos ſuſcepta, libertate &c. Prior lectio planior, ſed poſterior authentica. Ca. 400. l. 3.

In Noſtro & Mog. hæc verba: *Nec criminoſi ad clerum admittantur: ait enim Apoſtolus: manum nemini cito impoſueris nec communicaveris alienis peccatis*, veluti titulus capitis poſita ſunt, ſed longè commodius in Vienn. hæc eadem verba non inſtar tituli, ſed veluti pars præcedentis textus habentur. Ita enim contextus omninò requirit. Ca. 405. §. 2.

N. *Rectores*. Rectè V. & M. *Lectores*.

Exemplar geminum Epiſtolæ Formatæ ponitur, quarum altera à Ratbodo Epiſc. Trevir. ſub quo vixit Regino, circa A. 906 profecta, altera ad eundem Ratbodum data; eſtque capitulum iſtud inter primaria, quæ Regino congeſſit, merito locandum, quod vix alibi melius expreſſa ſit antiqua hodieque exoleta formula Formatas ſcribendi. Sed & hîc Lectiones variant, præſertim cum in noſtro Inſcriptio ita terminetur: *Reverendo S. Metenſis Eccleſiæ Antiſtiti*, in Vienn. & Mog. hæc addita legimus: *In Chriſto Paſtorum Principe, manſuram cum gaudio proſperitatis ac perpetuitatis gloriam*! Ca. 408. l. 1. Ca. 642.

N. Presbytero noſtro, nomine N. Sed M. & V. nomen presbyteri exprimunt leguntque: Presbytero noſtro *Giſlemaro*. Ibid. l. 8.

N. Hanc epiſtolam —— anulo cum eccleſiæ noſtræ bulla recenſuimus. Sed eſt in Noſtro Codice error amanuenſis quod ſcribi debuerit: anulo eccleſiæ noſtræ bullare cenſuimus. Ita enim in Cod. MS. legitur. Ibid. l. 16.

In Formata poſter. N. legit: Reverendiſſ. & Sanctiſſimo. Mog. & Vienn. nomen epiſcopi exprimunt h. m. Reverendiſſ. & San- In eod. cap.

 ctiſſ.

ctiſſ. *Rathbodo*: is enim Reginonis ævo cathedræ Trevirenſi præfuit, Autori noſtro addictiſſimus.

Epiſt. pag. alt. l. 26. in N. Presbyterum *ad ruinam* per peram legimus, cum cæteri Codices legendum conteſtentur: Presbyterum *Adruinum*: id enim nomen proprium erat Presbyteri, cui data eſt illa Formata.

Ca. 429. L. 1. N. Hi, qui ordinari *petunt*. Rectè M. & V. Hi, qui ordinari *petuntur*, nullatenus ordinentur, niſi in loco religioſo. Canon hic iis fertur, qui cum nobiles vel in re lauta eſſent, cum vulgo frequentare templa nolebant, ideoque clericos, vel ut alij vocant, clericellos domi ſuæ ordinari petebant, ut quemadm. intra domos privatas Sacra familiæ miniſtrare debebant, ſic & intra domos ordinarentur. Patres itaque Meldenſes, quorum eſt hic canon, ordinationes hujuſmodi domeſticas & privatas prohibent nec cuiquam volunt concedi, ut quem ordinationi offert, alibi quam in loco ſacro & publico ordinari petat aut curet.

Variæ Lectiones Ex Libro Secundo.

C.5.§.10. N. Qui proprium ſervum *extra iudicium* occiderit. M. & V. legunt: *extra iudicem*. Lectio quidem noſtra latinior ac planior, ſed cum cæteri codices in aliam lectionem conſentiant, conjecto genuinam hanc eſſe. Agitur autem d. l. de ſervi, in quem olim jus vitæ & necis Domino ſuo erat, occiſione extra-judiciali.

§.39. in N. lacuna quædam punctis eſt notata, quod in Codice noſtro MS. verba textus aſſequi non potuerimus ſed collatis cæteris codicibus V. & M. palam vidimus pro punctis iſtis ita legendum: pro membris & vita redimenda.

§.52. In collectione herbarum medicin. Symbolum & Orationem dominicam dicere oportet. In M. & V. additum eſt: *Et nihil aliud*. Soliti erant nonnulli herbas ſalutares contra morbos invocato quidem Dei nomine, ſed & in nomine dæmonum gentiliumque deaſtrorum colligere; quorum prius d. l. proba-

Digitized by Google

probatur, ſed poſterius inter graviora peccata confeſſario denunciandum refertur.

N. in ordinandis telis. Rectius V. & M. in ordiendis telis. Examinari d. l. muliercula (pronior ille ad ſuperſtitionem ſexus) jubentur, num telas ſuas in Dei nomine ſint exorſæ, an verò magicum quid ſub initium operæ adhibuerint. *§.* 53.

N. Secundo & tertio anno ſimiliter. Malè omiſſum eſt verbum: *jejunent*, quod cæteri codices addunt. Agitur d. l. de Pænitentia Homicidarum, eaque rigidiſſima, quippe quibus per annos aliquot ex Concil. Triburienſi variæ pænæ canonicæ, præſertim aſpera jejunia h. abſtinentia à vino & cereviſia, à carne, caſeis & piſcibus imponuntur, nec ferè niſi panis & aqua conceduntur. Probe notetur h. l. in Tomis Conciliorum Surianis longè aliis verbis referri Capita VI, VII, IIX, quam iis, quæ in Reginone noſtro extant. C. 8. l. 2.

N. Si continere ſe non *voluerint* V. & M. Si continere ſe non *valuerint*, quæ lectio melior. Evidenter enim ex contextu patet de Pœnitentibus d. l. ſermonem eſſe, qui continere *volunt* quidem, ſed non *valent*. Cum his citato canone Moguntino diſpenſatur. Cap. 57. l. 96.

Poſt verbum: VVeregeldum *perſolvant*, in Noſtro omiſſa ſunt, quæ in Mog. & Vienn. habentur: *Si quis autem ex levi cauſa aut ſine cauſa hominem in Eccleſia interfecerit, de vita componat*, quæ verba pulcrè contextui reſpondent. C. 31. l. 3.

N. juxta, quod *in eo* præſcriptum, M. & V. legunt: juxta quod *in Capitulari* præſcriptum; ut videas eo ævo Leges Eccl. ad Capitulares Cæſarum accommodatas fuiſſe. C. 37. l. 3.

In Vienn. terminatur his verbis: *nihil ſibi uſurpent*, quæ verò ſubſequuntur: *de duabus partibus faciant presbyteri* &c. omninò ſunt omiſſa; ſed in Noſtro & Mog. leguntur. Suſpicor ergo in Codice Vienn. eſſe defectum vel amanuenſem, dum ſcriptionem deproperavit, feſtinante calamo hæc prætermiſiſſe. Cap. 38.

N. & Mog. legunt: Presbyteri interfecti *Epiſcopo*, ad cujus parochiam *pertinent, ſolvantur*. In ſolo Vienn. legimus: Presbyteri interfecti *compoſitio* Epiſcopo, ad cujus parochiam *pertinet, ſolvatur*; quæ poſterior lectio à contextu non aliena, ſi compoſitionem more veterum pro pretio, quod pro commiſſo homi- C. 40. l. 2.

homicidio ſolvendum, uno verbo: pro VVeregeldo acceperis. In ſeqq. ſtatim additur, pretium illud omne epiſcopo tribui debere, ut is partem alteram in fabricam eccleſiæ vel alendis clericis; alteram in eleemoſynam pauperum impendat. Citatur quidem Caput hoc ex Capitulari l. II. c. 49. ſed in Codice Antiqq. LL. Lindenbrogij, quo nos uſi ſumus, Liber II. Capitularium, Karoli & Ludovici Cæſarum non habet, niſi Capita 47. Vnde conjicio Reginonis ævo vel plures fuiſſe Capitulares vel alium iiſdem fuiſſe numerum impoſitum.

Ca. eod. l. ult. N. nullus ejus hæres nobis proximior videtur, qui ipſum Domino ſociavit. Rectiùs Vienn. & Mog. *quam ille*, qui ipſum Domino ſociavit. Hoc canone hæres presbyteri Epiſcopus conſtituitur ideo, quod Epiſcopus, dum SS. ordines contulit, ſummum ei beneficium præſtiterit eumque de ſeculo ſegregatum Domino Deo ſuo rebusque divinis copulaverit.

C. 42. l. 3. Si liber eſt, cum XII juret. Ita Mog. & Noſtr. Viennenſe pro XII ſubſtituit: LXXII; ſed quis credat tot teſtes in ullo juramento purgatorio adhibitos, cum juxta S. Scripturam in ore duorum vel trium teſtium veritas omnis conſiſtat. Veroſimilior certè lectio prior, quod & reliqua eodem canone contenta, numero duodenario definiantur, puta quod ei, qui presbyterum occidit, duodecennis pænitentia, & ſi ſervus ab illo crimine ſe purgare voluerit, ibidem XII candentes vomeres geſtandi imponantur.

C. 51. l. 2. N. Si Clericus — proximum ſuum occiderit, odij meditatione, VII annos pæniteat. V. & M. ita legunt verba poſtrema: *Exul* VII annos pæniteat, quo ipſo geminatur pæna Clerici homicidæ eique præter pænitentiam ſeptennem *Exilium* adjudicatur.

C. 63. l. 1. N. Si qui verò conceptos ex adulterio vel editos necare ſtuduerint. M. & V. Hi verò, qui *malè* conceptos ex adulterio *factos* vel editos necare ſtuduerint. Sed utrovis modo legas, eſt, quod deſideres, cum in ipſo Concilio Ilerdenſi, cui debetur hæc ſanctio, ita legatur: Hi verò, qui *malè* conceptos ex adulterio *fœtus* vel editos necare ſtuduerint, &c.

totum

Digitized by Google

Totum Moguntino æquè ac Viennenſi deeſt; & dum Codicem Helmſtad. relego, veroſimile mihi non videtur, capitulum iſtud ad Reginonis collectanea pertinere, cum ipſa ſcriptio alienam manum palàm conteſtetur. Cap. 64.

Si quis neceſſitate cogente homicidium commiſit, in cujus miniſterio res eſt perpetrata &c. Ita N. Sed in M. & V. rectè quod deeſt, ſuppletur h. m. COMES, in cujus miniſterio &c. Nam d. l. Iudici Cæſareo in Provinciis, quem olim Comitem vocarunt, forma ac norma agendi de homicidiis involuntariis præſcribitur. Vox igitur *Comitis* adſit, oportet. C. 81. l. 1.

In N. ita terminatur: *Hoc totum cum Lege Romana ſuper maxima parte concordat,* ſed in utroque Codice Vienn. & Mog. lectio talis eſt: *Hoc totum idcirco ex lege Romana poſuimus, ut Sacerdos ex lege perpendat modum pœnitentiæ in talibus tranſgreſſionibus: Canonica enim auctoritas cum Lege Romana ex maximâ parte concordat.* Extant h. l. capita nonnulla ex civilibus Legibus depromta de variis homicidiorum generibus; & ne quis miretur, civiles Leges cum canonicis compoſitas, rationem Autor reddit, factum hoc ideò, ut Sacerdos de homicidis eorumque civilibus pœnis ex jure Romano inſtructus modum quoque pœnitentiæ ſecundum gravitatem delicti contemperare poſſit. De cætero notabilis eſt illa gnome: *Canonica auctoritas cum Lege Rom. ex maxima pare concordat,* quo ipſo ſuavis harmonia LL. Eccl. & civilium commendatur. Cap. 89.

N. Nec exteris gentibus --- bellum eſt populo antiquo *in V. T.* inferre præceptum. V. & M. legunt: populo antiquo *penitus* inferre præceptum. C. 95. l. 4.

Quare enim addit? Omiſſa eſt partic. negans, quam Codices MS. cæteri habent, dum ſic legunt: *Quare non addit?* Videtur alias capitulum iſtud paulo obſcurius. Contextus Lectionem negantem probare videtur. C. a 105. l. 7.

In N. ad duellum probatorium Lotharius prohibetur ſiſtere perſonam, quam *quando vult, ad caſtra reducit.* V. & M. legunt: *quando vult, ad Clauſtra reducit.* Probabilior videtur prior lectio: agitur enim d. l. de homine ad duellum ſiſtendo, qualis in caſtris quærendus, non in clauſtris vel quæ hodie dicimus, cloſtris, in quibus olim, fratres clauſi, nobis Klausner Cap. 115. p. 2. l. 3.

Digitized by Google

dicti, hodieque Religioſi & cœnobitæ cohabitant, à quibus nihil magis alienum, quam ſolennes hujuſmodi ac cruenti conflictus.

Eod. ca. l. pen. Noſter Codex Perſonam in duello ibi propoſito ſtatuit oportere *ſuis licentiis uti*. M. legit: *ſuis libenter uti*. Vienn. *ſuis liberaliter uti*. Prima lectio cæteris melior. Senſus enim eſt: Cum Thietberga innocentiam Lothario marito per duellum probare debeat, fas eſt, ut perſona, quæ partes Thietbergæ tuetur, ſit libera nulloque Regis metu (metus enim eſt actionis vinculum) ſit conſtricta; quæque ſuis licentiis utatur h. e. cui liberè agere liceat. Obſervent h. l. Studioſi SS. Antiqq. veteribus à vero judiciorum ordine deficientibus varios purgandi modos fuiſſe; nec frequentior aut certior habita eſt purgatio, quàm quæ per duellum, per crucem, per aquam, frigidam aut calidam, per ferrum ignitum vomereſque candentes fieri ſolebat, quas Purgationes Vulgares vocarunt. Canonica enim erat, quæ per Sacramentum v. g. per uſum SS. Euchariſtiæ fiebat. Vide C. 2. q. 5. c. 7. Decr. Greg.

C. 127. l. 2. Quod in N. negativè: *Et haud probare poteſt ille vir*; in V. & Mog. affirmativè legitur: *Et hoc probare poteſt ille vir*. Rectè! Conceditur enim h. l. dimiſſio uxoris, ſi maritus inſidias vitæ ſibi ab uxore ſtructas probare poſſit, non utique ſi probare haud poſſit.

Ca. 126. l. 4. N. Ut *ſecurus* poſſet habere vaſallum; V. & M. legunt: *ſecurius*. *Cum durè apud eum ageret*; ſed rectius in V. & M. *Cum Senior durè contra eum ageret*. &c. Proponitur hic caſus: Eſt Dominus, qui domicilium aliò transfert vaſallo uxorato ſecum ducto; hujus verò uxor ſequi renuit. Vaſallus alibi aliam ducit uxorem, at poſtea à Domino duriter habitus priſtinos lares repetit, quæritur: utra uxor ei retinenda ſit? Reſpondetur retinendam eſſe poſteriorem.

Ca. 129. l. 2. In N. legimus: Si qui matrimonium contraxerint, & uni amentia --- *acciderit*. Sphalma eſt Typogr. pro quo in Codd. M. & N. ἀναλόγως ad LL. Grammaticè legitur: *acceſſerit*.

Cap. 132. l. 4. N. Ille, qui *legem Conjugii non tenet*, V annis pœniteat. V. & M. Ille qui *lege Conjugii non tenetur*, V annis pœniteat, quæ lectio genui-

genuina: nam in proximè præced. linea ei, qui pacta matrimonij violando legem Conjugij non tenet, non quinquennij, ſed ſeptennis pænitentia imponi *jubetur*. Ei verò qui adhuc ſolutus, nulla hactenus lege conjugij tenetur, carnaliter tamen peccat, pænitentia biennio minor rationabiliter injungitur, & ad quinquennium merito reſtringitur, quia minus peccat.

N. *De* adulterio *extraneam* mulierem nemo accuſet, ſed propinqui, ad quorum *notitiam pertinent* —— — De reliquo ante inſcriptionem ſi accuſata acquieverit, *poteſt* per ſatisfactionem veniam promereri. Sed in Vienn. lectio eſt planè rum diverſa. *In* adulterio *extraneus* nullus mulierem accuſet, ſed propinqui, ad quorum *notam pertinet* —— — *Reliqui* tamen ante inſcriptionem. Si accuſata acquieverit, *poſſunt* per ſatisfactionem veniam promereri. Cum Vienn. Codex Mogunt. conſentit, niſi quod ubi in V. *Extraneus* legitur, in M. *extraneam* poſitam reperimus. Extranea, alias Subintroducta, gr. Συνείσακτος erat fœmina in domum aſcita, non ut uxor, ſed ut curam rei domeſticæ ageret, unde ſequiori ævo concubinæ Clericorum natæ. Sed ut quod ſentio, liberè dicam, Lectio Vienn. mihi h. l. placet maximè eſtque cæteris planior. Senſus Legis eſt: Nemo *extraneus* h. e. qui nulla cognatione aut affinitate eſt conjunctus, alterius mulierem de adulterio accuſet, ſed ſolum *propinqui*, quibus per adulterium fæminæ *nota* vel macula adſpergitur. —— *Reliqui tamen* h.e. extranei vel non propinqui *ante inſcriptionem* accuſare mulierem de adulterio non debent. Inſcriptio eſt libellus, quem accuſator judici offert hac aut ſimili forma ſcriptus: Ego N. N. coram Prætore vel Iudice N. N. refero fæminam iſtam N. N. ream eſſe Legis Iuliæ de adulterio, quod commiſſum cum N. N. dum eſſet cum eo menſe tali in domo tali &c. Effectus Inſcriptionis erat, quod accuſator ſi in probando deficeret, ad talionem obligaretur. Inſcribere enim nihil aliud eſt, quam ſe obligare ad eam pœnam, quam reus debet pati, vel quam accuſando inferre intendit, ſi probaverit accuſator. Vid. L. penult. Cod. de accuſatis. Præſens ergo Ca- Ca. 143. l. 3.

 pitu-

pitulum ab extraneis vel non propinquis libellum talem exigit, antequam accuſatio admittatur. At ſi ipſa *mulier*, contra quam eſt actio, *accuſata acquieverit* nec libellum talem exigat nec licet convinci nequeat, jus ſuum velit perſequi, *poſſunt* actores *per ſatisfactionem* h. e. per nudam deprecationem *veniam mereri* h. conſequi.

Ca. 162. l. 3. Poſt hæc verba: *publicæ pœnitentiæ tradantur*, in MS. Helmſt. prætermiſſa ſunt iſta, quæ in V. & M. conformiter leguntur: *Ipſæ vero fœminæ locis congruis pœnitentiæ ſubigantur*. Hæc autem verba ut inſerantur, contextus evidenter requirit.

Ca. 166. l. 12. N. Expleta Miſſa ad *cellulas ſuas* redeant. V. & M. legunt: Expleta Miſſa ad *Eccleſias ſuas* redeant. Vtraque lectio, diverſimodè tamen, probanda. Agitur d. l. de Sanctimonialium clauſtris, in quibus Presbyteros aliunde accitos Miſſam vel rem divinam facere oportuit. Expleta Miſſa Sanctimoniales ad cellulas ſuas, Presbyteri ad Eccleſias ſuas remeare nec invicem familiarius agere jubentur. Quod ſi igitur verba de Sanctimonialibus dicta acceperis, lectio noſtra; ſin de Presbyteris & Clericis, lectio Mog. & Vienn. probanda videtur.

Cap. 171. l. 7. Agitur de Virgine, quæ *coram immortali ſponſo ſe coniunxerat*; ſed in V. & M. legitur quæ *ante* h. e. antehac *immortali ſponſo ſe* conjunxerat, ut denotentur ſpirituales nuptiæ non tantum coram Chriſto immortali illo piæ animæ ſponſo, ſed & cum illo ipſo peractæ.

Ca. 172. l. 8. Poſt hæc verba: *dignam aſſequantur*, in noſtro omiſſa ſunt iſta: *Si autem manifeſtè detegi non valuerint, erga eccleſiam ſuæ opinionis malam famam purgare cogantur*, quæ verba & contextus requirit & uterque codex Mog. & Vienn. refert & in ipſo Concilio Meldenſi leguntur.

Ca. 175. l. 2. N. l. 2. non permittitur *colloqui*, Rectè M. & V. non permittitur *eis* (ſc. mulieribus) *loqui*, quæ lectio Nannetenſi quoque Concilio firmatur.

Ca. 176. l. 1. N. Virgines non velentur ante *XX* ætatis annum Sed V. & M. legunt: Ante *XXV* ætatis annum, eademq; ætas Concilio Africano, in quo hic canon ſe fundat, eſt expreſſa.

Ca. 177. l. 2. *In ſuis mundiburdis*. Ita N. ſed V. & M. habent: *inſciis mundiburdiis ſuis*. *Mundiburdi* h. l. dicuntur Tutores, quod ſint quaſi os pupilli, qui cum ipſe pro ſe in judicio fari & cauſam ſuam,

cum

cum ſit minorennis, agere nequeat, alieno nempe tutoris ore loqui cogitur. Mundiburdis igitur nomen eſt à *mundio*, quod generatim *poteſtatem*, & in ſpecie *tutelam* ſignificat. Sic in LL. Longob. l.11. Tit. X. leg.1. dicitur *in mundio vivere*, qui ſuæ eſt poteſtatis. Et ibid. leg. 8. *Mundium puellæ* h. e. tutela. Et vernacula lingua dicimus ein Vormund / q. d. *pro ore* vel pro altero loquens In LL. Longob. ein M...dwal cui eſt ſui oris poteſtas It. Mündich i. puer extra tutelam conſtitutus. Alias ſæpe legimus Epiſcopos fuiſſe in mundiburdio Regis, ubi mundiburde vel mundiburdium non præciſè tutelam (neque enim pupilli erant Epiſcopi) ſed tuitionem ac defenſionem eccleſiæ notat. Sic in Synodo Confluentina A.1360 legitur: Volumus, ut Eccleſiæ & caſæ Dei & Epiſcopi & Dei homines clerici, monachi & nonnæ talem mundubernem habeant, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum. Vid. Voſſius de Vitiis ſermonis l. 11. c. 12.

Virginem aut viduam &c. Moguntino & Viennenſi totum deeſt. Videtur autem à Reginone una cum cæteris, cum quibus eſt ſimilis materiæ, omnino collectum. Ca. 179.

Noſtro Codici deſunt iſta: *Si quis fratris uxoris germanam in conjugium duxerit, anathema ſit*, quæ in V. & M. comparent, cæteriſque gradibus d. l. prohibitis addenda prorſus videntur. Cap. 185. l. 4.

N. & Mog. concorditer legunt: Filium noſtrum —— — ſub tuitione eccleſiaſtica & regio mundeburde conſtitutum &c. Vitioſè autem Vienn. ſcriptor pro *tuitione* utitur *ſubſtitutione*. Quid ſit mundiburde paulo ante diximus. Ca. 187. l. 2.

VVeregeldum proximus ejus perſolvat. V. & M. *VVeregeldum eius proximis eius* perſolvat. Iubetur nim. d. l. interfector pænitentis non in foro tantum civili *bannum* in triplo componere h. e. proſcriptionis pœnam in triplo redimere, ſed & cognatis occiſi ſatisfacere. *VVeregeldum* vel ut alij legunt, VVirigildum ſolvendo. *VVeregeldum* eſt pretium, quo vir occiſus æſtimatur. Per apocopen dicitur VVere: Sic in LL. Anglic. *VVere* ſuum h. e. pretium ſuæ redemtionis perſolvat. Alij pu- Ca. 190. l. 2.

Digitized by Google

tant oriundam eſſe hanc vocem à germ. VVeren h. defendere, quia hoc pretio aliquis ſe redimit.

Ca. 199. p. 2. N. legit: Iſidorus — ad ſextam generationem conſanguinitatis abſtinendum; poſt illa addunt M. & V. Codices: *Et ſic legitimo connubio coniungendum aſſeruit*, quæ verba in noſtro deſiderantur. Putat nim. Iſidorus in arbore conſanguinitatis à ſexta demum generatione vel à ſexto gradu, cum inter homines communis ſtipitis memoria deſiit, legitima demum conjugia & pacta conjugalis amicitiæ iniri primum poſſe.

Ca. eod. In N. legimus: Ita cenſura diſciplinæ temperetur, ne per *immoderationem conceptionis* peccati cumulus augeatur. Sed rectius V. & M. *immoderationem correptionis* legunt, idque cum præced. optimè congruit. Ratio enim temperandæ diſciplinæ eſt *ſpes emendationis*, ne ſi immoderata ac nimia ſit correptio, alter, qui corripitur, non tam emendetur, quam in deſperationem adeoque in gravius peccatum incidat.

Ca. 205. l. 3. Si ipſe *non* probaverit. V. & M. rectè affirmativè pronunciant. Si ipſe — *hoc* probaverit &c. Proponitur h. l. caſus ex principiis actionum hum. definiendus. Eſt maritus, qui putat ſe cum ſua concumbere at concumbit cum aliena; Is ſi ſuam hanc ignorantiam eamque non affectatam probaverit, pænitentia quidem aliqua ei imponitur, ſed conjugium cum ſua adhuc permittitur, ideo quod probaverit ignorantem ſe feciſſe.

Ca. 220. l. 1. Si qui propter vindictam fugiunt. In exemplaribus MS. uniformiter faidam legimus. Quæritur, quid ſit Faida? Exponemus id verbis CL. Voſſii: Faida & feida, ait ille l. 11. de Vitiis Serm. c. 6. eſt à germanis, quibus inimicus faind. Nec tamen quaſvis ſignat inimicitias, ſed capitales, unde faida in gloſſis vindicta mortis exponitur. Præterea iſtæ ſignantur, quas propinqui utrinque inter ſe ſuſcipiunt. In Capit. Carol. l. 4. t. 27. eſt de faidis coercendis. *Faidoſus* dicitur, cui cum altero capitalis hujuſmodi inimicitia intercedit.

Ca. 247. l. 4. Si conſenſerit quis, *XXX dies* pæniteat. V. & M. legunt: XX dies; & rectè quidem: Ita enim d. l. dies pænitentiæ coordinantur, ut minori delicto minor pænitentia deputetur; puta ſi quem

Digitized by Google

quem parvulum major opprimat & per vim ad ſcelus cogat, ſeptiduum, ſi oppreſſus in ipſum factum conſentiat, dies XX; Si puer non oppreſſus, ſed ſua ſponte ſe polluat, XXX Iuvenis XL dies pœnitere jubetur. Sunt, qui Reginoni vitio vertunt, quod obſcœna hujuſmodi, quæ ſatius ſit tacere qualis eſt ſordidatio puerorum, operi ſuo inſeruerit, idque hominem religioſum, nedum Abbatem, qualis fuit Regino, non decere putant. Sed narrare obſcœna, ut ea deteſteris & per pœnitentiam diluas, non ut iiſdem te oblectes, nedum ut ſimilia perpetres, vitio caret. Alias cave, ne ipſam S. Scripturam accuſes, quæ alicubi ſimilia refert v. g. detectionem pudendorum, maſtuprationem, beſtialitatem &c. Lev. XIIX. Sed benè eſt, quod muta hæc peccata in SS. referantur cum deteſtatione: ita ſi quæ obſcœna ex priſcis pœnitentialibus Regino collegerit, ad excuſandum Autorem ſufficit, quod eadem cum adjuncta Pœnitentia ad informandos Confeſſarios referantur. De cætero mundis omnia munda ſunt; nec nuda vitiorum narratio, ſed eorundem approbatio, conſenſus delectatio & praxis in vitio eſt; etiamſi fateor, in rude vulgus vitia incognita temerè ſpargenda non ſunt.

In N. ij, *qui ante XX annum irrationabiliter verſantur* h. beſtialiter vivunt & cum brutis conſueſcunt, per annos XX à communione precum excluduntur. Sed facilè è contextu patet, in Mog. & Vienn. *quindecim* annos legi rectius: Nam quindecenni pœnitentia expleta precibus publicis intereſſe Sodomita permittitur; Sed reconciliatio h. e. receptio ad communionem SS. Euchariſtiæ poſt illa adhuc alios quinque annos differebatur; & poſt XX demum annos plena communio non precum ſolum, ſed & S. Euchariſtiæ reddi eidem jubetur. In Surianis Conciliorum Tomis canon hic Concilij Ancyrani, cui capitulum hoc Reginonis debetur, ita legitur: *Περὶ τῶν ἀλογῶς διαζώντων ἢ διάζονται. In titulo verba græca hæc ſunt, quæ latinè poſſumus dicere: De his, qui irrationabiliter verſati ſunt ſive verſantur. Senſus autem in hac ſententia poteſt eſſe duplex, qui ex ſubiectis conücitur: Aut de his, qui cum pecoribus coitu mixti ſunt, aut more pecudum cum propinquo ſanguine*

Ca. 254. l. 1.

guine inceſtè commixti ſunt. Verba autem canonis ſic ſonant: *Quotquot igitur ante 20 annum ætatis ſuæ tale crimen admiſerunt, 15 annis in pœnitentia peractis, orationi tantùm incipiant communicare & quinquennium alterum in communione orationis ſolius perdurantes poſt vigeſimum cum oblatione ad communionem ſuſcipiantur.*

Ca. 264. l. 2. N. *Dictum eſt nobis, quod in quibuſdam locis Epiſcopi & Comites ab inceſtuoſis & ab iis, qui decimas non dant, vivadio accipiant.* Rectè V. & M. pro *vivadio* legunt *VVadios*, & *VVadios*. VVadius vel vvadium propriè dicitur pignus vel fidejuſſio. Eſt verò à *vadis* vocabulo: veteres enim latini pronunciarunt V conſonum, ut nos VV (teſte CL. Voſſio de vitiis Sermonis l. III. c. LVI) Quia igitur vas & ſponſor eſt pro pignore, ideo VVadium ſimiliter pro pignore; & vvadio ſupponere idem eſt quod oppignorare. Quia verò pro mulcta pignus dari communiter ſolet, inde eſt, quod VVadius etiam dicatur, mulcta, quam quis debet; atque h. m. præſenti capite accipi docet Voſſius l. cit.

Ca. 271. lin. ult. N. *Si id ſponte faciat, homicida eſt; non eſt, ſi eum occidat, qui ſic à iudice occidi debuit.* V. & M. uniformiter & magis congruè legunt: *Cum miniſter occidit eum, quem iudex iuſſit occidi, profectò ſi id ſponte faciat, homicida eſt, etiamſi eum occidat, quem ſcit à judice occidi debuiſſe* Senſus dicti eſt: Eſt nonnemo ob juſtam cauſam ad mortem â judice condemnatus; miniſter audita capitali ſententia terminum præſtitutum & exequendæ ſententiæ dictum antevertit & ſua ſponte maleficum perimit, quæritur, an ſit homicida? Reſpondetur quod ſic, ideo, quia ſponte h. e. voluntariè hominem, quamvis nocentem occidit, nec à reatu homicidij abſolvitur per hoc, quod cognoverit hominem morti adjudicatum fuiſſe.

Ca. 273. l. 3. Poſt vocab. *perſolvat* Noſtro deſunt, quæ in V. & M. leguntur nempe iſta: *Poſtmodum verò ad nos à comite adducatur, ut in baſtiniaco retruſus, uſq; dum nobis placuerit, pœnas luat.* Nam ſi &c. Quid ſit baſtiniacum, vix liquet. In Gloſſario Lindenbrogij ad Codicem Antiqq. LL. Baſtonicum invenio, quo nomine arctiſſimam cuſtodiam denotari idem Autor ex Capitularibus probat, eſtq; hæc acceptio præſenti loco accommoda, ubi de pœnis latronum ac raptorum agitur. *Rapto-*

Digitized by Google

Raptores à liminibus S. Eccleſiæ - - - punimus. Rectè M. & V. legunt: *pellimus.*

In N. legitur: Vt Symmachus Papa & *per eum* B. Gregorius Sabino Subdiacono ſcribit. Rectè M. & V. *poſt eum.* Fuit enim Symmachus Papa A. 500. Gregorius M. A. 590. adeoque integro ferè ſeculo poſt eum h. poſt Symmachum Gregorius Papa ſcripſit. Sub finem ejusd. Cap. in N legitur: Studeat, quod *amiſit* (rectiùs: *admiſit*) corrigere. Ca. 286. l. 12.

N. & Mog. Nullus Epiſcoporum graviter ferat, ſi ejus parochianum pro hujuſmodi deprædationis (Malè V. damnationis) cauſa alter Epiſcopus excommunicaverit. Patet enim ex præced. canone, in quo prædones ſub aliena parochia deprehenſi ibi, ubi peccarunt, cenſuræ eccleſiaſticæ ſubdi jubentur, deprædationis vocem h. l. legendam, non damnationis. Ca. 290.

In N. confringatur, Recte in V. & M. conſtringatur. Ca. 304.

N. Sacramenta, quæ ad palatium fuerint *delata*, in palatio perficiantur. Vienn. pro *delata* legit *adſtipulata.* Sed neuter rectè. Benè Moguntinus: *adramita*; atque cum eadem voce capitulum iſtud allegat Voſſius de Vitijs Serm. l. II. c. XXII. Eſt autem adramire vel adhramire promittere, ſe certa die ac loco juraturum; à veteri gallorum verbo, quod eſt arrimier. Ita l. IV. Capitul. c. XXIIX. dicitur: *Vbi antiquitus conſuetudo fuit de libertate Sacramenti adhramire vel iurare, ibi mallum habeatur & ibi Sacramenta iurentur.* Ca. 315. l. 1.

Ab ipſo die, quo Sacramentum, accipitur, poſt XL dies & XL noctes, *item quadrageſima* ſecundo die de *VII* ſeptimanis — juret. Sed Mog. & Vienn. ita: Ab ipſo die, quo ſacramentum accipitur, poſt quadraginta dies & quadraginta noctes *id eſt quadrageſimo* ſecundo die de *ſex* ſeptimanis —— juret. Senſus eſt: Accepto Sacramento intra proximas ſex ſeptimanas nemo, qui accepit ſacramentum, jurare compellatur; ſed expletis ſex hebdomadibus h. die ſexies ſeptimo vel quadrageſimo ſecundo juramentum præſtetur. Ca. 316. l. 3.

Ita legendum: Si quis Clericus furtum fecerit aut falſum teſtimonium dixerit, quia capitalia crimina ſunt, *communione conceſſa* ab ordine degradetur. Ita enim habent Mog. & Vienn. In noſtro male prætermiſſum: *communione conceſſa.* Sciendum Ca. 333.

in Vet. Eccl. varia genera communionum fuiſſe, inter quæ eminet Communio Clerica & Laica. *Cum quis omnimoda depoſitione & perpetua puniebatur, ille ius integrum Communionis eccleſiaſticæ* (clericæ) *amittebat, &* è clero ejectus *inter laicos relegabatur, cum quibus* in Templo extra τὸ βῆμα vel extra chorum conſiſtens *communione Laica non minus, quam cæteri laici fruebatur*, ſcribit Antiqq. iſtarum peritiſſimus Gabr. Albaſpinæus in initio Obſerv. Eccl. Inde jam intelligitur, quid ſit clericum communione conceſſa ab ordine degradari. Fuit nimirum is, cui pæna hæc dicta, à communione clerica excluſus, nec locum cum cæteris clericis in choro ſtandi aut ius exercendi ſacras functiones habuit, conceſſa tamen ei eſt communio laica h. poteſtas inter laicos ſtandi & cum plebe communicandi.

Ca. 334. l. 7. Campioni, qui victus fuerit, *propter periurium* (has voculas Noſter omiſit, expreſſit autem Mog. & Vienn.) dextra manus amputetur. H. l. antiqua conſuetudo probandi veritatem rei geſtæ per duellum proponitur, puta ſi utraq; pars juramentum præſtet & contraria ſint dicta teſtium, utrinque duo ſeligi jubentur, qui in campo fuſtibus concertent ea lege, ut is, qui ſuccumbit, pro convicto habeatur, perjurij damnetur & dexteram, qua pejeraſſe præſumitur, amittat; Hic modus ſeſe per duellum purgandi ac rem probandi Longobardis frequens, apud hos enim quoties probatio deerat, judicii per duellum faciebant fidem, & in Dania olim Fronto Rex Legem tulit, ut controverſiæ omnes duello finirentur, idque in Moſcovia adhuc uſitatum refert Bodinus l. IV. de Rep. c. ult. Sed cum ſæpe ſit compertum cecidiſſe eum, cujus cauſa fuit juſtiſſima, meritò reſcripſit Innocentius III. Papa: *Significantibus Quinto Laico & fratribus eius, ad noſtram noveris audientiam perveniſſe, quod cum quidam eos ſuper furti crimine accuſaret, cum eo coacti ſunt inire duellum, in quo aliis peccatis ſuis præpedientibus ceciderunt, propter quod per Conſules Spoletanos bonis propriis fuerunt ſpoliati, nunc verò furtum apud alios eſt inventum, & quod ipſi fuerint innocentes, eſt faciente Domino revelatum, unde Conſulibus ipſis dedimus in mandatis, ut ablata reſtituerent univerſa.* L. V Decr. tit. XXXII. c. 2. Sic & Nicolaus Papa mandavit:

Digitized by Google

davit: *Monomachiam in lege non aſſumimus, quam præceptam fuiſſe non comperimus: quia licet quoſdam iniiſſe legerimus, ſicut S. David & Goliath ſacra prodit hiſtoria, nunquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi divina ſanxit autoritas, cum hæc & hujuſmodi ſectantes Deum ſolùm tentare videantur* P. 11. deor. cauſſa 11. q. 5. c. 22. Campio priſcis dictus ille, qui ad probatorium ejuſmodi duellum cum altero condeſcendit; nomen eſt à Campo, in quo certamina iſta commiſſa. Hinc germ. dicimus ein Kampff/ quod in campo olim fieret. Ex eod. Reginonis capitulo pœnam perjurij apud veteres amputationem dextræ fuiſſe diſcimus

Eos, qui *fuſè* (rectius Vien. & Mog. legunt: *falſo*) fratribus capitalia crimina objeciſſe convicti fuerint, &c. Ca. 337.

Pro *abiecit* legendum *obiecit*. Ca. 340.

Lege: Similiter judaicis ſuperſtitionibus *& feriis* (has voces V. & M. commode addunt) inhærentem, à conventu eccleſiæ ſeparandum ducimus. Sanctio hæc eſt contra Teſſareſcædecatitas, Sabbatianos alioſque, qui umbram legis Moſaicæ ſecuti in Eccleſia dies feſtos cum Iudæis habuere communes, à quibus per Apoſtolum Orbis Chriſtianus abſolvitur: *Nemo vos indicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ aut ſabbatorum* Col. II. 16. Ca. 350.

Pervenit ad nos, quod quoſdam incantatores & ſortilegos fueris *ſectatus*. Recte Mog. & Vien. *inſectatus*. Nam in ſeqq. commendatur zelus hominis, qui iſtud fecerat. Nunquam verò S. Gregorius M. hominem commendaſſet ſortilegia & incantationes *ſectantem*. Patet ergo agi de aliquo, qui non *ſectatus*, ſed *inſectatus* fuerit diabolica iſta ſtudia, ideoque laudem d. l. promeruit. Ca. 351.

N. Qui hæc veneratur & colit, *eſt quaſi* Deum ſuum neget. Conſentit Mog. ſed Vienn. ſic habet: Qui hæc veneratur & colit *& in tanta veneratione habet, ut* Deum ſuum neget. Verum in ipſo Concilio Nannetenſi, unde eſt hoc caput, lectio, qualis eſt in in Codice noſtro, confirmatur. Agitur d. l. de ſuperſtitioſo quodam arborum dæmonibus conſecratarum cultu, qui per Dei gratiam hodiè ita abolitus, ut vix ulla ejus memoria extra hunc canonem Nannet. ſuperſit. Ca. 359.

Digitized by Google

Ca. 360. In Vienn. terminatur his verbis: *Qui immolant dæmoniis in minimis annum pœniteat*; prætermiſſa ſunt hæc verba: *qui vero in magnis, X annis pœniteat*, quæ in Noſtro tamen ac Mog. leguntur.

Ca. 364. l. 16. N. & M. Dianæ juſſionibus *velut Dominæ* obedire. V. *velut Deæ* It. lin. 20. N. & M. à recta fide deviat. V. à recta *via &* fide deviat. Vtraque lectio poteſt admitti, ſed utrobique genuina eſt prior. Refertur d. l. mirabilis illuſio dæmonum, qua ſuperſtitioſas quaſdam mulierculas dementat, ut inſomnis ſe cum Diana & magna hominum multitudine converſari, longinquum iter agere, & circumequitare & Dianæ famulari exiſtiment; Haud abſimile videtur commentum, quo dæmon ſagas faſcinat, ut affirment, ſe agmine facto, in ipſa S. VValpurgis nocte ſcopis inequitare, montem Bructerum condeſcendere, ibidem comeſſari & choreas ducere. Vtrumque eſt ſtolidum commentum, nec quicquam ſubeſſe exiſtimo, niſi deceptiones dæmonum.

Ca. 365. l. 1. N. Sacerdotes per eccleſias populo prædicare debent. Paulo plenius iſta M & V. *Quapropter* Sacerdotes per eccleſias *ſibi commiſſas* populo *omni inſtantia* prædicare debent.

Ca. 369. Iuxta Codd. MS. ita legendum: *Non liceat* mulieres chriſtianas vanitatem in ſuis laneficijs obſervare, ſed Deum invocent adjutorem, qui ipſis ſapientiam *texendi* donavit.

Ca. 386. In N. ſic terminatur: de proprijs facultatibus reddat. Sed in M. & V. non ſola damni reſtitutio, ſed & pæna eccleſiaſtica eſt annexa his verbis: *Et communione privetur*. Senſus eſt: Clericus cum damnum eccleſiæ ſciens ac volens intulit, poſt illa deprecatur, manere quidem in ordine ſacro & locum ſtandi in choro retinere poteſt, ſed rependere damnum illatum & quamvis inter clericos, à communione tamen h. ab uſu SS. Euchariſtiæ aliquamdiu abſtinere tenetur.

Ca. 390. Ita legendum juxta Codd. MS. *Cives*, qui Paſchæ, Natalis Domini vel Pentecoſtes feſtivitatibus Epiſcopis intereſſe neglexerint, *accipiendæ communionis aut benedictionis gratia* (hæc verba excuſo Exemplari deſunt) Qui hoc neglexerint, triennio communione priventur. Ex hoc capit. patet eo tempore, quo habita eſt Synodus Rhotomagenſis receptum in Eccleſia fuiſſe, ut cives in Vrbibus cathedralibus ter ad Templum cathedrale

drale convenerint, Epiſcopo ſuo ſe ſtiterint & ter quotannis ſaltem in majoribus anni feſtis de manu ejus communicaverint. Hodie in nonnullis civitatibus conſuetudo eſt contraria: neque enim toto anno pauciores ſolent eſſe communicantes, quam majoribus anni feſtis.

Terribilis veterum ritus in excommunicatione obſervari ſolitus deſcribitur, eſtque ut equidem exiſtimo, caput iſtud inter potiora libri ſecundi numerandum. Cum Excommunicatio Major fuit pronuncianda, convocati ſunt clerus & plebs, lectum eſt Evangelium, quo lecto Epiſcopus ſermonem habuit & pronunciandi anathematis cauſas recenſuit, quibus recenſitis horribile anathema impœnitenti fuit dictum, cujus formulam d. l. invenies. Aclamavit plebs: Fiat. Dum dictum fuit anathema, Sacerdotes lucernas ardentes manutenentes Epiſcopum circumſtiterunt, dictoque anathemate lucernas omnes humi projectas pedibuſque protritas extinxerunt. Epiſcopus dein conſortium omne cum excommunicato prohibuit & per Epiſtolas non ſuæ ſolum, ſed & vicinis diœceſibus anathema dictum denunciavit, idq; ſingulis diebus domin. ex ſuggeſto repeti oportuit &c. unde rigor diſciplinæ veterum, ſequiori adhuc ævo luculente conſtat. Sed & in his capitulis Lectiones Codicum ſemel atque iterum variant: nam Ca. 408. & ſeqq.

In N. XXII. Sacerdotes, ſed in Vienn. & Mogunt. *duodecim* Sacerdotes Epiſcopum anathema dicentem circumſtare jubentur, quæ lectio verior: Nam in ſolenni iſto actu Epiſcopus perſonam Chriſti, Sacerdotes Collegium Apoſtolicum præſentarunt, ut plebi fuerit cogitandum, perinde eſſe ac ſi ab ipſo Chriſto adſtantibus XII. Apoſtolis anathema fuerit dictum. Ca. 410.

In fine pag. poſt illa verba: provocare ſtuduerit; in Noſtro omiſſa ſunt, quæ in Codd. MS. leguntur: aut in domo ſua cum receperit aut ſimul cum eo oraverit. Hæc verò omninò ſunt addenda. Exprimitur h. l. hominis, in quem anathema vibratum eſt, excluſio ab omni fidelium conſortio: cum tali enim nec preces fundere, nec verba commutare, nec ſalutem dicere, nec euchariſtiam ſumere, nec edere aut bibere licuit, juxta tritum illud excommunicato:. Eod. Ca.

Os, Ø.

Eod.Ca. In fine pag. lin. penult. in N. legitur. Epiſtolæ Preſbyteris *per parochiam* mittantur; in cæteris Codd. rectius: *per Parochias*.

Ca. 413. Lin. 14. 4. in N. & Mog. pereant in *ſecundo* Domini adventu. In V. forte ex non intellecta abbreviatura poſitum eſt: in *ſancto* adventu Domini.

Ca. 424. In N. ſi miniſtri Epiſcoporum colonos (rectè in Codd. MS. additum: *pro criminibus*) flagellaverint,

Ca. 425. l. 3. In N. Sratuerunt Seniores veſtri. Error eſt, pro quo recte in cæt. Codd. ſtatuerunt ſeniores *noſtri*.

Ca. 426. lin. antepenult. In N. Contra hanc *credulitatem* Sacerdotum debet pietas certare. Sed evidens eſt è contextu non *credulitatem*, ſed *crudelitatem* cum exemplari Mog. ac Vienn. legi oportere. Damnatur enim d. l. crudelitas illorum, qui è manibus paganorum elapſos ſibi vendicant & mancipia ſua conſtituunt, quos ſatis erat mercenarios fieri, non ſervos.

Ca. 436. lin. penult. In N. pænitentia dierum XI injungitur ei, qui iratus alterum uſque ad ſanguinis effuſionem percuſſerit; ſed quiſquis veterum in diſciplina rigorem expenderit, facile Codici Vienn. ac Mog. ſubſcribet, in quibus ad dies quadraginta eadem pænitentia protenditur.

Ca. 445. l in. ult. Noſter ita habet: Pro uno die in æſtate pſalterium vel percuſſiones. Sed in Vienn. ac Mog. numerus percuſſionum ad centenarium eſt reſtrictus, & ſic legitur: Vel *centum* percuſſiones. Notabunt h. l. SS. Antiqq. Studioſi, in Vet. Eccl. ijs, qui publicam egerunt pœnitentiam, opera pœnalia ac laborioſa fuiſſe impoſita, quæ *Satisfactiones* vocarunt, ita tamen, ut priſco uſu ſatisfacere idem ſit, quod deprecari, culpam fateri, nolle factum, quod factum eſt, deſiderium alicujus explere, vel facere id, quod vult offenſus, ut fiat. Dictæ autem ſunt Satisfactiones *canonicæ*, quia canonibus Conciliorum erant definitæ. Has ſatisfactiones Eccleſiæ canonibus inductas cum nonnulli frigidè peragerent, vel iis peractis nihilo meliores fierent, Epiſcopi eaſdem variè exaſperarunt & ad tempus benè longum extenderunt, ne pænitentia publica viléſceretur, & pænitens ipſe explorari accuratius

ratius

Digitized by Google

rarius poſſet. Aſperas illas ſatisfactiones cum non omnes explere poſſent, aut aliæ diſpenſandi rationes ſubeſſent, ſæpe relaxari, in leviores commutari aut mitigari contigit. Et hæc dicta eſt *Redemtio Pœnitentiæ*, de qua d. l. ex veterum pœnitentialibus Regino agit v. gr. ſi cui ſubeunda eſſet *unius diei* pænitentia in *pane & aqua*, poterat eandem recitando *pſalterium* vel ſubeundo *centum percuſſiones* redimere, &c. Hujuſmodi relaxatio veterum erat *Indulgentia*. Sequiori ævo pænitens data pecunia pænitentiam ſibi impoſitam redimere potuit, unde tandem *nundinæ Indulgentiariæ* prodierunt.

In N. Epiſtola memoratur, quam dicunt in Hieruſalem (Vien. & Mog. addunt; *de cælo*) cecidiſſe. Ca. 448.

Noſter Codex ita: Si quis filios ſuos —— negligit *occaſione convenienti*, anathematizetur. Vien. legit: *occaſionem continentiæ*. Optimè Mog. *occaſione continentiæ*. Erant nim. ea ætate multi, qui ut educationi liberorum ſe ſubducerent, ſub prætextu continentiæ ad cænobia ſe conferebant & liberos in ſeculo alijs educandos relinquebant. His talibus intempeſtivè continentibus vel continentiam præ ſe ferentibus anathema præſenti canone dicitur. Ca. 454.

Deeſt Noſtro capitulum in Vienn. & Mog. repertum: *Si quis carnem edentem præter ſanguinem, ideſt, abſque ſanguine, & idolis immolatum & ſuffocatum cum religione & fide condemnat, anathema ſit.* In Concilio quidem Apoſtolorum ethnicis converſis fuit impoſita abſtinentia ab idolothytis, ſanguine & ſuffocato, non quod talis abſtinentia eſſet abſolutè neceſſaria ad ſalutem, ſed quod pro conditione illius temporis obſervantia Legis Moſaicæ ſaltem in iſtis rebus neceſſaria videretur, donec Iudæi ac gentiles in unũ cætum coaluiſſent. Quamdiu verò canon ille apoſtolicus in Eccleſia viguerit; quando in deſuetudinem abierit, ubi locorum adhuc obſervetur, &c. de his eruditè & copioſè ex SS. Antiqq. differentem videſis B. Hornejum in Compend. Hiſt. Eccl. l. 1. c. x. Poſt Caput CCCCLV.

In N. Sicut B. Gregorius in Commentario ad Iohannem Defenſorem dicit, ſed in V. & M. pro *Commentario* legimus *in Commonitorio*; eaq; lectio eſt genuina: neq; enim Commentarius aliquis Gregorij M. ſed epiſtola commonitoria ad Iohannem Ca. 467. pa. 2. l. 13.

Defen-

Defenſorem d. l. allegatur; qua de varijs ad eccleſiæ regimen pertinentibus Iohannem Gregorius Papa commonuit, inter alia, ne qua accuſatio vel ſententia niſi per literas reciperet.

Ca. 488. p. 2. l. 7. In noſtro viduæ, quæ velamine ſuſcepto nuptias denuo cogitant, apoſtatare & ad pejus votum reverti: ſed in Vien. & Mog. uniformiter dicuntur ad *prius* votum reverti. Duo nim. ſunt vota: alterum eſt votum Conjugij, quo uxor marito ſuo; alterum votum Continentiæ, quo religioſi Deo tenentur. Sancitur ergo præſenti capitulo ne qua vidua, quæ ſuſcepto ſacro velamine votum caſtitatis edidit, ad prius, quod erat Conjugij, votum revertatur.

Sub finem Variarum Lectionum de duobus adhuc monendum Te, B. L. ducimus: alterum, ut memineris toto Reginonis opere nihil ferè, niſi aliunde collectum haberi, puta ex Canonibus Conciliorum, Capitularibus Cæſarum, Pœnitentialibus, Decretis Rom. Pontificum, Dictis Patrum &c. Quoties igitur Lectiones variarunt, non noſtro, fateor, arbitratu, ſed ad fontes iſtos, è quibus hos rivulos Regino deduxit, emendandus fuit textus, idque nos facere contendimus, ſed contigit interdum vel librum, quem citat Regino, ad manum non fuiſſe, vel allegata citatis locis non reperta. Dabis itaque veniam, B. L. quod illa nobis Lectio ſit aliquando probata, quam contextui præ cæteris congruam ſumus arbitrati.

Alterum eſt de MS. Viennenſi, cujus αὐτόγραφον cum ad manus noſtras non pervenerit, ſed exemplari deſcripto contentos nos eſſe oportuerit, fieri facile potuit, ut induſtriam amanuenſis Vienn. aliquid ſubterfugerit, ac calamo properante per errorem nonnihil ſit ſcriptum, quod nobis diverſitatem Lectionis peperit, licet in ipſo forte Originali talis Lectio non compareat. Id ne nobis imputes, monere Te B. L. voluimus, quo ipſo

Varijs Lectionibus in Codice MS. Viennenſi ac Moguntino; & in Noſtro (prout typis ille excuſus) repertis colophonem imponimus.

His ex-

Digitized by Google

His expeditis SERENISSIMO Noſtro Appendix quædam Codicis Viennenſis miſſa eſt, cujus copiam cum SERENITAS EIVS mihi clementiſſimè fecerit, eaque veterem habendi Concilia formulam venuſtè exprimat, in gratiam Studioſorum SS. Antiqq. ne quid Operi noſtro deeſſet, adnectendam duximus, præſertim cum in cæteris quoque Codicibus MS. Helmſtadienſi ac Moguntino ſimilis formula, non tamen ſub finem operis (ut in Viennenſi) ſed ab initio poſita reperiretur. Tu B. L. his quaſi corollarijs itidem fruere & SERENISSIMO Noſtro pro ingenti, quod hac quoque parte rei literariæ præſtitit, beneficio gratijs humilimè actis vale.

Formula, ſecundum quam Synodus ſancta ſcta fieri debet.

Hora diei prima exceptis presbyteris omnes ejiciantur de Eccleſia, obſeratisque foribus cunctis ad unam januam, ad quam ſacerdotes ingredi oportet, oſtiarij ſtabunt, & convenientes omnes presbyteri, pariter introibunt, & ſecundum ordinationis ſuæ tempus reſidebunt. Poſt hos ingredientur Diaconi probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe, deinde introducantur laici, qui electione conjugali intereſſe meruerunt. Tunc procedat Epiſcopus cum diaconis tribus & cæteris miniſtris, quantum opus eſt, ita ut primum portentur tria candelabra cum incenſis cereis. Hæc ſequatur incenſum; poſtea ſubdiaconi tres, unus portans Evangelium, duo hinc inde cruces; tunc Epiſcopus Diaconis duobus ſuffultus ingrediatur & dicat: Dominus vobiſcum. Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Deus, humilium viſitator, qui nos fraterna dignatione conſolaris, prætende ſocietati noſtræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, tuum ad nos ſentiamus adventum, Per Dominum Noſtrum &c.

Poſtea legatur in ambone:

Cum Sero factum eſſet die illa.

Deinde dicat Pontifex:

Sancta Maria & omnes Sancti Dei, intercedite pro nobis apud Ieſum Chriſtum, ut mereamur ab eo adjuvari, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Reſ. Amen.

Poſtmodum dicat duabus vicibus:

Deus in adjutorium meum intende, Reſp. Domine ad adjuvandum me feſtina.

Et tertia vice iterum dicat:

Deus in adjutorium, Domine ad adjuvandum, cum Gloria: Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Pater noſter cum precibus iſtis:

Sacerdotes tui &c: Memento noſtri Domine, ſalvos nos fac Domine Deus, ut confiteamur nomini ſancto tuo, Domine exaudi orationem meam. Adjutorium noſtrum.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur, exaudi nos pro univerſis ordinibus ſupplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſerviatur per Dominum N. I. C.

His expletis cuncti pariter proſtrati ſeptem Pſalmos pœnitentiæ pro peccatis decantent cum precibus iſtis:

Ego dixi; Domine miſericors, convertere Domine; Fiat miſericordia tua, Domine Deus virtutum, Domine exaudi orationem.

Oremus:

Dies noſtros, Domine, placatus intende, pariterque nos à peccatis abſolve propitius & à cunctis adverſis eripe benignus.

Poſthæc verò egrediantur omnes, exceptis presbyteris & cæteris idoneis clericis, factoque ſilentio, dicat pontifex: Oremus.

Omnipotens Domine, ſancte Spiritus, peccati quidem ſumus immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati, veni ad nos, adeſto nobis, & dignare illabi cordibus noſtris, doce nos,

doce nos, quid agamus, quo gradiamur, oſtende, quid efficiamus. Eſto ſalus & ſuggeſtor & effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo patre & filio nomen poſſides glorioſum. Ne nos patiaris perturbatores eſſe juſtitiæ, qui ſummè diligis æquitatem, ut in ſiniſtrum nos non ignorantia trahat, non favor inflectat, non adeptio muneris, vel perſonæ conſideratio corrumpat, ſed junge nos tibi efficaciter ſolius tuæ gratiæ dono, ut ſimus in te unum & in nullo deviemus à vero, quatenus in nomine tuo collecti. in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam, ut & hic à te in nullo diſſentiat ſententia noſtra & in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia ſempiterna, qui cum Patre &c.

Finita hac Oratione ab Epiſcopo, cæteriſque in ordine ſedentibus, ab Archidiacono legatur hæc admonitio:

Ecce, ſanctiſſimi fratres, præmiſſis ad Deum precibus fraternitatem veſtram pia exhortatione & per divinum numen obteſtor, ut ea, quæ de Deo vel de ſacris ordinibus vel ſacris moribus vobis fuerint dicta, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reverentia perficere contendatis. Quod ſi aliquis veſtrum forſitan aliter, quàm dicta fuerint, ſenſerit ſine aliquo ſcrupulo terminationis in noſtrum omnium collationem ea ipſa, de quibus dubitaverit, conferenda reducat, qualiter cum Deo aut doceri poſſit aut doceat. Deinde vos ſimili conteſtatione adjuro, ut nullus in judicando, aut perſonam accipiat; aut quolibet favore aut munere pulſatus, à vero divertat aut diſcedat. Sed cum quanta pietate quiſque cætui noſtro ſe judicandum intulerit, retractate (recogitate) ut nec diſcordans intentio ad ſubverſionem juſtitiæ inter nos locum inveniat, nec in perquirendo vigor noſtri ordinis vel ſollicitudo tepeſcat.

Poſt hanc exhortationem inſtruendi ſunt de myſterio ſanctæ Trinitatis, monendi etiam, ut nullus à communi cœtu ſecedat vel prandere præſumat, antequam generalis ſeceſſio adveniat, Concilium quoque nullus ſolvat, niſi cuncta fuerint ordinabiliter ordinata.

Digitized by Google

Secundo die Epiſcopus ſynodum ingrediens dicat hanc orationem:

Deus, qui nobis famulis tuis præſentiæ tuæ ſigna manifeſtas, mitte ſuper nos ſpiritum charitatis, ut in adventu fratrum conſervorumque noſtrorum gratia nobis tuæ largitatis augeatur per Dominum noſtrum in unitate ejuſdem ſpiritus ſancti.

Poſtea legatur Evangelium:

Deſignavit Ieſus alios LXXII. Deinde dicat precem inſcriptam, ſicut prius. Sancta Maria & omnes ſancti. Tunc omnes proſtrati decantent pſalmos III pro peccatis & negligentijs ſuis.

Miſerere mei Deus, miſerere mei. Benedixiſti Domine; Domine refugium.

Pater noſter cum precibus iſtis: Ego dixi, Domine miſericors, convertere Domine, uſque quo? converte nos Deus, Domine exaudi orationem meam, Adjutorium noſtrum.

Oremus.

Precibus noſtris, Domine, aurem tuæ pietatis accommoda & orationes ſupplicum, occultorum cognitor, benignus exaudi, ut te largiente ad vitam perveniamus ſempiternam. Per Domin &c.

Deinde pro omni gradu Eccleſiaſtico tres pſalmos.

Ad te Domine levavi, inclina Domine aures. Benedic anima mea &c.

Cum precibus iſtis:

Salva nos Domine, ut confiteamur nomini ſancto tuo, Adjutorium noſtrum.

Oremus:

Conſerva Domine quaſi tuorum corda fidelium & gratiæ tuæ virtute corrobora, ut in tua ſint ſupplicatione devoti & mutua dilectione ſinceri.

Poſtmodum pro Rege & Regina III pſalmos decantent:

Exaudiat te Dominus &c. Levavi oculos. Ad te Domine levavi.

Cum

Digitized by Google

Cum precibus iſtis:

Salvum fac regnum, ſalvum fac ſervum tuum & ancillam. Mitte eis Domine auxilium, Domine exaudi.

Oremus:

Da, omnipotens Deus, ut famulus tuus N. qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus & vitiorum monſtra devitare, & ad te, qui via, veritas & vita es, gratioſus valeat pervenire. Per Dominum.

Guberna Domine familiam tuam, & tuis ſemper beneficijs cumula, ut & præſentis vitæ ſubſidijs gaudeat & æternæ, per Dominum.

Deinde pro fidelibus defunctis III pſalmos.

De profundis clamo. Confitebor. Domine exaudi. cum precibus iſtis: Requiem æternam; A porta inferi; In memoria.

Oremus:

Propitiare, Domine, animabus famulorum famularumque tuarum miſericordia ſempiterna, ut mortalibus nexibus expeditas lux eas æterna poſſideat, per Dominum noſtrum, qui venturus erit.

Tertia die cum Epiſcopus Synodum ingreditur, dicat hanc Orationem.

Protege nos, Domine, famulos tuos ſubſidijs pacis & beati Martini patrocinijs confidentes à cunctis hoſtibus redde ſecuros, per Dominum.

Poſt hoc legatur Evangelium.

Circuibat iſtic civitates omnes & caſtella. Deinde canantur pſalmi ſubnotati: Ad te Domine clamabo. Benedicam Domino. Deus noſter refugium. Deus venerunt gentes. Voce mea. Cum precibus iſtis: Salvum fac populum tuum; fiat pax in virtute; Oſtende nobis. Deus adjutorem noſtrum.

Oremus:

Omnipotens, qui errantibus, ut in viam poſſint redire juſtitiæ, veritatis tuæ lumen oſtendis, da cunctis, qui Chriſtiana pro-

 feſſione

feſſione cenſentur & illa reſpuere, quæ huic nomini inimica ſunt, & ea, quæ ſunt apta ſectari, per Dominum.

Deinde etiam pro his, qui ſe noſtris commendaverunt orationibus alios III. Pſalmos: Ad te Domine levavi. Inclina Domine. Domine, Deus ſalutis meæ.

Et pro his dicat hanc orationem:

Largire quaſi Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem, ut pariter ab omnibus emundentur offenſis & ſecura tibi mente deſerviant, per Dominum.

Poſt hoc pro irreligioſis Pſalmi III. canantur.

Miſerere mei Deus miſericors. Eripe me de inimicis. Exaudi Deus orationem meam.

Oremus.

Omnipotens, qui infideles deſeris & juſte indevotis iraſceris, populum tuum ad te converte propitius, ut qui te per duritiem irreligioſæ mentis ſemper offendunt, ad ſancta officia promerenda, tuæ miſerationis gratia inſpirante convertas, per Dominum.

Quarta die ingreſſus Synodum, Epiſcopus hanc orationem dicat:

Noſtrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium rogamus, ut bonum, quod à te requiritur, exequamur, ſcilicet ut tecum ſollicitudine gradientes diſcretionis arduæ ſubtile judicium faciamus, ac miſericordiam diligentes clareamus ſtudijs tibi placitæ actionis, per Dominum.

Poſtea legatur Evangelium; ſequantur VII pſalmi pœnitentiales, cum precibus adjuncta confeſſione & Litania. Sequatur oratio:

Nulla eſt, Domine, humanæ conſcientiæ virtus, quæ inoffenſè poſſit tuæ voluntatis judicia expedire, & ideo, quia imperfectum noſtrum viderunt oculi tui perfectionem deputa quod perfecto æquitatis fine concludere præoptamus. Te in noſtris principijs occurſurum popoſcimus, te quoque in hoc fine judiciorum deprecamur, ut ignorantiæ errori indulgeas & perfectis vo-

ctis votis perfectam operis efficatiam largiaris, & quia conſcientia remordente tabeſcimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forſitan voluntas impulerit juſtitiam declinare. Ob hoc te poſcimus, te rogamus, ut ſi quid offenſionis in hac concilij celebritate attraximus, te condonante remiſſibilem habeamus veniam, ut in eo, quod ſoluturi ſumus aggregatum concilium, primùm abſolvamur à reatu noſtrorum delictorum, ut transgreſſores venia & confitentes tibi ſubſequatur remuneratio ſempiterna, per Dom.

Statim Diacono dicente:

Humiliate vos ad benedictionem. Reſp. Deo gratias.

Sequatur Benedictio.

Chriſtus Dei filius, qui initium eſt & finis, complementum vobis tribuat caritatis. Amen.

Vt qui nos ad expletionem hujus fecit pervenire concilij abſolutos efficiat ab omni contagione delicti. Amen.

Vt ab omni reatu liberiores effecti, abſoluti etiam per donum ſpiritus ſancti felici reditu veſtrarum ſedium cubilia repetatis illæſi, Amen.

Iſtæ preces in conventu Synodi aptè ſunt dicendæ:

Oremus pro omni gradu Eccleſiæ.	Sacerdotes tui induantur juſtitia.
Pro paſtore noſtro	Beatus qui intelligit ſuper &c.
Pro Rege noſtro vel imperio.	Domine ſalvum fac Regem & exaudi.
Pro Abbate noſtro	Dominus conſervet eum & vivat.
Pro cuncto populo catholico.	Salvum fac populum tuum, Deus.
Pro pace & unitate Eccleſiæ.	Fiat pax in virtute tua.
Pro fratribus & ſororibus noſtris.	Propter fratres meos & proximos.
Pro iter agentibus.	O Domine ſalvum me fac, ô Domine.

Pro

Digitized by Google

Pro navigantibus.	Exaudi nos, Deus, ſalutaris noſter.
Pro adverſantibus & calumniantibus nobis.	Domine Ieſu Chriſte!
Pro pœnitentibus.	Pax Dei, quæ exſuperat.
Pro pœnitentibus.	Convertere Domine, uſque quo.
Pro omnibus eleemoſynas facientibus.	Diſperſit. dedit pauperibus.
Pro infirmis.	Et clamaverunt ad Dominum.
Pro fidelibus defunctis.	Requiem æternam da.
Pro peccatis & negligentijs noſtris.	Domine ne memineris iniquitatum.
Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.	Propter gloriam nominis tui, Deus.
Pro fratribus noſtris abſentibus.	Salvos fac ſervos tuos
Mitte eis Domine auxilium de ſancto.	Domine exaudi orationem meam.
Miſerere mei Deus.	Domine averte faciem tuam à peccatis meis
Domine Deus virtutum converte nos.	Et oſtende faciem tuam.

H. l. in Exemplari MS. Caput de Pœnitentia Homicidarum ex Synodo Liutperti prope Moguntiam habita prolixum quidem & ſcitu dignum erat inſertum, ſed neſcio quo errore id h. l. poſitum, cum nec antecedenti nec conſequenti capitulis, quorum utrumque eſt de habendis Concilijs, materia iſthæc de Homicidis congruat. Dum evolvo, quod dixi, inſertum Capitulum, idem illud inter ipſa Reginonis Collectanea lib. poſter. Cap. VI. VII. IIX. IX. verbo tenus, ex Concilio tamen Triburienſi expreſſum invenio. Ne igitur idem bis adeoque ſuperflue dicatur, h. l. capitulum iſtud merito omiſimus; Lectorem verò ad ipſum Reginonem l. cit. remittimus.

Ordo Romanus, qualiter Concilium commune peragatur.

Prima conventionis die.

Conveniente univerſo cœtu ſanctorum Epiſcoporum, Abbatum

Digitized by Google

tum presbyterorum ac diaconorum cæterorumque Eccleſiaſticorum in nomine Domini, ſive in civitate metropolitana, ſive in quacunq;, metropolitanus Epiſcopus una cum conſenſu cæterorũ Epiſcoporum decreverit concilium faciendum. Poſt orationes venientes omnes in Eccleſiam majorem ſedeant in ordine ſuo ante litaniam: *Exaudi nos Domine*; poſtea erigens ſe metropolitanus Epiſcopus dicat: *Oremus*, & diaconus: *Flectamus genua*. Et alius ex ſenioribus dicat hanc orationem:

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos miſericordia tua incolumes in hunc locum ſpecialiter aggregaſti, *rogamus*, ut mentes noſtras paracletus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit filius, veritatem, cunctoſque in tua fide & charitate corroboret, ut exercitatio temporalium conciliorum proficiat nobis ad æternæ felicitatis augmentum, per eundem &c. Poſt Collectam litania, eaque finitâ epiſcopus dicat: *Orate*; & Diaconus, *flectamus genua*, item *levate*. Oremus:

Da Eccleſiæ tuæ, miſericors Deus, ut Spiritu ſancto congregata ſecura tibi devotione ſervire mereatur. Finita oratione & reſpondentibus omnibus, Amen, cum timore & diſciplina ſedeant omnes tam Epiſcopi, quàm presbyteri in ſilentio magno. Tunc Diaconus progrediens de Altari ſacra veſte indutus portans Evangelium uſque ad ambonem in medio choro ad legendum dicat: *Dominus vobiscum* & reliqua, ſicut mos eſt, & legat lectionem ad hoc pertinentem vel ſi evangelium non legitur, librum aptam lectionem continentem aut canonem, & lectione finita alloquatur metropolitanus Epiſcopus concilium dicens: Ecce beatiſſimi & venerabiles conſacerdotes & patres ac fratres noſtri, miſſis Deo precibus ſanctitatis veſtræ, oportet, ut ea, quæ divinis officijs vel ſacris ordinibus, aut etiam de noſtris moribus & neceſſitatibus eccleſiaſticis à nobis conferenda ſunt, cum charitate & benignitate unuſquiſque veſtrum ſuſcipiat, ſummaque reverentia, quantum valet, Domino adjuvante perficiat, & quæ emendatione digna ſunt, omni devotione unuſquiſque fideliter ſtudeat emendare, & ſi cui forte, quod dicitur, diſpliceat, ſine aliquo ſcrupulo contentionis palam omnibus proferat, qualiter Deo mediante & hoc ad optimum ſtatum perveniat, ita ut nec diſcordans contentio ad

Digitized by Google

ſubverſionem juſtitiæ locum inveniat, nec in acquirenda veritate vigor noſtri ordinis & ſollicitudo tepeſcat, & ita ingrediens allocutionem, *dicat:* Quapropter venerandiſſimi & dilectiſſimi nobis Patres & Domini, primo omnium perpendere vigilanter debemus, quia nomen Epiſcopatus nomen eſt oneris, non honoris. Quia ſicut honor quidem Epiſcopalis coram hominibus præclarus eſt, ita ſi ruinam ſuſtinuerit, dolor magnus eſt: Nam quantum præ cæteris gradus Epiſcopalis eſt altior, tanto ſi per negligentiam labitur, ruina gravior eſt, & ideo magna ſublimitas ampliorem debet habere cautelam; Menſura namque Epiſcopatus Apoſtolica nobis eſt auctoritate recolenda, prout ait Apoſtolus: Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, ac ſi diceret, qui Epiſcopus eſſe voluerit, altum quidem eſt, quod eſſe cupit, ſed tunc altum eſt, ſi & opus dignum epiſcopatu oſtendere nititur; qui autem aliter eſſe cupit, Epiſcopus eſſe non poteſt. Unde ſubjungitur: Oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, totum comprehendit eſſe cavendum, cum irreprehenſibilem ponit; quomodo igitur alterum reprehendit, cum ipſe qui accepit poteſtatem alios reprehendere, fit ipſe reprehenſibilis? Ex Epiſcopo enim gradus cæteri clericorum condiſcunt, quomodo debeant vivere in hac vita mortali, quomodo etiam ſeipſos imitabiles alijs debeant demonſtrare, ut etiam cæteri ſubditi Eccleſiæ imitantes vitam & teſtimonium ſacerdotum, poſſint eſſe ſine crimine. Et ideo eum, qui Eccleſiæ princeps erit, oportet eſſe ſine crimine, ſicut Dei diſpenſatorem. Si autem humanarum rerum diſpenſatores probi quæruntur, quæruntur & juſti, quales debent eſſe, qui divina jura diſpenſant. Oportet enim epiſcopum dignum eſſe diſpenſatorem domus Dei, non ſolum pecuniarum, ſed etiam ſanctæ prædicationis exhortationum exemplis, qualiter unuſquiſque non ſolum Eccleſiaſtici ordinis gradus, ſed & univerſus fidelium numerus vivere in ſancta Eccleſia debeat, maximè preſbyterorum & diaconorum &c clericorum ordo, quia ſicut ſtellæ cœli ſunt ornamenta, à ſole illuminatæ, ita etiam hi exemplis & doctrina Epiſcopi ſui illuſtrati ornamenta Eccleſiæ ſine reprehenſione debent exiſtere, quorum vitam & mores Epiſcopi neceſſe eſt

ſe eſt ſumma diligentia præcavere, ut caſtè & ſobriè vivant, divinas ſcripturas diligenter diſcant, ut officium Eccleſiaſticum ordinabiliter tractent & impleant, ut canonicis inſtitutionibus ſollicitè invigilent, ut ſubditi ſint in omnibus & obedientes ad omne, quod eis injunctum fuerit, ut humilitatis & honeſtatis exempla omnibus videntibus ſe præbeant, & bonum teſtimonium ſe habere undique omni ſollicitudine procurent, ne opus & ordinem eorum quis dignè habeat blaſphemare, ſed ut magis per eorum ſanctam & juſtam converſationem glorificetur Deus in omnibus. Laicos etiam admonere & caſtigare, ut fidem Chriſtianam conſervent, ſobrij ſint in moribus, continentes ab illicitis & iniquis operibus. Communicent ſe ad omne opus bonum, & omni honore dignos eſſe ſe Chriſtiano nomine obſervare contendant, ſed quid plura ſubjicimus? Si lux eccleſiæ eſt epiſcopus à Deo ordinatus, ſicut ipſe ait in Evangelio: Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, id eſt, ſi Pontifex, qui officium providendi alijs ſuſcipit, ſancta & juſta eſt vita adornatus, omnes ſubditos illius bonis operibus incubare neceſſe eſt, unde ſubditur: Si autem oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit, id eſt, ſi præſul vitijs & iniquitate cœcatur, quid cætera ſubditorum multitudo factura eſt, annon pravis ſtatim actibus vacillabit? Nam quid aliud interpretatur Epiſcopus, niſi ſuper ſpeculator, ideo quia eminentiori in Eccleſia loco *poſitus eſt* ita, ut cunctos reſpicere valeat, & cunctorum in eum in Eccleſia oculi intendant. Qui enim in erudiendis ad virtutem populis ſupereminere debet, neceſſe eſt ut in omnibus ſanctus ſit, & in nullo reprehenſibilis habeatur, cujus præ cæteris ſpeciale officium eſt, canonica omnibus præeſſe auctoritate & vita. Quid autem faciunt hi, qui ſuper canonicam vitam ſibi addunt etiam regularem vitam, & monachorum turmas, quod eſt amplius periculum, non formidant? Proinde duplici ſe adſtrictos debito, omnino perpendere neceſſe eſt, ut votum, quod promiſerunt, Deo miſerante ad multiplicem ſui laboris fructum omnino cuſtodire procurent, regulamque & vitam monaſticam conſervent, nec monachos ſuos à regulari vita diſcrepare in nihilo (in ullo) conſentiant, ſed ſub diſciplina & menſurâ ſibi impoſita eos abſque ulla retractione

Digitized by Google

faciant permanere, ſcientes quod multò melius eſt, non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere. Qui autem non ſunt monaſtica adſtricti promiſſione, ſed Abbates, qui ſub ſua diœceſi in regimine ſanctæ Eccleſiæ poſitos cum ſuis monachis habent procurare, magnoperè intendant, ut nequaquam deſidioſè & negligenter ſibi ſubditos monachos regant, ſed jugiter eos admoneant regulari providere diſciplinæ, ne & ipſi monachi habeant licentiam vagandi per patriam & ſecularibus ſe implicandi negotijs, ſed contenti ſint quiete ſua; Epiſcoporũ tamen eſt competentem monaſteriorum providentiam gerere, denique intueri oportet, quid etiam Apoſtolus de epiſcopatu ſubſequentibus verbis adjunxerit: *Non ſuperbum.* Qui præficitur ad regimen, taliter diſciplinam ſubditis præbere debet, ut non ſolum auſteritate, verum etiam humilitate clareſcat. Sed tamen ita ſit in eo virtus humilitatis, ne diſſolvatur vita ſubditorum in vitijs, atque ita autoritas poteſtatis, ne per tumorem cordis ſeveritas exiſtat immoderationis. Bene enim aliorum peccata curandi officium ſuſcipit, qui hoc ex cordis dilectione & humili conſcientia facit. Qui autem delinquentem ſuperbo animo corripit, non emendat, ſed percutit: Quicquid enim protervus animus protulerit, objurgans furor eſt, non dilectio corrigentis. *Non iracundum*: Ira ſæpe in ſcripturis intelligitur juſta correptio delinquentium, quæ affectui dilectionis commixta eſſe debet, ut vitium abſcindatur & charitatis fervor erga proximum nullatenus extinguatur. Vnde dicitur in pſalmis: Iraſcimini & nolite peccare. Iracundia autem, vel ira diu in animo retenta, quæ ad odium prolabitur, intelligitur, quum Apoſtolus prohibens dicit: Non iracundum eſſe epiſcopum. *Non vinolentum*, ut fiducialiter poſſit corripere ebrioſos: Vinolentia enim ſcurrarum eſt & comeſſatorum, *venterque mero æſtuans citò deſpumat in libidinem.* In vinolentia enim omnis ebrietas demonſtratur, omni liquore ſuperabundanter infuſo. Ebrietas autem mater eſt omnium flagitiorum, materia criminum, origo vitiorum. Ebrietas perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut ubi ſis, neſcias, unde etiam malum non ſentitur, quod per ebrietatem committitur. Ex ebrietate autem naſcitur

Digitized by Google

ſcitur fornicatio, fornicatio autem & ebrietas auferũt cor, quibus clamat Ioel propheta dicens: Expergiſcimini ebrij & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quo teſtimonio non omnino bibere contradicit, ſed reprimit ſuperfluitatem, ut ebrietatem quaſi incendium fugiamus. *Non turpis lucri cupidum*. dum alios avaritiam calcandam docet, nefarium eſt, eum avaritiæ æſtibus anhelare: monet enim, ne terreni lucri cupiditate Epiſcopus teneatur obnoxius, & nutriat avaritiam, quæ radix eſt omnium malorum. Sed tantum ſtipendijs contentus Eccleſiæ ſuæ, penitus non ambiat, quæ intelligit eſſe ſuperflua, unde canones, qui avaritiam matrem omnium malorum eſſe cognoverunt, valde eam prohibent. Ne quis alienos fines uſurpet, aut terminos patrum tranſcendat: neque etiam ſecularibus ſe curis ullus Eccleſiaſticus implicet, quod idem Apoſtolus reprobat dicens: *Nemo militans Deo implicet ſe negotijs ſecularibus*, quod idem in laicis reprehenditur, id multo magis in omnibus clericis debet condemnari. *Non percuſſorem*. Manus improbas ad cædem non habeat epiſcopus. nec ſuſpicionibus pravis percutiat conſcientias aliorum: Mentis enim modeſtiam cunctis hominibus tranquillam demonſtret. & alienæ conſcientiæ reatum minimè ſe jactet agnoſcere: abſtractis enim vitijs, mox qualis eſſe debeat Epiſcopus oſtendit. Sed *hoſpitalem*: jactantiam enim & vanam gloriam vel etiam incontinentiam in omnibus aufert. Cum hoſpitalem docet, oſtendit non ſuperfluitatis noſtræ deſiderio & amore vanæ gloriæ hoſpitales nos eſſe debere, ſed nomine Ieſu humanitatem & hoſpitio venientibus cum manſuetudine & modeſtia præbendam. Benignum, ſobrium, ut tamen hoſpites non cum triſtitia, ſed cum benevolentia quiſque ſuſcipiat, & ſobriè eis atque honeſtè deſerviat, quia hilarem datorem diligit Deus, ita ut ad humanitatis opus cuncta plebs rectoris forma provocetur. Ornatum omnibus ſpiritalibus ornamentis, ut ſemper tam verbo doceat, quàm exemplo. Hæc itaque & his ſimilia memoramus, ut quod nobis maximè in cathedra pontificali vitandum eſt, monſtremus. Paucis etiam verbis inſinuaremus, quæ imitari debemus? quem enim alium, niſi Chriſtum Ieſum imitari debemus? vel quomodo, niſi carnalibus concupiſcentijs crucifigi? Non enim aliud eſt,

 vete-

veterem converſationem deponere, niſi non ſecundum carnem, quæ veteraſcit & moritur, ſed ſecundum Deum vivere, qui ſolus poteſt perſeverantes in ſe innovare & perenniter beare.

Denique ſicut in Adam omnes cecidimus, ita per Chriſtum, qui pro nobis dignatus eſt mori, ſurreximus. In Adam omnia bona, quæ potuimus habere, perdidimus, in Chriſto etiam ſine fine habenda recepturi ſumus, ſi perſeverantes ejus veſtigia teneamus, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Poſt allocutionem tractent apud ſe de divinis myſterijs & eccleſiaſticis diſciplinis, & quælibet neceſſaria, canonesque ibi legantur aut liber officiorum, nec aliquis inde ante tranſeat, quàm iſta omnia explicentur, & ita totis tribus diebus agatur. Nam de his, qui foris ſunt ad concilium per quamlibet cauſam appellare quis poteſt, & tum archidiacono Eccleſiæ metropolitano cauſam ſuam intimet, & ille in concilio proferat, & ita introeundi detur ei licentia. Concilium autem nullus diſſolvere audebit, niſi fuerint cuncta terminata.

Ordo alterius diei.

Conventione facta, dicat Metropolitanus, *Oremus*, & diaconus, *flectamus genua*, & dicat orationem Epiſcopus, ſicut mos eſt:

Mentibus noſtris Domine, Spiritum tuum infunde, quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderatione pietatis juſtitiam, ut hic à te in nullo diſſentiat voluntas noſtra, ſed ſemper rationabilia meditantes, quæ ſibi ſunt placita & dictis exequamur & factis.

Alia.

Deus, qui nos juſtitiam loqui & quæ recta ſunt præcipis judicare, tribue nobis, ut nec iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente, ut puro corde purior ſermo conſentiat. Oſtendatur in opere juſtitia, nec appareat dolus in lingua, ſed ex corde veritas proferatur.

Finita

Digitized by Google

Finita oratione legatur lectio, ſicut ſuperius continetur. Poſt lectionem loquatur Epiſcopus. h. m.

Reverendiſſimi & ſanctiſſimi Domini & patres noſtri piæ ſollicitudini veſtræ incumbit, ut ſicut heſterno die admonuimus benignam manſuetudinem veſtram de divinis officijs & ſacris altaris gradibus, aut etiam de conſuetudine & de neceſſitatibus Eccleſiaſticis, quæcunque emendanda & renovanda ſunt, Charitas omnium veſtrum, ubicunque noverit aliqua emendatione condigna, in medium proferre non ambigat, ut per veſtræ ſanctitatis ſtudium Domino largiente ad laudem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti (corrigatis).

Item alia.

Nos igitur, dilectiſſimi, qui in ſublimiſſimo conſtituti ſumus loco, perpendere noſmet ipſos debemus, perpenderere eum etiam, qui nobis commiſſus eſt, gregem. Recogitate diligenter, in quàm gravi ſumus periculo conſtituti, quia pro his omnibus, qui ſub noſtro ſunt regimine poſiti, rationem reddituri ſumus in die judicij, qualiter ſingulos ſecundum uniuſcujusque qualitatem & intelligentiam verbis & exemplis ſtuduimus admonere. Si autem de alijs, quantò magis & de nobis ipſis rationem reddituri ſumus, ideoque ſolerter nobis intuendum eſt, ut doctrina cunctis auditoribus noſtris proficiat, & ut exemplis magis erudiamus alios, quàm verbis, ut Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti nomen glorificetur in nobis. Recordemur nos potius miniſtros eſſe, quam Dominos, propter eum, qui ait, Ego ſum in medio veſtri, ſicut qui miniſtrat. Si Deus & Dominus omnium Salvator & Redemtor humani generis non dedignatus eſt venire miniſtrare, non ut miniſtraretur ei, quantò magis nos debemus modulum noſtræ penſare paupertatis & omnibus ad nos pertinentibus, ſalutis miniſtrare officia & charitatis ſervire devotione, quia humilitatis paſſibus ad cœleſtis regni celſitudinem pervenitur; ideo Propheta divino inſtinctus amore ait: Non veniat mihi pes ſuperbiæ, quo ipſo monet, ut nullum veſtigium ſuperbum remaneat in cordibus noſtris. Sed

qui de-

Digitized by Google

qui de ſtercore paupertatis in ſedem gloriæ collocati ſumus, dignitatem noſtram charitatis officio ſublevare debemus; quapropter dum tempus habemus, in verbo prædicationis laborare debemus, in virtute charitatis, in exemplo ſanctitatis, in eleemoſynarum largitate, in miſericordia & pietatis conſtantia, quatenus ex hujus caliginis miſeria ad perpetuæ beatitudinis lucem pervenire mereamur, ideoque divinæ Scripturæ jugis adhibenda eſt meditatio ut unicuique congruentia exhortationis verba ſecundum mores & tempus proferantur: videlicet ut noverimus, quid unicuique perſonæ conveniat, & ſingula quæque accidentia. Congrua ſemper ſacræ Scripturæ medicamenta ſupponantur, ut lætitia convivij noſtri ſemper in laude & prædicatione ſit Redemtoris noſtri, ut dum corpus cibo paſcitur, mens divina lectione foveatur, ne anima eſuriens inebriato corpore lugeat. Paſcatur, quod æternum magis, quam quod periturum erit, mens cœleſtia rimetur & futuram ſemper prævideat manſionem, ut parvi temporis labore pœna evadatur peccatorum & æterna requies mereatur. Non ceſſandum eſt ſemen ſalutis in corda ſeminare ſubjectorum, & ex multorum ſalute glorioſam apud Dei pietatem mereri remunerationem. Vnde chariſſimi nobis omni cuſtodia ſervemus noſmetipſos & in domo Dei fideliter laboremus, ut per exempla etiam noſtra proficiant in ſalutem animarum ſuarum oves Chriſti noſtræ curæ commiſſæ. Nihil enim ſtabile in hoc mundo fieri poteſt, niſi charitas Chriſti & ſervitium illius: Præterit enim figura hujus mundi, ſolum hoc remanet, qood pro Dei dilectione ad præſcriptum illius agitur, ideoque ſervemus nos, quantum poſſumus de periculis hujus vitæ. Sit guttur noſtrum tuba cœleſtis, ſpiritalis belli ſignifer & dux in acie Chriſti. Non ſit ſpes noſtra in terra morientium, ſed amplificemus nobis regnum in terra viventium. Qui caſtra Chriſti cuſtodiunt, vigilare debent, & non dormire, quia vigilantibus & non deſidia torpentibus, perpetui regni promittitur gloria, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Poſt allocutionem admoneat Epiſcopus (ut ſupra) ut de divinis Scripturis inter ſe tractent.

Ordo

Ordo tertij diei.

Conventione facta, dicat Metropolitanus, Oremus, & Diaconus: flectamus genua.

Et dicat orationem Epiſcopus:

Omnipotens, ſempiterne Deus, qui ſacro verbi tui oraculo promiſiſti, ubi duo vel tres in nomine tuo fuerint aggregati, te medium fore, adeſto cœtui noſtro propitius & cor noſtrum illumina miſericors, ut à bono miſericordiæ tuæ nullatenus aberremus, ſed rectum juſtitiæ tuæ tramitem in omnibus teneamus.

Alia:

Deus, qui populis tuis indulgentia conſulis & amore dominaris, da ſpiritum ſapientiæ, quibus dediſti regimen diſciplinæ, ut de profectu ſanctarum ovium fiant gaudia æterna paſtorum.

Finita lectione & oratione, legatur lectio, ſicut ſuperius continetur. Poſt lectionem alloquatur Epiſcopus h. m.

Dilectiſſimi & Venerabiles Patres ac Domini noſtri, beatitudini veſtræ denunciare oportet, ut ea quæ de Eccleſiaſticis officijs, & ſacerdotalibus gradibus, & canonis etiam ſanctionibus propter diverſas occupationes, aut quod negare non poſſumus, propter noſtram aliquorum deſidiam non tam pleniter ut oportet executa ſunt, noſtro omnium unanimi conſenſu & voluntate requirantur & humiliter coram ſanctitate veſtra recitentur, & quæ condigna ſunt emendatione, ad meliorem ſtatum auxiliante Deo perducantur; & cui fortaſſis aliquid diſpliceat, quod digeſtum eſt, ſanctitati veſtræ cum benignitate & modeſtia intimare non differat, quatenus totum, quod ſynodali conventione noſtra ſtatutum fuerit, & renovatum abſque omni contrarietate, cum concordia ſanctæ pacis ab omnibus æquè cuſtodiatur & teneatur ad augmentum æternæ omnium beatitudinis noſtræ.

Digitized by Google

Alia Allocutio.

Conſiderandum nobis eſt, fratres chariſſimi & reverendiſſimi, nomen & opus officij noſtri; quamque terribiliter nos ipſe Dominus per prophetam admonet dicens: Fili hominis, ſpeculatorem poſui te domui Iſraël. & alibi: Si non annunciaveris iniquo iniquitatem ſuam, & ille morietur in peccatis ſuis, ſanguinem ejus de manu tua requiram, ideoque inſtanter verbum Dei evangelizare nos oportet, quia multorum animæ in noſtro pendent judicio & à nobis in futuro ſeculo exquirentur, noſque fiducialiter & inceſſanter omnibus ubique nobis commiſſis oportet oſtendere viam ſalutis æternæ, quoſdam mutuâ fovere collatione, alios autem publica confirmare prædicatione, unicuique ſecundum ſuæ conditionis & perſonæ modum hortamenta ingerere, poteſtatibus & judicibus juſtitiam & miſericordiam, in moribus obedientiam, humilitatem & fidem; ſenioribus omnibus charitatem Dei & proximi, caſtitatem corporis, benignitatem & pietatem in eleemoſynis, quatenus cum multiplici laboris noſtri fructu ad æternam beatitudinis gloriam pervenire mereamur, eo miſerante, qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Poſt allocutionem admoneat (ut ſupra) ut de divinis Scripturis tractent inter ſe, & conſtituant, quæ neceſſe fuerit emendare. Terminatis omnibus, ultimo die concilij elevantibus ſe omnibus cum reverentia de ſedibus ſuis dicat Metropolitanus Epiſcopus: *Oremus*, & Diaconus, *flectamus genua* & Epiſcopus dicat orationem:

Exaudi, Domine, ſupplicum preces & confitentium parce peccatis, & ſi quid offenſionis in hac concilij celebritate contraximus, te miſerante indulgentiam ſentiamus ut in eo, quod ſoluturi ſumus, aggregato concilio à cunctis primum abſolvamur noſtrorum nexibus delictorum, per Dominum N. &c.

Oratio alia.

A cunctis nos exceſſibus, Domine, propitiatus abſolve, ut quia imperfectum noſtrum oculi tui vident, perfectioni

Digitized by Google

ctioni deputès miſericors, quod perfecto æquitatis fine concludere peroptamus.

Alia.

Intende Domine ad preces noſtras, ut qui te in principijs operum noſtrorum adeſſe popoſcimus, te quoque in hoc fine noſtri concilij indultorem habeamus noſtris exceſſibus per Dominum N. I. C.

Detur omnibus benedictio his verbis:

I. Chriſtus Filius Dei, qui eſt initium & finis, complementum nobis ſuæ tribuat charitatis! Reſp. Amen.

Vt qui nos ad expletionem hujus fecit pervenire concilij abſolutos efficiat ab omni contagione delicti! Reſp. Amen.

Vt ab omni reatu liberiores effecti per donum Spiritus S. felici reditu veſtrarum ſedium cubilia repetatis illæſi! Reſp. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur! Tunc reſurgant omnes & cum reverentia incipientes à Metropolitano, oſculum pacis ſibi invicem dent cum timore & amore Dei & dicat iterum pontifex: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ite cum pace, & reſpondeatur ab omnibus: *Deo gratias*, & ita conventus abſolvatur.

Hactenus Appendix Reginonis.

FINIS & ſub finem

SOLI DEO GLORIA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google